# COLLECTIO

SELECTA

# SS. ECCLESIÆ PATRUM.

## XXV.



PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

*EUSEBIUS VIII.*

*S. JACOBUS NISIBENUS.*

*S. ANTONIUS ABBAS.*

*S. PACHOMIUS.*

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO DECOURCHANT,
VIA VULGO DICTA D'ERFURTH, N° 1.

# COLLECTIO

SELECTA

# SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

## EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

*BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.*

**OPUS REGI DICATUM.**

TOMUS VIGESIMUS QUINTUS.




BRUXELLIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DE LA CHANCELLERIE.



M. DCCC. XXX.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

# EUSEBII PAMPHILI,

## CÆSARIENSIS EPISCOPI,

# DE VITA CONSTANTINI

## LIBRI QUATUOR.

# CONSTANTINI

## IMPERATORIS

# ORATIO AD SANCTORUM COETUM.

# EUSEBII PAMPHILI

## EPISTOLÆ TRES.

I. AD CONSTANTIAM AUGUSTAM.

II. AD ALEXANDRUM ALEXANDRINUM.

III. AD EUPHRASIONEM EPISCOPUM (FRAGMENTUM).

# EUSEBII PAMPHILI,

## CÆSARIENSIS EPISCOPI,

# DE VITA CONSTANTINI

## LIBRI QUATUOR.

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT I. — PROOEMIUM.

*De morte imperatoris Constantini.*

Nuper quidem universum hominum genus secunda ac tertia magni Imperatoris nostri decennalia certis temporum spatiis redeuntia festiviatibus et conviviis celebravit. Nos quoque ipsi nuper eumdem victorem ac triumphatorem, cœtu famulorum Dei circumseptum, laudatione in ejus vicennalibus dicta venerati sumus. Sed et tricennalium orationum coronas ei texentes, nuper in ipso palatio sacrum ejus caput redimivimus. Verum nunc anceps animi hæreo; cupiens quidem aliquid more solito proferre, sed quo me vertam prorsus ignarus, inusitatæ rei spectaculo perculsus: nam quocumque mentis oculos intendo; sive ad ortum solis, sive ad occasum; seu universum terrarum orbem, seu cœlum ipsum circumspicio, beatissimum Principem ubique præsentem intueor. Ac liberos quidem ejus, quasi nova quædam lumina, terrarum ambitus omnes paternis radiis

1.

implere animadverto, illumque ipsum auctoritate ac potentia etiamnum viventem, resque humanas multo præstantius ac potentius moderantem; quippe qui filiorum successione diffusus sit atque amplificatus : qui prius quidem honore Cæsarum affecti fuerant, nunc vero totum patrem induti, ob eximiam religionis virtutem imperatores et Augusti renuntiati sunt; cuncta patris ornamenta præ se ferentes.

## CAPUT II.

*De filiis ejus imperatoribus.*

ADHUC PROŒMIUM.

Cumque eum qui paulo ante in mortali corpore cernebatur, et nobiscum una versabatur, admirabili quadam ratione etiam post obitum, quo tempore natura quidquid superfluum est tanquam alienum refutat, iisdem regiis ædibus et honoribus ac laudationibus frui video, incredibili admiratione percellor. Jam vero cum ad ipsos usque cœli fornices mentis meæ aciem extendi, atque illic beatissimam ejus animam cum ipso Deo versari cogito, terrestri quidem ac mortali integumento liberatam, circumdatam vero splendidissimæ lucis stola; eamque non jam brevi temporis curriculo in his caducis sedibus volutari, sed corona perpetuo virente, et immortali vita ac beato ævo donatam esse intelligo : mutus hæreo, et linguæ rationisque usu penitus destitutus. Ac vocem quidem proferre nullam possum; sed meam ipse tenuitatem ultro condemnans, mihique ipse silentium indicens, cedo potiori has partes, ut pro meritis congruas laudes expromat : illi scilicet qui, cum immortalis Deus sit ac Dei sermo, solus sua ipsius dicta firmare et rata facere potest.

## CAPUT III.

*De Deo pios principes honorante et tyrannos puniente.*

Cum enim prædixerit eos a quibus cultus et honoratus fuisset, maximis præmiis a se vicissim remunerandos esse; illos vero qui se hostes atque inimicos ipsius professi essent, sibimetipsis perniciem creaturos, promissorum ac verborum suorum veritatem jam inde ab hac vita comprobavit. Quippe impiorum quidem Deique adversariorum tyrannorum abominandos exitus nobis ob oculos proposuit; famulo autem suo non vitam solum, verum etiam mortem felicissimam et maximis laudibus dignam præstitit : adeo ut hæc etiam omnium posterorum sermonibus celebrari, nec tantum caducis, sed etiam immortalibus honoribus affici meruerit. Mortalium quidem genus solatio aliquo lethiferi interitus excogitato, consecratis imaginibus, tanquam immortalibus honoribus superiorum hominum memorias colere solitum est; et alii quidem adumbratis encausticæ picturæ coloribus, alii inanimis materiæ sculptura similitudinem hominum exprimentes; quidam in ligneis aut lapideis tabulis litteras altius incidentes, eorum quos colebant virtutem ad æternam posteritatis memoriam consecrare instituerunt. Verum hæc omnia caduca et temporis longinquitate pereuntia; utpote quæ mortalium corporum figuram, non immortalis animi formam exprimerent. Hæc tamen sufficere iis videbantur qui post hujus immortalis vitæ exitum nullius spem boni animo conceperant. Deus vero, Deus, inquam, communis omnium rerum servator, qui pietatis amatoribus majora quam quæ cogitatione hominum comprehendi possint apud se recondidit bona, primitias futurorum præmiorum in antecessum quasi pignus dat in hoc

sæculo; immortalium rerum spem mortalibus oculis quodammodo exhibens ac repræsentans. Hoc vetusta Prophetarum oracula quæ scriptis mandata sunt, aperte prædicunt; hoc vitæ Deo charorum virorum qui variis virtutibus refulserunt, posterorum memoria etiamnum celebratæ confirmant; hoc ipsum ætatis nostræ testimonio verissimum esse convincitur, cum Constantinus, solus omnium qui Romano unquam imperio præfuerunt, summo omnium regi Deo acceptus, quasi illustre quoddam religiosæ vitæ exemplum cunctis hominibus est propositus.

## CAPUT IV.

*Quod Deus Constantinum honoravit.*

Hoc denique Deus ipse quem veneratus est Constantinus, evidenti suffragio comprobavit, dum illi non modo in exordio, sed etiam in progressu et in fine imperii semper propitius benignusque affuit; quippe quem humano generi ad divini cultus informationem proposuerat. Hunc certe unum ex omnibus quos unquam auditione accepimus imperatoribus, velut clarissimum quoddam jubar, et velut quemdam veræ religionis præconem maxima voce inclamantem, innumeris in eum congestis bonis, designavit.

## CAPUT V.

*Quod triginta quidem annis regnavit, vixit autem plus quam sexaginta.*

Ac tempus quidem imperii ipsius, tribus denum annorum circulis absolutis et aliquanto amplius honoravit; totius autem vitæ tempus quam inter homines duxit, duplo majore spatio circumscripsit. Porro cum eumdem velut

imaginem monarchiæ suæ proponere vellet, victorem eum omnis tyrannici generis præstitit, et impiorum gigantum extinctorem qui desperatæ mentis audacia impulsi, contra ipsum Deum, summum omnium regem, impietatis vexillum sustulerant. Verum hi quidem cum momento temporis extitissent, momento quoque ac dicto citius extincti sunt. Famulum autem suum Deus, qui unus est ac solus, cum solum adversus multos divina armatura muniisset, ejusque opera orbem terrarum impiorum hominum multitudine liberatum repurgasset, cultus sui magistrum universis gentibus constituit, clara voce cunctis audientibus testantem se verum quidem Deum agnoscere, falsorum autem numinum errorem aversari.

## CAPUT VI.

*Quod Dei quidem famulus, gentium autem victor fuerit.*

Et hic quidem tanquam bonus ac fidelis servus, id egit ac prædicavit; servum se palam nominans, summique Regis famulum se fateri non erubescens. Deus vero protinus ipsum remuneratus, dominum ac victorem, solumque ex omnibus qui unquam fuerunt imperatoribus, semper invictum atque insuperabilem præstitit; et ob victorias ac tropæa tantum imperatorem eum effecit, quantum nemo unquam superiori memoria ullum extitisse recordatur: adeo felicem et Deo charum, adeo pium ac fortunatum, ut plures quidem gentes ac nationes quam priores imperatores sub ditionem suam redegerit, imperium vero omni molestia vacuum ad extremum usque diem obtinuerit.

## CAPUT VII.

*Comparatio ejus cum Cyro Persarum et Alexandro Macedonum rege.*

Cyrum Persarum regem præ cunctis qui unquam extiterint enituisse vetus narrat historia : verum ille nequaquam felicem exitum vitæ, imo turpem potius atque ignominiosum sortitus esse dicitur; utpote a muliere interfectus. Alexandrum Macedonum regem innumerabiles gentes domuisse prædicant Græci, sed priusquam ad virilem ætatem pervenisset, comessationibus et temulentia confectum, immatura morte periisse. Et hic quidem duorum ac triginta annorum spatio totius vitæ cursum absolvit, quorum non plus quam tertiam partem tempus regni illius sibi vindicat : grassatus autem est per cædes instar fulminis, gentes atque urbes integras absque ullo ætatis discrimine crudeliter servituti subjiciens; sed cum vixdum in ipso ætatis flore ageret, et amasium suum lugeret, mors repente superveniens illum improlem, nulla stirpe, nulla fundatum domo, in externo et hostico agro, ne humanum genus diutius vastaret, extinxit : mox regnum ejus varia in membra divulsum est, singulis ejus ministris partem sibi rapere atque auferre contendentibus. Verum hic quidem ob hujusmodi mala laudibus effertur.

## CAPUT VIII.

*Quod orbem propemodum universum subegerit.*

Noster vero Imperator ex eo ætatis anno regnare orsus est quo Macedo ille decessit : ac vitæ quidem spatium duplo majus habuit quam ille; regni vero triplo longius. Cæte-

rum, cum exercitum suum mansuetis ac modestis religionis præceptis munivisset, in Britanniam quidem et in eos qui in ipso habitant Oceano ad solis occasum longe lateque diffuso, signa intulit. Scythiam vero universam, quæ, sub ipso septentrione posita, in plurimas gentes et nomine et moribus discrepantes dividitur, suo adjunxit imperio. Jam vero cum ad extremos meridiei fines imperium propagasset, ad ipsos nimirum Blemmyas et Æthiopas, eos quoque qui ad solis ortum incolunt in suam ditionem redigendos putavit. Denique ad ultimos usque continentis terminos, hoc est ad extremos Indos et circumsitos undique populos, cunctos mortales qui universum terrarum orbem incolunt, splendidissimis pietatis radiis illustrans, regulos, præfectos et satrapas gentium barbararum sibi obnoxios ac subditos habuit; qui sua sponte et cum gaudio ipsum salutabant, et legatos cum muneribus ad eum mittebant, ejusque notitiam atque amicitiam plurimi æstimabant : adeo ut eum in sua quisque provincia partim imaginibus, partim statuis publice dedicatis honoraret; solusque ex imperatoribus Constantinus, ubique terrarum notissimus esset ac celeberrimus. Igitur ad has usque gentes regiis allocutionibus Deum suum cum omni libertate prædicavit.

## CAPUT IX.

*Quod pii Imperatoris filius imperium filiis reliquit.*

Cæterum non id verbis quidem præstitit, re autem ipsa frustratus est; sed in omni genere virtutis semet exercens, variis pietatis fructibus abundavit, amicos quidem ingentibus beneficiis sibi devinciens, subditos vero clementiæ legibus moderans, et imperium suum placidum cunctis atque optabile exhibens : donec post longa annorum curricula, Deus

quem coluerat, variis illum certaminibus defessum immortalitatis præmiis remuneratus, ex mortali regno ad immortalem vitam sanctis animis apud se præparatam transtulit; trium liberorum sobole, qui in imperio ei succederent, excitata. In hunc igitur modum imperialis dignitas a patre quidem transmissa ad ipsum pervenit; jure autem naturæ liberis ac nepotibus servata, et in perpetuum deinceps tanquam paterna quædam hæreditas propagata est. Ac Deus quidem ipse, qui beatissimum illum principem adhuc nobiscum in terris agentem divinis honoribus sublimavit, eumdemque morientem eximia quadam prærogavita dignitatis ornavit, solus vitæ illius scriptor fuerit idoneus; quippe qui certamina illius resque præclare gestas in cœlestibus tabulis consecraverit.

## CAPUT X.

*Quod historia hæc necessaria, et ad formandos mores utilis sit.*

Ego vero tametsi tanti quidem viri felicitate dignum quidpiam dicere difficile admodum esse intelligam, silere autem tutum ac periculo vacuum; necessario nihilominus puto piisimi Principis imaginem, exemplo mortalis picturæ, verborum coloribus expressam, ad sempiternam posterorum memoriam consecrare, ut desidiæ atque inertiæ crimen a nobis depellamus. Me enim profecto puderet mei ipsius, nisi omnem meam industriam ac facultatem, licet admodum levis sit atque exigua, in hunc qui divinum Nomen summa observantia veneratus est, conferrem. Sed et ad communem hominum vitam utile, mihique imprimis necessarium hoc opus fore confido, quo generosissimi Imperatoris res gestæ, summo omnium imperatori Deo acceptæ, comprehenduntur. Quomodo enim turpe non fuerit, Neronis quidem et aliorum impiorum tyrannorum qui longe

illo deteriores fuerunt, memoriæ non defuisse diligentissimos scriptores, qui mala argumenta eleganti sermone exornantes, numerosis historiarum voluminibus condiderunt; nos vero silere, quibus Deus ejusmodi imperatorem qualem nulla unquam ætas vidit nancisci, et in ejus conspectum, notitiam ac colloquium pervenire concessit?

## CAPUT XI.

*Quod sola Constantini gesta quæ ad pietatem pertinent narraturus sit.*

Quamobrem si cuiquam alteri, nobis certe præcipue convenit, ut tot ac tanta quæ audivimus bona, iis nuntiemus quorum mentes bonorum operum exemplo ad amorem Dei excitantur. Quippe alii quidem vitam hominum minime gravium, et res gestas ad morum emendationem prorsus inutiles, aut gratia aut odio quorumdam, aut ad doctrinæ suæ ostentationem scribere aggressi, turpissimorum flagitiorum narrationem magnifico verborum apparatu aliter quam decuit amplificarunt; iis qui singulari Dei beneficio malorum expertes fuerant, pessimorum operum et quæ oblivione ac tenebris involvi debuerant, magistros se præbentes. At nobis oratio quidem ipsa quamvis suscepti operis magnitudini prorsus impar sit, sola tamen pulcherrimorum facinorum narratione illustrari posse videtur. Ipsa vero operum Deo acceptorum commemoratio, iis utique qui animum recte comparatum habuerint, non utilem sed imprimis fructuosam lectionem præbitura est. Itaque quamplurima alia quæ de hoc principe narrari possunt, conflictus et prælia, fortia facinora atque victorias, tropæa ac triumphos de hostibus partos; et quæ præterea ad singulorum utilitatem ab eo constituta sunt, leges ad subditorum et reipublicæ commo-

dum latas; alios denique plurimos principatus labores ab eo exantlatos, qui in omnium ore ac memoria versantur, prætereundos mihi nunc esse arbitror : quippe cum instituti operis argumentum admoneat me ut ea sola quæ ad Dei cultum pertinent dicendo ac scribendo persequar. Cæterum cum hæc ipsa numero pene infinita sint, ex iis quæ ad notitiam nostram pervenerunt opportunissima quæque duntaxat et posterorum memoria dignissima seligens, quam potero brevissime exponam; siquidem tempus ipsum hanc deinceps licentiam nobis concedit ut beatissimi Principis laudes quovis orationis genere libere prædicemus : nam antea quidem id facere nequaquam licebat, propterea quod vetitum est ne quemquam ante obitum ob incertas vitæ mutationes beatum pronuntiemus[1]. Proinde Deum adjutorem invoco, ac cœleste ejus Verbum precor, ut in hoc opere aspirare mihi velit. Ordiar autem a prima illius ætate in hunc modum.

## CAPUT XII.

*Quod Constantinus in tyrannorum ædibus, sicut Moses, educatus sit.*

Vetus narrat historia, gentem Hebræorum a sævissimis olim tyrannis oppressam fuisse; Deumque cum oppressos benigno ac propitio vultu respexisset, providisse ut propheta Moses, qui cum adhuc infans erat in mediis tyrannorum ædibus et in ipso eorum gremio educaretur, omnemque quæ apud illos erat sapientiam perdisceret, postea vero cum ille progressu temporis ad virilem pervenisset ætatem, et divina justitia quæ oppressis opitulari solet, pœnas ab iniquis tyrannis exposceret; tunc Dei propheta ex ipsis tyrannicis profectus ædibus, divinæ voluntati ministerium

[1] Eccli. xi, 30.

suum exhibuit : et ipsos quidem tyrannos a quibus fuerat educatus, re ac verbis aversatus est; eos vero qui revera fratres et cognati erant, amicos ac familiares elegit. Posthæc Deus cum illum totius gentis ducem constituisset, Hebræos quidem acerbissima apud hostes servitute liberavit; tyrannorum autem genus cœlitus inflictis suppliciis ejus opera ultus est. Vetus, inquam, hæc historia, instar fabulæ a multis accepta, omnium aures mortalium implevit. Nunc vero idem nobis Deus majora omnibus fabulis miracula ipsis oculis spectare concessit : quod genus spectaculi apud eos qui recens viderunt, omni auditione fide dignius habetur : nostra enim ætate tyranni quidem qui adversus Deum, summum omnium regem, bellum movere instituerant, ejus Ecclesiam graviter oppresserunt. Constantinus vero, qui postea tyrannorum interfector fuit, dum adhuc adolescens esset et juvenili lanugine decorus, in medio illorum, ut quondam ille Dei famulus Moses, in ipsis tyrannorum ædibus subsedit. Neque tamen eosdem cum impiis mores, tametsi admodum adolescens, sectatus est : quippe jam inde ab illa ætate egregia indoles divino Spiritu impulsa, ipsum ad piam Deoque acceptam vitam incitabat. Sed et patris æmulatio stimulos admovebat, qua ad virtutis et bonorum actuum imitationem juvenis provocabatur : pater siquidem ei fuit (nam et hujus memoriam opportune renovare congruum est) Constantius, imperatorum nostri temporis nobilissimus; de quo nonnulla quæ ad filii commendationem pertinent, breviter a nobis exponenda sunt.

## CAPUT XIII.

*De patre ejus Constantio, qui Christianos ut Diocletianus et Maximianus persequi noluit.*

Cum imperium Romanum a quatuor Augustis regeretur,

hic diversum a collegis suis vitæ institutum æmulatus, solus cum Deo rerum omnium moderatore pacem firmavit. Illi enim ecclesias Dei expugnare adorti, solo æquarunt, et oratoria una cum ipsis fundamentis aboleverunt : hic vero a nefaria illorum impietate puras manus atque integras servavit, nec se ullatenus eorum similem præstitit. Et illi quidem Dei cultorum, tam virorum quam mulierum, cædibus, tanquam civili quodam bello, provincias sibi subjectas polluerunt : hic vero animum ab hujusmodi scelere purum atque inviolatum semper servavit. Illi, coacervatis impiissimæ superstitionis malis, seipsos primum, ac deinde subditos omnes nequissimorum dæmonum fraudibus mancipaerunt : hic profundissimæ pacis intra imperii sui fines auctor ac signifer, subditis suis permisit ut absque ulla molestia divino cultui inservirent. Denique illi cunctos mortales gravissimis exactionibus opprimendo, vitam illis minime vitalem et quavis morte acerbiorem præstiterunt : solus Constantius placidum ac tranquillum principatum suum subditis exhibens, paterna quadam cura ac sollicitudine eos fovit. Porro cum aliæ quoque innumerabiles hujus viri virtutes ab omnibus prædicentur, uno et altero ejus facinore commemorato, ex quibus conjectura fieri possit de iis quæ silentio prætereuntur, ad propositum nobis scribendi argumentum transgrediemur.

## CAPUT XIV.

*Quomodo Constantius, exprobrata ipsi a Diocletiano paupertate, ærarium impleverit, et postea collatoribus pecuniam reddiderit.*

Cum hic princeps crebris hominum sermonibus celebraretur, quod mitis esset ac placidus, quod optimus Deique amantissimus, quodque, ob incredibilem erga subditos in

dulgentiam, nullam pecuniam in thesauris reconditam haberet; imperator, is qui tunc temporis supremum imperii gradum obtinebat, missis ad eum quibusdam hominibus, objurgavit in ejus republica gerenda negligentiam; et paupertatem ipsi probro vertit, hoc maxime argumento fidem dictis faciens, quod nihil in thesauris reconditum haberet. At ille eos qui ab imperatore venerant rogavit ut apud se aliquantisper morari vellent: deinde ex omnibus provinciis quæ ipsius imperio parebant convocato opulentissimo quoque, se pecunia opus habere iis significavit; hancque occasionem oblatam esse, qua suam quisque erga principem benevolentiam sponte declarare deberet. Illi vero, utpote qui jampridem in votis habuissent ut suum erga illum studium testificandi aliquando offerretur occasio, hoc audito, confestim auro, argento ac reliquis opibus thesauros ejus compleverunt; ambitiose certantes inter se ut se invicem in largiendo superarent: idque læto atque hilari vultu omnes præstitere. Post hæc Constantius homines a seniore Augusto ad se missos, thesaurorum suorum spectatores esse jussit, et ea quæ vidissent renuntiare: se quidem impræsentiarum hæc apud se congregasse; cæterum ea jampridem apud ipsos dominos tanquam apud fidos depositarum opum custodes sibi servari. Et hi quidem admiratione hujus rei perculsi sunt: humanissimus autem princeps post eorum discessum opum dominos accivisse dicitur, et obsequio illorum ac studio erga se magnopere laudato, jussisse ut cunctis opibus suis receptis domum reverterentur. Hoc igitur unum illius principis facinus est, quo singularis ejus humanitas perspicue declaratur: alterum facinus, illustre ejus erga Deum pietatis indicium præbet.

## CAPUT XV.

*De persecutione ab aliis concitata.*

Præsides provinciarum per universum orbem viros divino cultui deditos imperatorum jussu persequebantur; primique omnium ex ipsis imperialibus palatiis progressi Dei amantissimi martyres, pro religione certamina obierunt; ignem et gladios, marisque altissimos gurgites, et cuncta mortis genera alacri animo perpessi : adeo ut brevi temporis spatio cuncta imperatorum palatia cultoribus Dei viduata sint. Quo maxime factum est ut hujus sceleris auctores, Dei præsentia atque auxilio orbati remanerent : dum enim cultores divini Numinis persequuntur, eadem opera precationes pro semetipsis fieri solitas abegerunt.

## CAPUT XVI.

*Quomodo Constantius, simulans se simulacra colere, eos quidem qui sacrificare parati essent expulerit; illos vero qui se Christianos profiteri maluissent, in palatio retinuerit.*

Soli Constantio sapiens quoddam consilium venit in mentem : ac res quidem ipsa quam gessit, mirabilis est auditu; factu tamen longe admirabilior. Palatinis omnibus qui in ipsius aula militabant, ad ipsos usque judices in summis potestatibus constitutos, data eligendi utrum mallent facultate, hanc conditionem detulit, ut siquidem dæmonibus sacrificassent, manere ipsis in palatio et consuetis honoribus frui liceret; si vero id facere renuissent, ab ipsius aditu excluderentur, et ab ipsius notitia ac familiaritate remoti discederent. Cum ergo universi bifariam dirempti essent, aliusque in hanc, alius in illam partem discessisset, et unius-

cujusque propositum ac sententia explorata fuisset; tunc eximius princeps consilium suum, quod hactenus latuerat, detegens, illorum quidem timiditatem ac nimium sui ipsorum amorem condemnavit, hos vero ob devotam divino Numini conscientiam magnopere probavit. Ac deinde illos quidem tanquam Dei proditores, ne principis quidem obsequio dignos judicavit : Nam quomodo, inquit, fidem erga principem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur? itaque ejusmodi viros a regiis ædibus procul ablegandos esse censuit. Illos vero quos Deo dignos esse veritatis ipsius testimonio constaret, eodem erga principem animo futuros esse affirmans, protectores atque imperii ipsius custodes constituit; ejusmodi homines inter præcipuos amicorum et maxime necessarios habendos esse dicens, multoque pluris æstimandos quam maximarum opum thesauros.

## CAPUT XVII.

*De affectu et amore ejusdem Constantii erga Christum.*

Hujusmodi fuit Constantini pater, sicut a nobis breviter indicatum est. Qualis autem exitus vitæ illi contigerit, cum se talem erga Deum præstitisset, quantumque discrimen inter illum et reliquos imperii consortes is quem coluerat Deus esse voluerit, quisquis rem ipsam attentius expenderit facile cognoscet. Postquam enim multa regiæ virtutis indicia diutissime præbuisset, unum quidem summum omnium Deum agnoscens, eorum vero qui plures deos colerent impietatem condemnans, et sanctorum hominum precationibus domum suam undique munivisset, reliquum deinceps vitæ tempus expedite ac tranquille summa cum gloria exegisse dicitur; compos ejus felicitatis quam vulgo perhi-

bent in eo positam esse, ut neque ab aliis afficiamur, neque alios ipsi afficiamus molestia. Ad hunc igitur modum toto imperii sui tempore, quod æquabile perpetuo ac placidum fuit, universam familiam, conjugem scilicet ac liberos cum omnibus ministris, uni omnium regi Deo consecravit : adeo ut multitudo eorum qui in ipsius palatio simul versabantur, nulla re ab ecclesia Dei differret. Inter quos erant etiam ministri Dei, qui continuis precationibus pro salute principis Deum venerabantur; cum tamen vulgo apud alios ne ipsum quidem Dei cultorum nomen proferre fas esset.

## CAPUT XVIII.

*Quod post abdicationem Diocletiani et Maximiani Constantius primus Augustus fuit, numerosa prole insignis.*

Porro eas ob res non diu posthac mercedem a Deo est consecutus, in tantum ut primum imperii locum obtineret : nam cum seniores Augusti nescio quo pacto imperio se abdicassent, quæ repentina mutatio proximo post ecclesiarum eversionem anno illis contigit, solus exinde Constantius primus Augustus renuntiatus est. Qui initio quidem Cæsarum diademate cum Galerio decoratus, priorem gradum obtinuerat; postea vero cum in illa Cæsaris dignitate egregium sui specimen edidisset, summum apud Romanos honoris fastigium adeptus est, inter quatuor qui postmodum designati sunt primus Augustus appellatus. Sed et numerosæ sobolis præstantia reliquos imperatores superavit, maximo liberorum utriusque sexus choro circumdatus. Denique cum in extrema senectute positus, debitum communi naturæ persoluturus atque ex ac luce migraturus esset, ibi Deus admirabilem potentiam suam ei denuo exhibens, providit

ut filiorum ipsius natu maximus Constantinus jamjam morituro ad capessendum imperium præsto esset.

## CAPUT XIX.

*De filio ejus Constantino, qui adhuc adolescens una cum Diocletiano in Palæstinam venit.*

Quippe hic una cum imperatoribus patris sui collegis versabatur, et quemadmodum vetus ille Dei propheta Moses in medio illorum, sicut jam diximus, degebat. Cumque transacta pueritia jam adolescentiæ annos ingressus esset, summo in honore apud supradictos imperatores erat. Cujusmodi nos quoque eum vidimus, cum per Palæstinam provinciam transiret una cum seniore Augusto : ad cujus dextram assistens, cunctis qui videndi desiderio tenebantur præstantissimus apparebat, et qui regiæ cujusdam celsitudinis animi jam tum indicia præberet. Nam quod ad pulchritudinem et proceritatem corporis attinet, nemo erat qui cum illo conferri posset : sed et virium robore adeo inter æquales eminebat, ut ab illis etiam formidaretur. Animi vero virtutibus longe illustrior quam dotibus corporis fuit : ac primum quidem modestia animum exornavit, deinde humanioribus disciplinis; et tum innata prudentia, tum sapientia divinitus infusa non mediocriter eum excoluit.

## CAPUT XX.

*Constantinus propter Diocletiani et Galerii insidias ad patrem revertitur.*

At imperatores illius temporis, cum adolescentem viderent generosum ac fortem, magnumque et excelso animo præditum, invidia simul ac metu ob id torqueri cœpere :

itaque tempus opportunum captabant, ut malo atque ignominia juvenem afficerent. Id juvenis cum intellexisset (quippe insidiæ semel atque iterum ei comparatæ, Dei nutu detectæ fuerant), fuga salutem sibi quæsivit; magnum illum prophetam Mosem in hoc etiam imitatus. Porro Deus in omnibus illum adjuvit; providentia sua sic cuncta disponens, ut patri ad successionem imperii præsto esset.

## CAPUT XXI.

*Mors Constantii Constantinum Filium imperatorem relinquentis.*

Cum ergo evitatis insidiarum dolis, celeri cursu ad patrem profectus esset, ipse quidem post longum temporis spatium in patris conspectum venit. At Constantio sub idem tempus ultimus vitæ dies imminebat. Qui cum filium insperato sibi adesse cerneret, lecto exiliens, ambabus ulnis eum amplexus est : huncque unum quo angebatur dolorem, ex absentia scilicet filii conceptum, jam ex animo penitus excussum esse affirmans, gratias Deo maximas egit, posthac mortem omni immortalitate potiorem sibi esse testatus. Dispositis deinde ex arbitrio rebus suis, et vale dicto liberis suis utriusque sexus, qui instar cujusdam chori ipsum undique cingebant, in palatio et in regio cubili jacens, imperii administratione, ut naturalis ratio postulat, filio natu maximo in manus tradita, ex hac luce migravit.

## CAPUT XXII.

*Quomodo, elato Constantio, Constantinus a militibus Augustus appellatus sit.*

Neque tamen idcirco absque imperatore remansit respublica; quippe Constantinus paterna ornatus purpura, et ex

paternis ædibus progressus, Constantium patrem tanquam redivivum et in filio adhuc regnantem cunctis exhibuit. Post hæc funus paternum antecedens cum ingenti paternorum amicorum multitudine, quorum alii anteibant, alii subsequebantur, pulcherrimo apparatu exequias Deo devoti principis celebravit. Cuncti beatissimum imperatorem acclamationibus et laudibus prosequebantur, unoque animorum consensu mortuum principatu filii restitui atque in lucem revocari censebant; et faustis acclamationibus novum principem, imperatorem, Augustum, primo statim impetu appellabant. Et hæ quidem filium laudantium voces patri mortuo ornamentum afferebant; filium vero beatum prædicabant, qui tanti patris successor esset renuntiatus. Sed et omnes provinciæ ejus imperio subjectæ, maximo gaudio et inexplicabili lætitia perfusæ sunt; utpote quæ ne minimo quidem temporis momento imperiali providentia destitutas se fuisse sensissent. Hujusmodi piorum ac Dei amantium hominum exitum esse Deus in imperatore Constantio universis nostræ ætatis hominibus declaravit.

## CAPUT XXIII.

*Interitus tyrannorum brevis commemoratio.*

Qualis vero exitus fuerit aliorum qui ecclesias Dei tanquam indicto bello oppugnarunt, nequaquam hic commemorandum esse duxi, nec bonorum memoriam, malorum attexta commemoratione esse violandam. Sufficiunt certe res ipsæ, ad reprimendos et in officio continendos eos qui scenam omnem calamitatum quæ singulis illorum acciderunt, ipsis oculis atque auribus accepere.

## CAPUT XXIV.

*Quod Constantinus imperium Dei arbitrio sit consecutus.*

In hunc modum universorum auctor et totius mundi moderator Deus Constantinum tali parente genitum, principem atque imperatorem per se ipse provexit : adeo ut, cum cæteri omnes aliorum suffragio hunc honorem consecuti sint, solus hic fuerit de cujus promotione nemo mortalium gloriaretur.

## CAPUT XXV.

*Constantini de Britannis et barbaris victoriæ.*

Postquam igitur in imperio firmatus est, primum quidem Imperii partibus sibi a patre transcriptis prospicere cœpit; universas provincias quæ antea sub patris administratione fuerant, cum summa humanitate perlustrans. Sed et barbaros qui ad Rhenum et occidentalem Oceanum positi novos motus concitare ausi essent, cunctos suæ dominationi subjiciens, ex feris mansuetos reddidit. Alios vero reprimere contentus, tanquam feras bestias ab imperii sui finibus absterruit : eos videlicet quorum insanabiles animos ad tranquillam et quietam vivendi rationem traduci nullomodo posse animadverterat. Quibus ex animi sententia confectis, reliquas orbis partes sibi ob oculos proponens, interim quidem adversus Britannicas gentes in intimo Oceani recessu sitas trajecit. Eas vero cum subegisset, ad alias mundi partes oculos convertit, ut ea quæ auxilio ipsius indigebant persanaret.

## CAPUT XXVI.

*Quomodo Romam Maxentii tyrannide liberare decreverit.*

Post hæc universum terrarum orbem instar vasti cujusdam corporis animo complexus, ipsamque totius mundi caput et imperii Romani dominatricem urbem, tyrannica dominatione oppressam conspiciens; primum quidem eam vindicandi ac liberandi partes iis cessit qui reliquas imperii Romani portiones obtinebant, utpote ætate potioribus : sed cum nullus eorum opitulari posset, adeoque ipsi qui id tentare voluerant ignominiosum exitum nacti essent, vitam sibi minime vitalem esse professus si urbem omnium dominam tanta ægritudine affectam despiceret, ad extinguendam tyrannidem sese adcinxit.

## CAPUT XXVII.

*Quod Constantinus, eorum qui simulacra coluissent interitum considerans, Christianismum potius elegit.*

Jam vero cum intelligeret præter militares copias præstantiore aliquo subsidio sibi opus esse, ob maleficas artes magicasque præstigias quas tyrannus studiose consectabatur, Deum sibi adjutorem quæsivit; armorum quidem apparatum et militum copias secundo loco ducens, auxilium autem divini Numinis invictum et inexpugnabile esse sibi persuadens. Igitur cogitare apud se cœpit quemnam sibi Deum ascisceret. Quod dum sollicite inquirit, hæc illi subiit cogitatio : ex plurimis qui ante se imperium tenuerant, eos quidem qui in deorum multitudine spem suam collocassent, et qui victimis illos ac donariis coluissent, primum vaticiniis ad assentationem compositis, et oraculis fausta

omnia pollicentibus delusos, tandem infausto mortis genere interiisse; nec deorum quemquam præsto illis affuisse, qui eos invecto divinitus exitio liberaret : solum ipsius patrem, qui contrariam prioribus illis viam iniisset, et qui eorum quidem errorem condemnasset, unum vero supremum omnium Deum toto vitæ spatio coluisset, eumdem servatorem ac imperii custodem, et omnium bonorum auctorem habuisse. Hæc ille cum apud se expendisset, recteque animadvertisset illos quidem qui in deorum multitudine fiduciam posuissent, in multitudinem quoque exitiorum esse delapsos; adeo ut nec generis illorum ac sobolis, nec stirpis ac nominis, nec memoriæ ullum inter homines vestigium remanserit; contra vero Deum patris sui multa eaque illustria potentiæ suæ documenta ipsi præbuisse : cumque præterea considerasset, eos qui jam antea copias adversus tyrannum duxerant, cum deorum multitudine ad pugnam profectos, turpem exitum habuisse; alter enim re infecta cum omnibus copiis ignominiose recesserat; alter in medio exercitu jugulatus, tanquam fortuita mortis præda extiterat : hæc, inquam, omnia cogitatione sua complexus, deos quidem qui nusquam essent colendo nugari, et post tot ac tanta documenta cæco adhuc errore ferri, summæ dementiæ esse existimavit; solum vero Deum genitoris sui sibi esse colendum censuit.

## CAPUT XXVIII.

*Quomodo Deus oranti visionem ostenderit in cœlo sub meridiem, crucem videlicet lucidam cum inscriptione monente ut in hac vinceret.*

Hujus ergo opem implorare cœpit, orans atque obsecrans ut se ipsi noscendum præberet, ac præsentibus negotiis adjutricem manum porrigeret. Hæc precanti ac suppliciter

postulanti Imperatori, admirabile quoddam signum a Deo missum apparuit. Quod si quidem ab alio quopiam diceretur, haud facile auditores fidem essent habituri : verum cum ipse Victor Augustus nobis qui hanc historiam scribimus, longo post tempore, cum videlicet in ejus notitiam et familiaritatem pervenimus, id retulerit, et sermonem sacramenti religione firmaverit; quis posthac fidem huic narrationi adhibere dubitabit? præsertim cum id quod subsecutum est tempus, sermonis hujus veritatem testimonio suo confirmaverit. Horis diei meridianis, sole in occasum vergente, crucis tropæum in cœlo ex luce conflatum, soli superpositum, ipsis oculis se vidisse affirmavit, cum hujusmodi inscriptione : Hac vince. Eo viso et seipsum et milites omnes qui ipsum nescio quo iter facientem sequebantur, et qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos.

## CAPUT XXIX.

*Quomodo Christus Constantino in somnis visus, præceperit ut signo ad crucis formam facto uteretur in bellis.*

Interim ipse, ut aiebat, addubitare animo cœpit quidnam hoc spectrum sibi vellet. Cogitanti ipsi et diu multumque apud se reputanti, nox tandem supervenit. Tum vero Christus Dei dormienti apparuit cum signo illo quod in cœlo ostensum fuerat, præcepitque ut militari signo ad similitudinem ejus quod in cœlo vidisset fabricato, eo tanquam salutari præsidio in præliis uteretur.

## CAPUT XXX.

*Fabricatio ejus signi ad crucis similitudinem.*

Ille primo statim diluculo surgens, arcanum omne ami-

cis exposuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fabris, medius inter eos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque ut auro ac lapillis similitudinem ejus exprimerent. Quod et nos aliquoties videre meminimus.

## CAPUT XXXI.

*Descriptio signi instar crucis formati, quod Romani labarum vocant.*

Erat autem ejusmodi. Hasta longior, auro contecta, transversam habet antennam instar crucis. Supra in ipsa hastæ summitate corona erat affixa, gemmis et auro contexta. In hac salutaris appellationis signum; duæ videlicet litteræ nomen Christi primis apicibus designabant, littera ρ in medio sui decussata. Quas quidem litteras Imperator in galea gestare post hæc etiam consuevit. Porro ex antenna quæ oblique per hastam trajecta est, velum quoddam dependebat, textum videlicet purpureum pretiosis lapidibus inter se junctis, et luminis sui fulgore oculos præstinguentibus coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quamdam pulchritudinis speciem intuentibus præbens. Atque hoc velum antennæ affixum, latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipsa vero recta hasta ab infima sui parte in magnam longitudinem producta, in superiori parte sub ipso crucis signo ad ipsam veli variis coloribus depicti summitatem, auream Deo chari Imperatoris et liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus sublimem gestabat. Hoc igitur salutari signo, tanquam munimento adversus oppositas quorumvis hostium copias Imperator semper est usus; aliaque ad ejus similitudinem expressa signa cunctis exercitibus præferri jussit.

## CAPUT XXXII.

*Quomodo Constantinus catechumenus factus sacras Scripturas legerit.*

Sed hæc postea. Tunc vero admirabili visione obstupefactus, cum nullum alium præter illum quem viderat Deum sibi colendum esse statuisset, sacerdotes arcanæ illius doctrinæ mysteriis instructos ad se accersivit; et quisnam ille Deus esset interrogavit, quidve signi illius visio sibi vellet. Illi hunc quidem Deum esse dixerunt, unius ac solius Dei unicum Filium; signum vero illud quod ostensum fuisset, immortalitatis symbolum esse, et tropæum victoriæ quam ille in terris olim versatus, de morte retulisset. Simul causas illius adventus eum docuerunt, accuratam incarnationis rationem ei exponentes. At ille hos quidem sermones discendi cupidus auscultabat. Cæterum Dei præsentiæ suis conspectibus exhibitæ admiratione tenebatur. Cumque cœlestem illam visionem et sacerdotalium sermonum interpretationem inter se contulisset, confirmatus est animo; harum rerum cognitionem Dei ipsius magisterio sibi tradi pro certo habens. Exinde ipsemet divinorum Librorum lectioni vacare instituit; et cum sacerdotes Dei sibi assessores ascivisset, Deum illum quem viderat, omni observantia colendum esse duxit. Post hæc munitus spe bona quam in illo collocaverat, tyrannici furoris incendium restinguere aggressus est.

## CAPUT XXXIII.

*De adulteriis a Maxentio Romæ perpetratis.*

Quippe ille qui urbem regiam per tyrannidem occupaverat, eo impietatis ac flagitii processerat, ut quodvis nefarium

atque impurum facinus audacter susciperet. Etenim uxores per divortium a maritis sejunctas violavit, easdemque violatas ad maritos remisit. Neque vero homines obscuros atque ignobiles, sed ipsos primores senatus Romani, eo contumeliæ genere affecit. Cæterum cum innumeras fere mulieres ingenuas fœde violaret, immoderatam tamen animi sui libidinem nullatenus poterat explere. Sed postquam mulieres Christianas sollicitare cœpit, nullis artibus perficere potuit ut earum congressu frueretur; hæ namque animam letho objicere, quam corpus ei ad stuprum permittere malebant.

## CAPUT XXXIV.

*Quomodo uxor præfecti, pudicitiæ servandæ causa, mortem sibi conscivit.*

Quædam ex his, nupta senatorii ordinis viro qui præfecturam administrabat, cum satellites quibus tyrannus hujusmodi flagitiorum ministris utebatur, pro foribus adesse comperisset, et virum suum metu adactum permisisse illis ut se prehensam abducerent (erat autem mulier Christiana), breve temporis spatium concedi sibi flagitavit ad corpus solemni cultu exornandum : et cubiculum ingressa, solam se relictam videns, gladium pectori immersit; statimque exanimata, cadaver quidem perductoribus reliquit. Ipsis vero factis quæ omni voce clarius resonant, cunctis qui nunc sunt et qui posthac erunt mortalibus declaravit, pudicitiam penes solos Christianos invictam atque inexpugnabilem, nec morti obnoxiam esse. Atque hæc quidem itá se gessit.

## CAPUT XXXV.

*Cædes populi Romani jussu Maxentii.*

Eum igitur ad ejusmodi facinora cum omni audacia prorumpentem cuncti reformidantes, tam plebeii quam magistratus, tam nobiles quam obscuri, gravissima tyrannide opprimebantur. Ac tametsi quiete agerent, et acerbissimam servitutem patienter tolerarent, ne sic tamen vitare poterant cruentam tyranni atrocitatem. Denique quodam die levissimam ob causam populum Romanum prætorianis militibus obtruncandum dedidit : atque ita innumerabilis multitudo populi Romani, non Scytharum ac barbarorum, sed civium suorum hastis armisque in media urbe trucidata est. Quantæ porro senatorum cædes factæ sint ut in bona uniuscujusque eorum invaderetur, numerari nullo modo potest; cum quotidie plurimi confictis variis criminibus interficerentur.

## CAPUT XXXVI.

*Magicæ artes Maxentii, et alimentorum penuria Romæ.*

Tandem vero tyrannus sceleribus suis quasi quoddam fastigium, magicæ artis præstigias imposuit, nunc mulieres gravidas dissecans, nunc infantum recens in lucem editorum rimans viscera ; leones quoque interdum mactans, et quædam nefanda peragens sacra ad dæmones evocandos, et ad bellum quod jam instabat depellendum : his enim artibus victoriam se adepturum sperabat. Hic igitur dum Romæ tyrannidem exercet, vix dici potest quot quantisque malis subditos oppresserit atque in servitutem redegerit; adeo ut ad extremam trusi sint alimentorum penuriam,

qualem antea Romæ unquam fuisse nulla hominum nostræ ætatis memoria recordatur.

## CAPUT XXXVII.

*Maxentii exercitus in Italia superati.*

Ob hæc cuncta dolore ac miseratione commotus Constantinus, omni bellico apparatu adversus tyrannidem sese instruxit. Cumque summum omnium Deum patronum sibi ascivisset, Christumque ejus Filium servatorem atque auxiliatorem invocasset, et victoriæ tropæum, salutare scilicet signum, ante milites ac stipatores suos statuisset, cum omni exercitu progressus est, eo consilio ut Romanis libertatem quam a majoribus suis acceperant, interventu suo restitueret. Porro cum Maxentius, magicarum artium præstigiis magis quam subditorum benevolentia confisus, ne quidem extra urbis portas progredi auderet; cuncta vero in circuitu urbis Romæ ac totius Italiæ loca, oppida, regiones quas servitutis jugo oppressas tenebat, innumerabili armatorum multitudine et dispositis ad insidiandum exercitibus undique muniisset : divino fretus auxilio Imperator, primam, secundam ac tertiam tyranni aggressus aciem, cunctis primo statim impetu fusis ac fugatis, in interiora Italiæ penetravit.

## CAPUT XXXVIII.

*Maxentii interitus in ponte Tiberis.*

Tandemque ad ipsam urbem Romam propius accessit. Verum ne unius tyranni causa Romanos omnes oppugnare necesse haberet, Deus illum quasi vinculis quibusdam constrictum quam longissime extra urbis portas pro-

traxit : simulque prisca illa adversus impios edita miracula quæ sacris voluminibus continentur, et quibus multi quidem perinde ac fabulis fidem derogant, cum tamen fidelibus fide digna videantur, cunctis tam fidelibus quam infidelibus qui hoc miraculum quod dicturi sumus oculis suis spectaverunt, verissima esse opere ipso comprobavit. Nam quemadmodum Mosis ac religiosæ quondam gentis Hebræorum temporibus, Deus currus et exercitum Pharaonis projecit in mare, lectissimos milites ex curru pugnantes tristatas submersit in mare Rubro, et fluctibus operuit; sic plane Maxentius, et quicumque circa illum erant milites ac stipatores, instar lapidis in altissimum gurgitem ceciderunt : tunc videlicet cum divina virtute Constantini partibus auxiliante in fugam actus, fluvium sibi objectum pertransiret; in quo, ponte ex scaphis firmissime contabulato, ipse machinam quamdam in suam ipsius perniciem construxerat, Deo dilectum principem hujusmodi dolo interceptum iri sperans. Verum huic quidem Deus quem colebat auxilio affuit. At impius ille occultas machinas in suum ipsius caput miser comparavit. Proinde et hoc merito dici potuit : « Scrobem aperuit atque effodit; et in » foveam quam fecit ipse incidet : convertetur labor ejus » in proprium ipsius caput, et in verticem ipsius injustitia » ejus recidet. » Sic igitur machinis qui in ponte constructæ fuerant cum occulta decipula tempore minime sperato dissolutis, transitus quidem subsidere cœpit; navigia vero simul cum ipsis hominibus repente pessum iere. Et infelix ille omnium primus; deinde cuncti quos circa se habebat protectores ac stipatores, sicut divina prædixerunt Oracula, instar plumbeæ massæ in altissimum gurgitem cecidere : adeo ut milites qui tunc ope divini Numinis victoriam adepti sunt, perinde ac olim Israëlitæ quos magnus ille Dei famulus Moses ducebat, merito si non verbis, saltem rebus ipsis

eadem quæ illi quondam adversus impium illum Pharaonem cantaturi fuerint in hunc modum : « Cantemus Do-
» mino : magnifice enim glorificatus est. Equum et ascen-
» sorem projecit in mare. Adjutor et protector factus est
» mihi ad salutem. » Et iterum : « Quis similis tibi inter
» deos, Domine ? quis similis tibi ? Glorificatus in sanctis,
» admirabilis in gloria, faciens prodigia. »

## CAPUT XXXIX.

*Ingressus Constantini in urbem Romam.*

Hæc et alia horum germana cum Constantinus eo tempore magnum Dei famulum Mosem imitatus, in laudem Dei universorum principis et victoriæ auctoris factis ipsis cecinisset, Romam triumphans ingressus est. Omnesque pariter tam ex senatu quam ex equestri ordine, tanquam carceris custodia liberati, cum universo populo Romano, læto vultu faustisque acclamationibus cum inexplebili gaudio ex intimo animorum affectu eum excepere. Et cuncti tam viri quam mulieres cum liberis et infinita famulorum multitudine, illum liberatorem, servatorem ac bonorum auctorem, incredibili clamore quem nemo cohibere poterat appellabant. Verum ille pietatem in Deum quasi insitam sibi atque innatam gerens, nec hujusmodi acclamationibus nec laudibus elatus est. Sed cum Dei auxilium sibi affuisse probe intelligeret, illico victoriæ auctori gratiarum actionem supplex rependit.

## CAPUT XL.

*De Constantini statua crucem tenente, et de ejus inscriptione.*

Et clara voce ac titulorum inscriptionibus, salutare signum cunctis hominibus annuntiavit : hoc tropæo in medio

urbis regiæ adversus hostes erecto, atque hoc salutari signo quod imperii Romani ac totius orbis præsidium est, litterarum notis nunquam interituris inciso. Statim ergo sublimem hastam in modum crucis, sub manum statuæ suæ in celeberrimo urbis loco poni jussit, et hujusmodi inscriptionem latino sermone subjici : HOC SALUTARI SIGNO, QUOD VERÆ VIRTUTIS ARGUMENTUM EST, VESTRAM URBEM TYRANNICÆ DOMINATIONIS JUGO LIBERATAM SERVAVI; SENATUI POPULOQUE ROMANO IN LIBERTATEM ASSERTO PRISTINUM DECUS NOBILITATIS SPLENDOREMQUE RESTITUI.

## CAPUT XLI.

*Exultatio provinciarum, et largitiones Constantini.*

In hunc modum Dei amantissimus Imperator victricis crucis confessionem præ se ferens, Filium Dei Romanis libere atque ingenue prædicavit. Et cuncti qui urbem incolebant, tam senatus quam populus, utpote acerba et tyrannica dominatione liberati, respirare quodammodo et purioris lucis radiis perfrui sibi videbantur, atque in novam quamdam vitam renasci. Gentes quoque universæ quotquot occidentali Oceano terminantur, pristinis malis liberatæ, festos dies cum omni hilaritate celebrabant; Constantinum victorem, Dei amicum, de omnibus bene meritum continuis laudibus prædicantes. Eum cuncti commune quoddam bonum, Dei benignitate humano generi donatum illuxisse, uno ore atque una voce testabantur. Sed et Imperatoris litteræ ubique propositæ legebantur : quibus ii qui bonis suis spoliati fuissent, eorum possessionem beneficio principis recuperabant; et qui injuste relegati essent, penatibus suis restituebantur. Vinculis quoque et omni peri-

culo ac metu liberabantur ii qui per tyrannicam crudelitatem iis vexati fuissent.

## CAPUT XLII.

*Honores episcopis delati, et ecclesiarum extructiones.*

Porro ipse Imperator ministros Dei a se convocatos, omni obsequio atque honore prosequebatur; eos utpote Deo quem colebat consecratos, non verbis modo, verum etiam factis humaniter excipiens. Proinde mensæ ipsius adhibebantur homines externo quidem habitu ac vestitu despicabiles, sed quos ille minime despicabiles judicabat; quippe qui non externam hominis speciem quæ oculis subjecta est, sed Deum ipsum introspiceret. Ad hæc quocumque iter faceret, eos secum deducebat; Deum quem illi colerent, ob id etiam propitium sibi affore pro certo habens. Quin etiam ecclesiis Dei plurima ex-thesauris suis beneficia subministravit; partim sacras ædes amplificans et in sublime erigens; partim augusta ecclesiarum sacraria plurimis donariis exornans.

## CAPUT XLIII.

*De Constantini in pauperes beneficentia.*

Variis denique pecuniarum divisionibus egentium inopiam sublevans, extraneis præterea qui ipsum adirent, humanum se ac liberalem præbebat : ac miseris quidem illis et abjectis qui in foro mendicant, non pecunias solum et alimenta ad victum necessaria, sed etiam vestem ad tegendam corporis nuditatem suppeditari jussit. Illis vero qui cum ingenui atque opulenti prius extitissent, postea mutata sorte

in extremas calamitates inciderant, largiora vitæ subsidia commodavit : prorsusque regio animo magnifica quædam munera in ejusmodi homines conferens, aliis agros donavit, alios variis dignitatibus ornavit. Et eorum quidem qui in orbitatis miserias incidissent, quasi pater curam gerebat : viduarum autem mulierum solitudinem sublevans, eas patrocinio suo fovebat. Quin etiam virgines parentibus suis orbatas ipse hominibus opulentis ac familiaribus suis in matrimonium dedit. Idque agebat, cum prius dedisset nubentibus quæcumque ipsas viris suis conferre oportebat. Denique quemadmodum sol supra terras exoriens lucis suæ radios cunctis liberaliter impertit, sic plane Constantinus primo diluculo procedens ex palatio, ac cum cœlesti solis jubare quodammodo exoriens, cunctis adeuntibus beneficentiæ suæ radios impertiebat. Nec ullus unquam ad illum propius accessit, qui fructum alicujus beneficii non retulerit : nec spe sua unquam frustrati sunt, qui ab ipso aliquid auxilii expectassent.

## CAPUT XLIV.

*Quomodo synodis episcoporum interfuit.*

Ac generaliter quidem erga omnes talem se præstitit. Verum Ecclesiæ Dei præcipue curam gerens, cum per diversas provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium episcopus a Deo constitutus, ministrorum Dei concilia congregavit. Nec dedignatus adesse et considere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuit; ea quæ ad pacem Dei pertinent cunctis procurans. Porro sedebat in medio tanquam unus e multis; protectores quidem cunctosque corporis custodes procul amovens, Dei autem timore contectus, et amicorum fidelium bene-

3.

volentia vallatus. Cæterum quoscumque saniori sententiæ acquiescere, et ad quietem et concordiam propensos esse animadverterat, eos maxime probabat; palam indicans unanimi omnium consensu se imprimis delectari. Pertinaces vero et immorigeros aversabatur.

## CAPUT XLV.

*Quomodo insipientes toleraverit.*

Quin etiam nonnullos qui adversus ipsum asperius invecti fuerant, patienter tulit; leni ac sedata voce eis præcipiens ut modestius agere, nec seditiones excitare vellent. Ex his alii admonitiones ejus reveriti, a pervicacia animi desistebant. Alios qui ad sanam mentem nullo remedio revocari poterant, Deo committens relinquebat; nihil adversus quemquam asperius unquam designans. Hanc ob causam, ut credibile est, qui in Africa seditionem commoverant, eo improbitatis proruperunt, ut abrupta quædam facinora tentarent; dæmone ut videtur ob præsentium bonorum copiam invidia percito, et ad gravia quædam et atrocia facinora homines incitante, quo Imperatoris animum contra ipsos accenderet. Verum nihil profecit invidia, cum Imperator ea quæ fiebant ridenda esse duceret, et maligni dæmonis impulsionem agnoscere se affirmaret : neque enim sanorum hominum illa esse facinora, sed vel penitus amentium, vel eorum qui nequissimi dæmonis stimulis agitarentur : cujusmodi homines miseratione potius quam supplicio dignos esse; non enim tantæ justitiæ est insurgere ad puniendum furorem hominum amentium, quantum eorumdem vicem dolere, extremæ humanitatis est.

## CAPUT XLVI.

*Victoriæ de Barbaris relatæ.*

Et Imperator quidem ad hunc modum in omnibus suis actibus Deo omnium inspectori cultum exhibens, ecclesiis ejus inconcussa sollicitudine providebat. Deus vero ei vicem rependens, cunctas fere barbaras gentes pedibus illius subjecit; adeo ut tropæa ubique de hostibus erigeret. Illum victorem apud omnes mortales illustri præconio renuntiavit; illum formidabilem inimicis et hostibus reddidit, quamvis suapte natura minime talis, sed potius mansuetissimus, lenissimus atque humanissimus esset omnium mortalium.

## CAPUT XLVII.

*Mors Maximiani, et aliorum quorum insidias Deo revelante Constantinus deprehenderat.*

Hæc dum ab eo geruntur, alter eorum qui se imperio abdicaverant, cum insidias in ejus necem compararet, deprehensus turpissimo mortis genere interiit. Primusque hic est cujus, utpote impii ac scelerati hominis, imagines omnes et statuæ, cæteraque id genus monumenta quæ honoris causa erigi solent, ubique terrarum dejecta sunt. Post hunc alii quoque propinquitate generis conjuncti, cum occulte ei insidiarentur, deprehensi sunt; Deo scilicet cuncta illorum consilia mirabili quodam modo per visiones famulo suo detegente : nam et præsentiam suam ei sæpius exhibere dignatus est, divina scilicet specie per summum miraculum ei apparente, ac futurarum rerum præscientiam ipsi suggerente. Et inexplicabilia quidem illa divinæ gratiæ miracula, quæ Deus ipse famulo suo præstare dignatus est,

ne comprehendi quidem dicendo facile possunt. Quibus ille munitus, reliquum tempus ætatis tutissime traduxit; tum ex subditorum benevolentia maximam capiens voluptatem; tum ex eo quod cunctos imperio suo subjectos in summa tranquillitate ac lætitia degere videbat; tum præcipue ob splendorem ecclesiarum Dei incredibili gaudio gestiens.

## CAPUT XLVIII.

*Constantini decennalia.*

Dum in hoc statu esset, decimus imperii ejus annus evolutus est. Cujus rei causa festis diebus per universum orbem Romanum celebratis, preces cum gratiarum actione tanquam puras victimas, ignis et nidoris expertes, Deo omnium regi obtulit. Et ex his quidem maximam animo capiebat voluptatem; sed non perinde eum oblectabant nuntii illi qui de provinciarum Orientis vastatione afferebantur.

## CAPUT XLIX.

*Quomodo Licinius Orientem afflixerit.*

Etenim immanis quædam bellua tum Ecclesiæ Dei, tum reliquis provincialibus illic insidiari nuntiabatur; cum nequissimus dæmon, quasi æmulatione succensus, iis quæ ab Imperatore Dei amantissimo gerebantur contraria facere studeret : adeo ut imperium Romanum, duas in partes divisum, nocti ac diei simile esse omnibus videretur; quippe Orientis quidem incolas caligo noctis premebat, eos vero qui Occidentis partes habitabant serenissimus illustrabat dies. Qui cum infinitis bonis a Deo sibi conciliatis fruerentur, non tulit id maligni dæmonis invidia bonis omnibus

infesta : sed neque tyrannus qui alteram partem orbis Romani dominatione sua opprimebat, id ferendum putavit. Qui cum res suas prospero cursu ferri videret, tantique Principis affinitate esset honoratus, religiosi quidem Imperatoris exemplum sequi neglexit, impiorum vero instituta atque improbos mores studuit imitari; et quorum miserabilem vitæ exitum suis ipse oculis conspexisset, eorum consilia sequi maluit, quam in amicitia et concordia cum eo qui præstantior erat ac potior, permanere.

## CAPUT L.

*Quomodo Licinius Constantino insidiatus sit.*

Bellum igitur inexpiabile homini bene de se merito intulit; nec amicitiæ jura, nec sacramentorum religionem, nec generis necessitudinem, nec fœdera in memoriam revocans. Nam Constantinus quidem, utpote benignissimus princeps, quo sinceræ benevolentiæ certissimum ei argumentum daret, paternæ stirpis nobilitatem, et imperatorii jam inde a majoribus generis splendorem ei communicaverat, sorore sua in matrimonium data; totiusque imperii Romani consortio eumdem frui permiserat. Licinius vero, plane his contraria animo volvens, adversus præstantiorem occultis artibus grassabatur; varia subinde insidiarum genera comminiscens, ut bene meritum malis remuneraretur. Ac principio quidem amicitiam simulans, dolo ac fraude cuncta agebat, sperans fore ut consilia sua laterent : verum Deus insidias quæ clanculo struebantur, famulo suo detexit. At Licinius in primis conatibus deprehensus, ad secundas fraudes se contulit; nunc amicitiæ fidem prætendens, nunc fœderum ac sacramentorum religione fidem sibi concilians; deinde pacta conventa repente violans, rursusque

per legatos veniam poscens; ac denuo mendaciis fœde illudens. Tandem vero bellum palam indixit, et desperata mentis audacia incitatus, adversus Deum ipsum, cujus cultui imperatorem Constantinum deditum esse cognoverat, arma deinceps ferre instituit.

## CAPUT LI.

*Licinii insidiæ adversus episcopos, et prohibitio synodorum.*

Ac primum quidem Dei ministros sub ditione sua degentes, qui nihil unquam criminis adversus imperium ipsius commiserant, obscure et callide circumvenit, varias adversus eos calumnias investigans; cumque nullum ipsi crimen suppeteret, nec haberet quod viris illis posset objicere, lege lata præcepit ne episcopi uspiam inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius sibi vicini ecclesiam ventare liceret, et synodos ac concilia de communibus negotiis habere. Verum hæc illi ad nos vexandos occasio quærebatur : nam si quidem nostri legem violassent, pœnam subire eos oportebat; sin præcepto paruissent, ecclesiasticas leges convellit : neque enim majoris momenti controversiæ aliter quam per synodos componi possunt. Et alioqui Deo infestus tyrannus, cum principi Dei amantissimo adversari in omnibus studeret, hæc nostris imperavit : nam Constantinus quidem sacerdotes Dei, pacis et concordiæ mutuæ causa in unum convocabat, idque in honorem ejus cui sacra faciebant. Licinius vero dum optima quæque convellere molitur, concentum Ecclesiarum turbare tentavit.

## CAPUT LII.

*Christianorum exilia et proscriptiones.*

Et quoniam Deo charus Constantinus famulos Dei in palatium libenter admittebat, hostis Dei Licinius contraria omnia sentiens, cunctos Dei cultores qui sub imperio suo degebant, palatio expulit; et quos in comitatu suo habebat fidissimos ac devotissimos, eos præcipue in exilium relegavit : quique ob egregia facinora vel honore aliquo vel dignitate ab ipso antehac fuerant ornati, hos aliis servire, et famulorum ministeria obire mandavit; cumque omnium bona tanquam lucrum aliquod sibi oblatum rapuisset, ad extremum mortem quoque minatus est iis qui salutare sibi nomen Christianæ religionis assumerent. Porro cum in omnem libidinem ac lasciviam effusus esset, multaque adulteria aliaque detestandæ obscenitatis flagitia committeret, pudicitiæ et continentiæ honestatem ab hominibus præstari neutiquam posse censuit; de communi hominum natura ex suomet ipsius morbo pessime judicans.

## CAPUT LIII.

*Edictum Licinii, ne mulieres una cum viris in ecclesiam convenirent.*

Idcirco alteram legem tulit, qua jubebat ne viri orandi causa in ecclesiam Dei simul cum mulieribus convenirent, neve mulieres ad venerandas virtutis scholas discendi causa ventarent; postremo ne episcopi divinæ religionis præcepta mulieribus traderent, sed ut mulieres ad id electæ docendis mulieribus præficerentur. Quæ cum ab omnibus riderentur, aliud quidpiam commentus est ad Ecclesiarum eversionem : jussit enim ut solemnes populorum conven-

tus extra portas in aperta planitie celebrarentur; asserens liberum extra portas aërem turbis longe commodiorem esse, quam oratoria intra urbem sita.

## CAPUT LIV.

*Quomodo eos qui sacrificare renuissent militia solvit, et carcere inclusos ali vetuit.*

Verum cum ne in hoc quidem obsequi sibi illos videret, tandem rejectis ambagibus, nudo quod aiunt capite, decrevit ut milites qui per singulas urbes apparebant judicibus, nisi dæmonibus sacrificare mallent, ab apparitione præsidialis officii removerentur. Proinde officia magistratuum per singulas provincias viris piis ac religiosis nudabantur. Sed et ipse qui hanc legem tulerat, nudabatur orationibus sanctorum virorum, quibus semetipse privarat. Quid præterea commemorare attinet quo pacto præceperit ne miseris in carcere detentis alimenta quisquam subministraret, neve quis homines in vinculis fame contabescentes miseratione prosequeretur; hoc est, ne quis omnino vir bonus existeret, neve ii qui ad proximorum miserationem natura ipsa dicuntur, boni quidquam præstarent. Fuit hæc profecto lex palam impudens et immanissima, omnemque morum feritatem facile superavit. Quinetiam legi adjecta erat hæc pœna, ut qui inclusis stipem dedissent, pari cum ipsis supplicio plecterentur; utque in carcerem et vincula conjecti eamdem cum noxiis pœnam subirent, qui humanitatis officia eis præstitissent.

## CAPUT LV.

*De iniquitate et avaritia Licinii.*

Hujusmodi fuere constitutiones Licinii. Quid vero opus est recensere quæ in nuptiis aut circa morientes innovavit; vetustas Romanorum leges, recte et sapienter constitutas, ausus abolere, et barbaras quasdam atque immanes planeque illegitimas et iniquas leges illarum loco substituere? Mille præterea exactionum genera adversus subditos excogitavit. Quocirca novas agrorum mentiones adinvenit, ut exigui agri majorem imputaret modum, ob inexplebilem cupiditatem nimiarum exactionum. Ideo rusticorum qui superstites amplius non erant, sed jampridem obierant, nomina in censualibus tabulis inscribebat, turpis lucri hinc compendium captans. Neque enim sordida hominis parcimonia ullum habebat modum, nec habendi cupiditatem satietas finiebat. Itaque cum auro et argento et immensa opum copia thesauros suos implesset, gemens de paupertate sua querebatur; Tantalico quodam morbo vexatus. Quid referam exilia quibus viros innocentes damnavit? quid bonorum publicationes? quid nobiles ac præcipuæ dignitatis homines in carcerem abductos, quorum uxores sceleratis quibusdam mancipiis constuprandas dabat? quid mulieres nuptas, quid virgines recenseam, quibus ipse, licet affecta jam ætate, vim inferre tentavit? Nihil opus est in his commemorandis diutius immorari, cum postremorum ejus facinorum gravitas, ut priora hæc levia ac prope nulla viderentur effecerit.

## CAPUT LVI.

*Quomodo persecutionem adversus Christianos tandem excitaverit.*

Denique eo furoris processit, ut ecclesiis bellum inferret, ipsosque episcopos adoriretur, quos maxime sibi adversos esse intelligebat; pro inimicis habens eos qui maximi Deoque charissimi Imperatoris amici essent. Ob quam præcipue causam furorem suum in nos exacuit, a recta ratione desciscens. Nec exemplum eorum qui ante ipsum Christianos fuerant persecuti, in memoriam sibi revocavit; nec illorum quorum ob impia facinora ultor ipse atque extinctor fuerat constitutus. Nec animo et cogitatione recoluit ea quorum ipse spectator extiterat, tunc cum illum omnium malorum antesignanum, quisquis ille tandem fuit, inflicta divinitus plaga percussum suis ipse oculis conspexit.

## CAPUT LVII.

*Qualiter Maximianus fistuloso ac verminante ulcere perdomitus, pro Christianis legem scripserit.*

Nam cum hic Ecclesias oppugnare exorsus fuisset, primusque justorum ac Dei cultorum cædibus animum suum contaminasset; merito eum divina ultio corripuit, ab ipsis exorsa carnibus, et ad animam usque progressa. Repente enim in medio occultiorum corporis partium abcessus ei nascitur, ulcus deinde in imo fistulosum. Utriusque insanabilis morsus intima viscera depascebatur : ex his incredibilis vermium multitudo scaturiens, lethalem exhalabat fetorem; quippe illi tota corporis moles, ob nimiam alimenti copiam, in immensam quamdam pinguedinem conversa erat, quæ tunc temporis in tabem soluta, horrendum et in-

tolerabile spectaculum astantibus præbuisse fertur. Tot igitur quassatus malis, tandem intelligere cœpit quæ contra Ecclesiam scelera admisisset. Post hæc errorem suum Deo confessus, persecutionem Christianorum cohibere, et regalibus edictis ac legibus emissis, ecclesias eorum quantocius ædificari, ipsosque Christianos sacra sua solito more peragere, et pro Imperatore preces ad Deum fundere jubet.

## CAPUT LVIII.

*Qualiter Maximinus Christianorum persecutor, fugiens servili habitu sese occultaverit.*

Verum hic quidem qui persecutionis auctor fuerat, hujusmodi pœnas luit. Is vero de quo nunc loquimur Licinius, qui horum testis ac spectator extiterat, et qui cuncta accurate experientia ipsa docente cognoverat, repente omnium oblitus, nec supplicium priori huic irrogatum animo reputavit, nec quas divina justitia de posteriore altero sumpserat pœnas. Qui quidem cum priorem illum tanquam in quodam scelerum certamine superare ambitiose contenderet, novorum adversus nostros suppliciorum inventione gloriabatur : neque enim ignis aut ferrum, non clavorum suffixiones, non bestiarum laniatus, nec maris altissimi gurgites ei suffecerunt. Sed præter hæc omnia novum quoddam supplicii genus ipse commentus, membra quibus lucis usuram percipimus, mutilari lege lata præcepit. Statim igitur conferta agmina non virorum modo, verum etiam puerorum ac mulierum, dextris oculis et juncturis pedum, partim ferro, partim cauterio debilitatis, trusa sunt ad metalla, ut diuturno labore ibidem vexarentur. Ob quam causam et hunc quoque non multo post ulta est divina justitia, tunc cum dæmonum (quos quidem ille deos putabat) fidu-

cia, et innumerabili armatorum multitudine fretus, prælium commisit; quippe tunc omni spe divini nudatus auxilii, imperialem cultum minime ipsi convenientem abjecit; deinde vulgarium turbæ immixtus, timide prorsus atque ignave fuga salutem sibi quæsivit, et per agros ac vicos sese occultans, sub habitu servili latere se posse existimavit. Verum magnum illum et universum spectantem Providentiæ oculum subterfugere non valuit : cum enim salutem suam in tuto jam locatam esse censeret, ardente Dei percussus telo, pronus in terram cecidit; totumque ejus corpus inflicta cœlitus plaga adeo consumptum est, ut pristinæ formæ species omnis aboleretur, solaque ossa arefacta instar simulacri cujusdam superessent.

## CAPUT LIX.

*Quomodo vi morbi excæcatus Maximinus, legem pro Christianis dedit.*

Porro sæviente acrius Dei plaga, oculi tandem ei exilierunt, et ex propria sede avulsi, cæcum eum dimiserunt; eadem justissime perpessum supplicia quæ adversus martyres Dei primus excogitarat. Post hæc nihilominus adhuc spirans, ipse quoque a Christianorum Deo veniam poposcit, bellum se divinitati intulisse palam confessus. Nec aliter ac prior ille palinodiam cecinit; legibus et constitutionibus editis, quibus errorem suum in colendis illis quos existimasset deos, ingenue professus est, unumque Christianorum Deum expertum se nosse testatus. Hæc cum Licinius non aliorum sermone didicisset, sed factis ipsis percepisset, tamen velut densa quadam caligine animo ejus offusa, eadem quæ illi agere instituit.

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT I.

*Occulta persecutio Licinii, et cædes episcoporum apud Amasiam urbem Ponti.*

Ad hunc modum supradictus Licinius in impiorum barathrum præceps ruit; et quorum ob res impie gestas exitium suis ipse oculis aspexerat, eorum exemplum in suam ipsius perniciem æmulatus, persecutionem Christianorum, quasi flammam quamdam jam sopitam, denuo excitavit; et multo gravius quam priores impietatis conflavit incendium. Ac primum quidem tanquam mala bestia, et tortuosus quidam serpens in seipsum convolutus et furorem atque hostiles adversus Deum minas spirans, Ecclesiis Dei sub imperio suo constitutis bellum palam inferre, ob Constantini metum, minime ausus est; sed improbitatis virus abscondens, occultas insidias certis duntaxat in locis adversus episcopos comparavit, et ex his probatissimum quemque, compositis per provinciarum rectores calumniis, interfecit. Porro cædis illorum modus novus nec unquam antea cognitus fuit : certe quæ apud Amasiam gesta sunt, omnem crudelitatis modum transcendunt.

## CAPUT II.

*Ecclesiæ dirutæ, et episcopi trucidati.*

Qua in urbe ecclesiæ Dei, aliæ iterum post priorem illam expugnationem æquatæ sunt solo ; aliæ clausæ a præsidibus provinciarum, ne quisquam eorum qui eas adire consueverant eo conveniret, neve solemnem cultum Deo exhiberet. Neque enim qui hæc jubebat precationes illic pro se fieri opinabatur, scelerum scilicet conscientia in eam opinionem adductus ; sed nos pro Constantino cuncta agere, ac divino Numini supplicare sibi persuaserat. At præsides, utpote assentatores atque adulatores, cum rem gratam imperatori facere se pro certo haberent, optimos quosque ecclesiarum antistites capitali supplicio addixerunt. Itaque viri qui nihil mali commiserant, absque ulla causa abducebantur, et puniebantur perinde ac sicarii. Nonnulli novum quoddam mortis genus pertulerunt, corpore in multas partes frustatim conciso ; et post atrox illud omnique tragico figmento horribilius spectaculum, ut piscibus cibum præberent in altissimum mare projecti. Post hæc Dei cultores fugam denuo inire cœperunt ; iterum agri, iterum solitudines famulos Dei suscepere. Quæ dum ad hunc modum tyranno succederent, deinceps persecutionem adversus omnes Christianos excitare in animum induxit : ac procul dubio voti sui compos extitisset, nec ei quidquam obstitisset quominus rem ad exitum perduceret, nisi famulorum suorum propugnator Deus, id quod futurum erat celerrime præveniens, Constantinum famulum suum tanquam splendidum lucis jubar, in profunda caligine et in obscurissima nocte subito ostendisset, eumque quasi manu apprehensum has in partes perduxisset.

## CAPUT III.

*Quomodo Constantinus Christianorum causa quos Licinius persequi parabat, commotus sit.*

Qui cum hujusmodi rerum nuntium ad aures suas perlatum, non amplius dissimulandum esse intelligeret, sobriæ mentis vigorem collegit; et severitatem morum cum innata miscens clementia, iis qui opprimebantur auxilium ferre properavit; pium sanctumque facinus habendum esse judicans, cum uno e medio sublato totum fere hominum genus incolume servatur. Sic enim apud se reputabat, si ipse summa clementia uteretur, et hominis nulla miseratione digni misereretur, illi quidem nihil id profuturum, quippe qui a pravis moribus et institutis nullatenus discederet, quin potius rabiem adversus subditos intenderet; oppressis vero nullam amplius spem salutis relinqui. Hæc Imperator cum apud se reputasset, iis qui in extremas calamitates incidissent absque ulla dilatione salutarem dextram porrigere decrevit; et militarium quidem copiarum atque armorum ingentem apparatum coëgit. Jamque aderant universa tam equitum quam peditum agmina in unum congregata : cunctis vero præibant insignia fiduciæ in Deum, signum videlicet illud quod supra memoravimus.

## CAPUT IV.

*Quod Constantinus cum precibus, Licinius vero cum vaticiniis se ad bellum parabat.*

Cumque precationibus, si unquam antea, sese tunc maxime indigere intelligeret, sacerdotes Dei secum duxit; eos velut optimos animæ custodes adesse coram et secum ver-

sari debere existimans. Unde cum tyrannus audiisset Constantinum non aliter quam divino auxiliante Numine victoriam de hostibus parare, et eos quos dixi ei perpetuo adesse unaque versari, salutaris quoque passionis signum, et ipsum et universum ejus exercitum antecedere; hæc, utpote impius, risu digna esse censebat, Constantinum subsannans et contumeliosis appetens verbis. Ipse vero divinos et vates Ægyptiorum, veneficos et impostores, sacrificulos denique ac prophetas falsorum quos colebat deorum sibi adjunxit. Deinde sacrificiis placans illos quos existimabat deos, sciscitabatur ex illis quemnam belli exitum esset habiturus : at illi sine controversia victorem hostium et superiorem in bello fore responderunt ; cunctis ubique oraculis uno consensu hæc illi per prolixa et elegantia carmina promittentibus. Sed et somniorum interpretes per somnia, et aruspices per viscerum motum similia portendi affirmabant. Horum itaque fallacibus pollicitationibus inflatus, cum ingenti fiducia progressus est ad castra, seque ad pugnam ineundam instruxit.

## CAPUT V.

*Quid de simulacris et de Christo Licinius dixerit, dum in luco sacrificaret.*

Cum vero bellum jam orsurus esset, ex protectoribus et honoratioribus amicis lectissimos quosque in quemdam locum qui ab ipsis sacer habebatur, coëgit. Lucus hic erat irriguus et opacus, in quo plurimæ statuæ eorum quos ille deos putabat, sculptæ ex lapide visebantur. Hic cum cereos accendisset et solemni ritu sacrificasset, hujusmodi verba habuisse dicitur : « Viri amici et commilitones, hi quidem quos colimus et quos ab ultimis usque majoribus colendos

accepimus, dii sunt patrii. Iste vero qui adversarum nobis partium copias ducit, moribus institutisque majorum violatis, ad impiam nullos credentium deos opinionem descivit; peregrinum quemdam nescio unde quæsitum temere amplectens Deum. Quinetiam turpissimo ejus signo exercitum suum dehonestat; eoque confisus, non tam adversus nos quam adversus ipsos quos violavit deos, armatus procedit. Præsens igitur dies manifeste arguet uter nostrum cæco errore ducatur, et de diis qui apud nos aut qui ab adversarum partium hominibus coluntur, judicium feret. Aut enim concessa nobis victoria, deos nostros vere servatores atque auxiliatores esse jure merito declarabit : aut si diis nostris, qui quamplurimi sunt et multitudine nunc utique antecellunt, unus ille nescio unde profectus Constantini Deus superior extiterit, nemo post hæc in dubium revocet quisnam colendus sit Deus, sed ad potiorem accedat, eique victoriæ præmium deferat. Ac si quidem peregrinus ille, quem nunc ludibrio habemus, victor esse videbitur, nos quoque illum agnoscere et colere oportebit, procul abire ac valere posthac jussis iis quibus cereos frustra accendimus. Sin vero nostri superiores extiterint, quod quidem nemini dubium esse potest, post partam hoc loco victoriam, impiis deorum contemptoribus bellum inferre aggrediemur. » Et Licinius quidem ante exordium pugnæ, ad circumstantes hujusmodi verba fecit : nobis vero qui hæc scribimus, ipsi illi qui orationi ejus interfuerant, non multo post eam retulerunt. Hujusmodi igitur oratione facta, jussit militibus ut prælium inirent.

## CAPUT VI.

*Spectra in urbibus quæ Licinio parebant visa, Constantini militum Licinianos persequentium.*

Quæ dum geruntur, spectrum quoddam prorsus mirabile in urbibus tyranni illius dominationi subjectis apparuisse ferunt : varia enim Constantini militum agmina per meridiem visa, quæ tanquam parta victoria per urbes transirent. Atque hæc cernebantur, reipsa quidem nemine usquam comparente ; sed divina potentia per visionem illam quæ oculis subjiciebatur, id quod futurum erat præmonstrante. Porro cum exercitus congredi jam pararent, is qui concordiæ fœdera ruperat, primus pugnam exorsus est. Tunc vero Constantinus Servatore ac supremo omnium Deo in auxilium vocato, atque hoc signo militibus suis dato, hostes primo prælio fudit. Nec multo post altera commissa pugna, iterum superior discessit, et longe majorem victoriam retulit ; cum salutare crucis tropæum exercitum ipsius antecederet.

## CAPUT VII.

*Ubicumque in prœliis crucis signum affuit, partam esse victoriam.*

Certe ubicumque hoc signum conspectum fuerat, continuo fuga hostium, victoribus terga illorum prementibus, sequebatur. Quo Imperator comperto, sicubi agmen aliquod exercitus sui premi animadverteret, illico salutare tropæum tanquam efficacissimum quoddam ad parandam victoriam amuletum inferri jubebat : quo facto, statim victoria sequebatur ; divina utique virtute animos viresque pugnantium confirmante.

## CAPUT VIII.

*Quod quinquaginta viri electi sunt qui crucem portarent.*

Itaque lectis ex protectorum numero quotquot corporis viribus et animi fortitudine ac veræ religionis institutis præstare videbantur, unum hoc munus imposuit, ut signi hujus assidue curam gererent. Erant omnes quinquaginta viri, quorum nullum aliud erat officium quam circumstare et satellitio suo custodire signum, quod singuli humeris suis alternatim gestabant. Hæc Imperator ipse nobis qui hanc historiam scribimus, dum in otio ageret, narravit, longo post tempore quam hæc contigerant : simulque rem quamdam adjecit memoratu dignissimam.

## CAPUT IX.

*Quod ex cruciferis is quidem qui fugit interfectus est ; qui vero fideliter permanserat, incolumis evasit.*

Nam « Cum forte, inquit, inter pugnandum ingens strepitus exercitum conturbasset, is qui hoc signum humeris ferebat, metu perculsus, alteri gestandum tradidit, ut ipse discrimen evaderet. Vix alter ille signum gestandum susceperat, cum ecce is qui se subripiens custodiam signi deseruerat, telo in ventre percussus occubuit. Et hic quidem, ignaviæ atque infidelitatis suæ pœnas persolvens, ibidem jacuit exanimis. At salutare crucis tropæum, ei qui ipsum sublime gestabat incolumitatem præstitit : in quem cum tela undique jacerentur, signifer quidem ipse salvus evasit ; hasta vero salutaris tropæi missilia excepit. Erat id spectaculum omni miraculo majus, cum cuncta hostium tela in brevissimum illum hastæ ambitum caderent ; quæ cum

in hastam impacta defigerentur, signifer servabatur incolumis : adeo ut nullo unquam jaculo ferirentur quicumque hoc ministerium obibant. » Neque porro hæc nostra est oratio, sed ipsius Imperatoris, qui inter reliqua id etiam nobis commemoravit. Qui cum priores victorias Dei omnipotentis auxilio retulisset, post hæc acie instructa exercitum movens, ulterius processit.

## CAPUT X.

*Variæ pugnæ, et Constantini victoriæ.*

Porro adversarum partium antesignani cum primum ejus impetum sustinere non potuissent, abjectis armis sese ad Imperatoris pedes prostraverunt. At ille cunctos incolumes servavit magnam ex salute hominum percipiens voluptatem. Alii vero qui sub armis remanserant, sese ad pugnam parabant : quos Imperator ad deditionem invitans, cum amicis compellationibus nullatenus inflecti videret, exercitum in eos immisit. Illi continuo terga dantes, in fugam vertuntur : quorum alii comprehensi inter fugiendum, jure belli cæsi ; alii in se mutuo impingentes, suismet gladiis obtruncati sunt.

## CAPUT XI.

*Fuga et magicæ artes Licinii.*

Illorum vero princeps, cum se ministrorum suorum auxilio destitutum esse, et quas collegerat copias tam militum quam auxiliarium, omnes evanuisse cerneret, spemque in diis quos colebat prorsus inanem esse res ipsa convinceret, fugam turpissimam iniit. Atque hoc modo elapsus, semet discrimine exemit ; cum Imperator Dei amantissi-

mus suos confestim sequi et fugientis terga premere noluisset, quo scilicet fugiens posset evadere. Sperabat enim fore ut Licinius, cognito tandem rerum suarum infelicissimo statu, a pristina audacia atque insania discederet, et ad saniorem mentem rediret. Verum Constantinus quidem pro eximia qua præditus erat humanitate, hæc ita existimabat; et injurias patienter ferre, ac licet non merenti veniam dare, in animum induxerat. At Licinius tantum abest ut a pristina improbitate destiterit, quin potius mala malis exaggerans, pejora in dies aggrediebatur. Quin etiam ad magorum detestandas artes denuo confugiens, efferri insolentius cœpit. Ac de illo idem merito dici poterat quod de vetere illo tyranno, cor scilicet ipsius a Deo induratum fuisse.

## CAPUT XII.

*Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victoriam adeptus est.*

Licinius igitur hujusmodi scelerum vinculis sese ipse constringens, in exitii barathrum præcipitem dedit. Constantinus vero cum altero prælio sibi opus esse cerneret, Servatoris sui cultui diligenter vacavit. Et crucis quidem tabernaculum fixit extra castra : ubi pure et caste degens, preces ad Deum fundebat ; exemplo veteris illius Prophetæ, quem extra castra tabernaculum constituisse divina testantur Oracula. Aderant autem assidui una cum ipso pauci quidam, fidei, pietatis ac benevolentiæ probe compertæ. Atque id semper facere consueverat quotiescumque certamen esset initurus. Neque enim præceps erat ; quippe qui tutiora semper eligeret. Ad hæc Dei consilio cuncta gerere solitus erat. Porro cum sedulo atque impense Deo suo supplicaret, semper Deus ei præsentiam suam exhibere dignatus est. Exinde velut diviniore actus impulsu, prosilire ex taber-



naculo solebat; et signo ad proficiscendum dato, statim militibus imperabat ut absque mora gladios stringerent. Qui confestim impetu in hostem facto, obvios omnes sine ullo ætatis discrimine obtruncabant; donec exiguo temporis momento parta victoria, tropæa de victis hostibus erexissent.

## CAPUT XIII.

*Constantini humanitas in milites captos.*

Hoc modo Imperator ante pugnæ conflictum, et seipsum gerere et exercitum suum instituere, etiam antea solitus erat; quippe qui Deum vitæ suæ semper anteponeret, cunctaque ejus nutu et consilio agere studeret; et multorum hominum cædem facere religioni duceret. Quocirca non minus hostium quam militum suorum consulebat saluti; itaque suis victoriam adeptis præcipiebat ut victis parcerent, utque homines nati, communis hominum naturæ meminissent. Quod si forte militum animos obstinatos ad cædem videret, auri largitione eos reprimebat; jubens ut qui hostem vivum cepisset, certo auri pondere donaretur. Atque hanc illecebram ad salutem hominum conservandam Imperatoris excogitavit solertia : adeo ut plurimi ex ipsis etiam barbaris servati sint, cum Imperatoris aurum vitam ipsorum redemisset.

## CAPUT XIV.

*Iterum de oratione in tabernaculo.*

Hæc et alia plurima horum similia Imperator etiam alias factitare consueverat. Tunc temporis vero antequam prælium consereret, seorsum in tabernaculo positus, orationibus ut solebat vacavit; ab omni quidem joco et delicatiori

vitæ cultu abstinens, jejuniis vero aliisque hujusmodi exercitationibus corpus fatigans, et supplicationibus ac precibus ita Deum placans, ut benignum illum ac propitium suarum partium adjutorem haberet, eaque ageret quæ ille menti suæ suggessisset. Et Constantinus quidem reipublicæ pervigilem curam gerebat, non magis pro suorum quam pro hostium salute vota faciens.

## CAPUT XV.

*Licinii simulata amicitia, et idolorum cultus.*

Quoniam vero Licinius, qui paulo ante fugam inierat, simulatione utens, iterum amicitiam ac fœdera renovari poscebat; Imperator id e republica esse, et generi humano conducere ratus, pacem illi sub certis conditionibus indulgere non recusavit. At Licinius, specie quidem ipsa fingebat leges se libenter amplecti, et fidem jurejurando firmabat : verum occulte militarem apparatum instruebat, atque iterum bellum inferre, iterum pugnam instaurare meditabatur. Sed et barbarorum auxilia undique conquirebat, et novos circumquaque investigabat deos, utpote a prioribus in fraudem inductus. Nec memoria repetebat quæ paulo ante de diis in concione dixisset. Nec Deum qui pro Constantino propugnasset agnoscere volebat; sed multo plures et recentiores deos non sine risu ac ludibrio cœpit conquirere.

## CAPUT XVI.

*Quomodo Licinius militibus præceperit ne adversus crucis signum impetum facerent.*

Post hæc cum reipsa didicisset arcanam quamdam ac di

vinam potentiam in salutari tropæo inesse, cujus ope Constantini exercitus victoriam referre consuevisset; milites suos admonuit ne ex adverso illi congrederentur, neve in illud temere ac fortuito oculos conjicerent: quippe illud signum incredibili vi pollere, ac sibi privatim infestum adversumque esse aiebat; atque idcirco cavendum esse ne adversus ipsum pugna iniretur. His ita compositis, adversus illum qui pro innata clementia cunctabatur, et qui imminens ipsi exitium differebat, præliari constituit. Et Liciniani quidem, deorum multitudine confisi, cum ingentibus copiis progrediebantur; nescio quæ mortuorum simulacra et statuas inanimes præsidii causa præferentes. Constantinus vero, pietatis lorica contectus, salutare et vivificum crucis signum, velut terriculamentum quoddam et potentissimum ad depellenda mala munimentum, hostium multitudini objecit. Ac principio quidem sustinebat, parcens interim ferro, ne videretur prior pugnam iniisse; idque ob fœderum quæ pepigerat religionem.

## CAPUT XVII.

*Constantini victoria.*

Sed posteaquam hostes obstinato animo perstare, jamque gladios distringere animadvertit; indignatione commotus, solo clamore ac minimo temporis momento cunctas hostium copias in fugam vertit, et de dæmonibus pariter atque hostibus victoriam reportavit.

## CAPUT XVIII.

*Licinii cædes, et triumphi de illo acti.*

Post hæc ipsum Dei hostem ejusque familiares, belli jure

dijudicatos, congruo supplicio affecit. Abducebantur itaque una cum tyranno, et debitas capitis pœnas dabant, quicumque bellum adversus Deum gerere ei suasissent : et qui paulo ante vana spe elati erant, reipsa Constantini Deum amplectebantur, eumque unum ac verum Deum agnoscere se tunc demum profitebantur.

## CAPUT XIX.

*Publica lætitia ac festivitas.*

Impiis igitur e medio sublatis, puri deinceps ac liquidi solis radii cernebantur, quasi nubilo tyrannicæ dominationis depulso. Cunctæque imperii Romani partes in unum corpus coaluerunt, Orientalibus provinciis cum Occidente conjunctis ; unoque omnium principe tanquam capite quodam totum imperii corpus refulgebat, unius dominatione cunctos homines complectente. Et qui prius in tenebris et in umbra mortis sedebant, iis tunc splendidissimi pietatis radii lætos dies præstabant. Nec præteritorum malorum ulla jam supererat recordatio, cum omnes ubique victorem laudibus celebrarent, ejusque Servatorem Deum solum se agnoscere profiterentur. Noster vero omni genere pietatis excellens, Constantinus victor (hoc enim convenientissimum sibi cognomen comparavit ob victorias de hostibus et inimicis ipsi a Deo ubique concessas) Orientem recepit ; et imperium Romanum solidum sicut olim fuerat, et coadunatum, sub suam unius potestatem redegit. Ac Dei quidem unius dominationem primus omnibus prædicavit : ipse vero singulare quoque imperium orbis Romani tenens, universum genus humanum gubernavit. Omnis jam metus malorum quibus cuncti homines oppressi fuerant, penitus exciderat. Et qui prius mœsti fuissent, tunc hilari vultu

lætisque oculis sese mutuo intuebantur. Choris præterea et hymnis, primum quidem Deum omnium regem, prout instituti fuerant; deinde victorem Augustum, et modestissimos Deoque charissimos ejus liberos Cæsares sine ulla intermissione celebrabant. Nulla jam præteritarum calamitatum, nulla impietatis memoria suppetebat : sed præsentium bonorum fructus cum futurorum spe atque expectatione percipiebatur.

## CAPUT XX.

*Quomodo pro confessoribus Constantinus leges sanxerit.*

Tunc etiam apud nos, sicut antea apud illos qui alteram orbis partem incolunt, proposita sunt Imperatoris edicta plena humanitatis ; et leges quæ sinceram ac religiosam Dei observantiam spirarent, varia cujusque generis bona haud dubia spe pollicebantur ; cum et provincialibus largirentur quæ ad ipsorum utilitatem spectabant, et Ecclesiis Dei congrua et convenientia statuerent. Ac primum quidem eos qui, propterea quod idolis sacrificare noluissent, a rectoribus provinciarum relegati, et ex patria migrare compulsi erant, domum revocarunt : eos deinde qui eamdem ob causam curiis addicti fuerant, publicis functionibus liberarunt : et qui facultatibus spoliati fuissent, iis bona sua restitui præceperunt. Præterea qui persecutionis tempore divina virtute roborati, fortitudinis et constantiæ illustre specimen ediderant, aut ad metalla damnati, ut continuo labore ibi divexarentur, aut in insulam deportati, aut publicis operibus mancipati fuerant, his omnibus subito soluti molestiis, libertatem adepti sunt. Sed et quicumque ob egregiam in retinenda religione constantiam honore militiæ spoliati erant, eos Imperatoris munificentia ab hac ig-

nominia revocavit; ipsorum arbitrio ac voluntati permittens ut vel propria recuperarent officia, et pristino honoris gradu fruerentur; vel si quietam vitam degere mallent, ab omnibus deinceps functionibus immunes permanerent. Denique quotquot ignominiæ causa gynæciis mancipati fuerant, eos Imperator perinde ac cæteros libertate donavit.

## CAPUT XXI.

*Quomodo etiam pro martyribus et pro ecclesiarum prædiis leges tulit.*

Et hæc quidem de iis qui ista perpessi essent Imperator scriptis legibus constituit. De bonis autem eorum lege Imperatoris plenissime cautum est : nam sanctorum Dei martyrum bona qui in ipsa confessione mortem obiissent, ad proximos eorum devolvi jussit : quod si nullus genere ipsis conjunctus reperiretur, hæreditatem eorum ecclesiis deferri. Bona item quæ ex fisco vel per venditionem vel per donationem ad alios translata fuerant, aut quæ penes fiscum remanserant, dominis restitui debere, indulgentiæ Imperialis epistola præcipiebat. Et hujusmodi quidem beneficia in Ecclesiam Dei contulit benignitas Principis, legibus per omnes provincias missis.

## CAPUT XXII.

*Quomodo etiam populos recreaverit.*

Populis vero a fide nostra alienis et universis provinciis, multo plura ac majora donavit Principis munificentia. Proinde omnes nostrarum partium incolæ, qui prius audientes ea quæ in altera parte imperii Romani gererentur, beatos prædicabant illos qui tantis afficerentur beneficiis, et qui

ardentibus votis optabant ut iisdem bonis ipsi quoque aliquando fruerentur; hæc oculis suis spectantes, seipsos jam felices prædicare non dubitabant; novum quoddam miraculum et quale nulla unquam sub cœlo vidisset ætas, tantum scilicet Imperatorem humano generi affulsisse testantes. Atque hi quidem ita sentiebant.

## CAPUT XXIII.

*Quod Deum bonorum auctorem prædicavit : et de legibus ejusdem.*

Imperator autem ipse, ubi cuncta Dei Servatoris virtute sub ditionem suam redegit, eum qui hæc ipsi bona præstitisset omnibus palam fecit, illumque victoriarum auctorem fuisse, non autem seipsum, professus est : idque litteris tum latino tum græco sermone scriptis et ad omnes provincias missis, prædicavit. Porro orationis vim ac virtutem facile cognoscet quisquis epistolas ipsas perlegerit. Sunt autem duæ : altera ad Ecclesias Dei directa; altera ad singularum urbium populos a nostra religione alienos. Quam quidem, utpote præsenti argumento convenientissimam, hic inserendam esse duxi, tum ut historiarum monumentis prodita ejus exemplaria apud posteros perpetuo conserventur, tum ut narrationis nostræ fides ac veritas confirmetur. Descripta autem est ex authentico exemplari Legis Imperialis, quod apud nos servatur : cui Principis manu apposita subscriptio, orationis nostræ veritatem tanquam sigillo quodam astruit.

## CAPUT XXIV.

*Lex Constantini de pietate in Deum, et de Christiana religione.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, provincialibus Palæstinæ.

» Jampridem apud eos qui recte et sapienter de Deo sentiunt, evidenti discrimine, quo omnis dubitatio removetur, apparuit quantum interesset inter studiosos observatores venerandæ Christianorum religionis, et inter ejusdem oppugnatores ac contemptores. Nunc vero evidentioribus argumentis, et rebus gestis multo illustrioribus, tum dubitationis ipsius absurditas, tum quanta sit summi Dei potentia, declaratur : quippe his quidem qui venerandam legem fideliter colunt, nullumque ejus præceptum audent dissolvere, omnium bonorum copia, et ad ea quæ aggressi sunt perficienda vires idoneæ cum bona spe ac fiducia suppetunt; iis vero qui impiam sententiam amplexi sunt, convenientes rerum eventus contigerunt. Nam quis est qui, cum Deum bonorum auctorem non agnoscat, eumque debito cultu venerari recuset, quidquam boni unquam consequatur? Res certe ipsæ dictis nostris fidem faciunt.

## CAPUT XXV.

*Exemplum a vetustis temporibus.*

» Quod si quis superiora tempora ad nos usque deducta cogitatione repetat, et res olim gestas contempletur animo, omnino reperiet eos quidem qui justitiam ac probitatem fundamentum sibi rerum agendarum constituerunt, felicem consiliorum exitum sortitos esse, et tanquam ex dulci quadam radice suavissimum quoque fructum percepisse; illos

vero qui injusta facinora ausu temerario attentarint, et qui adversus Deum ipsum vesania mentis fuerint elati, nullumque pietatis erga genus humanum sensum habuerint, sed exilia, infamiam, bonorum publicationes, cædes et hujusmodi plurima irrogaverint; quique nec pœnitentiam egerint unquam, nec ad meliorem frugem animum suum revocaverint, parem quoque mercedem retulisse. Atque hæc non absurde nec præter rationem eveniunt.

## CAPUT XXVI.

*De iis qui persecutionem passi sunt, et de persecutoribus.*

» Nam quicumque cum justo animi proposito ad agendum accedunt, et timorem Dei perpetuo præ oculis habent, constantem erga illum retinentes fidem; quique præsentis vitæ minas ac pericula, spei futurorum bonorum minime anteponunt: hi, quamvis multa acerba ac molesta brevi temporis spatio experti sint, tamen spe majorum præmiorum quæ sibi recondita esse firmissime credunt, ingruentia mala nequaquam ægro animo pertulerunt; sed quo graviores experti sunt calamitates, eo clariorem gloriam reportarunt. Qui vero justitiam et æquitatem contempserunt, et qui nec Deum ipsi agnoverunt, nec eos qui Deum fideliter colerent contumeliis ac suppliciis acerbissimis afficere dubitarunt; et qui seipsos quidem, qui ob hujusmodi causam homines in judicium adductos pœna afficerent, miseros esse non judicarunt; illos vero qui in tantis malis integram erga Deum pietatem nihilominus conservarent, felices ac beatos esse : horum exercitus partim cæsi, partim in fugam versi, cunctis denique præliis victi, ipsi tandem succubuerunt.

## CAPUT XXVII.

*Quod persecutio bellum gerentibus malorum causa extiterit.*

» Ex hujusmodi sceleribus orta sunt bella gravia, et exitiales vastationes : hinc rerum quidem ad quotidianum vitæ usum necessariarum penuria, malorum vero ingruentium copia. Hinc est quod tantæ impietatis auctores in extremas delapsi calamitates, aut funditus infelici exitu perierunt, aut vitam cum summo dedecore ducentes, eam quavis morte acerbiorem esse confessi sunt, et injuste acta paribus quodammodo suppliciis rependerunt. Nam unusquisque eorum eo gravioribus affectus est malis, quo vehementius divinam expugnare legem, ut quidem sperabat, per summam dementiam instituerat : adeo ut non solum præsentis vitæ mala eis molesta esse viderentur, verum etiam suppliciorum quæ apud inferos sunt metus atque expectatio, multo acerbius ipsos torqueret.

## CAPUT XXVIII.

*Quod Deus Constantinum bonorum ministrum elegit.*

» Porro cum tanta tamque gravis impietas humanum genus occuparet, et respublica, velut lethali quadam lue grassante, in extremum salutis discrimen esset adducta, atque idcirco magna curatione et salutari ope indigeret; quodnam solatium, quod remedium excogitavit tum Deus, ut his nos malis liberaret ? Deum vero cum dico, illum intelligi oportet qui solus revera est Deus, et qui perpetuam omni ævo obtinet potestatem. Neque vero arrogantiæ fuerit, eum qui præstita a Deo beneficia fateatur magnifice

loqui. Revera enim Deus ministerium meum, tanquam idoneum ad voluntatem suam implendam expetiit, nostraque opera uti decrevit : qui ab Oceano illo Britannico, et ab iis regionibus ubi solem mergi fatalis necessitas jubet, initio ducto, cœlesti quadam virtute, cuncta quæ orbem terrarum occupaverant mala expellens ac dissipans, tum ut humanum genus ministerio nostro institutum atque informatum ad sanctissimæ legis observantiam revocaretur, tum ut beatissima fides Deo manu ducente incrementum acciperet.

## CAPUT XXIX.

*Piæ in Deum voces Constantini, et laus Confessorum.*

» Neque enim ingratus unquam et collati beneficii immemor fuerim : cum hoc præstantissimum ministerium summi muneris loco mihi indultum esse certo crederem, ad Orientis tandem partes perveni ; quæ cum gravioribus calamitatibus vexarentur, majus quoque a nobis remedium postulabant. Prorsus vero animam totam, et omne quod spiro, quidquid denique in intimis mentis recessibus volvitur, id summo Deo a me deberi firmissime credo. Equidem probe scio eos qui spem rerum cœlestium recte ac sincere consectati sunt, eamque in Dei domicilio firme et peculiariter collocaverunt, hominum benevolentia minime indigere ; quippe qui eo majoribus potiantur honoribus, quo se longius a mortalitatis vitiis ac sceleribus subduxerunt. Nihilo tamen minus acerbissimas necessitates ipsis ad tempus impositas, et cruciatus minime convenientes, ab hominibus omni culpa ac reprehensione vacuis quam longissime depellere, nostri officii esse duco. Alioquin absurdissimum fuerit, eorum animi fortitudinem atque constantiam, dum illi quidem qui ob Dei cultum ipsos persequi in animum

induxerant regnarent, spectatam et cognitam fuisse; Dei autem famulo imperium administrante, eorumdem gloriam ad illustrius ac beatius fastigium non esse provectam.

## CAPUT XXX.

*Lex solvens exilio et curia, et bonorum proscriptione.*

» Omnes igitur, seu qui patriam extraneo solo commutarunt, eo quod Dei cultum ac fidem cui se tota mente dicaverant prodere noluissent, crudelibus judicum sententiis quocumque tempore damnati; seu qui in album curiæ relati sunt, cum antea non essent ex numero curialium : nunc patriis fundis et consueto otio restituti, liberatori omnium Deo gratias referant. Quicumque item bonis spoliati sunt, et omnium facultatum multatione percussi, miserrimam hactenus vitam egerunt : et hi quoque pristinis domiciliis ac familiis et facultatibus restituti, Dei beneficentia læti perfruantur.

## CAPUT XXXI.

*Item eos qui in insulas erant relegati.*

» Sed et quotquot inviti in insulis detinentur, hujus provisionis beneficio frui præcipimus; ut qui hactenus montium asperitatibus et circumfuso mari conclusi fuerunt, tristi tandem et inhumana solitudine liberati, seipsos propinquis et amicis restituant, eorumque vota ac desideria expleant. Et qui in summa egestate ac squalore miserabili diutissime vixerunt, reditu tanquam præda quadam ipsis oblata potiti, curisque in posterum absoluti, absque metu degant nobiscum. Nam cum metu quemquam degere nobis regnantibus, qui famulos Dei nos esse et gloriamur et cre-

dimus, res est vel auditu ipso absurdissima, nedum ut credi possit. Quippe ita comparati sumus ut aliena delicta emendemus.

## CAPUT XXXII.

*Item eos qui ad metalla et ad publica opera ignominiose damnati fuerant.*

» Quicumque etiam aut ad laboriosum opus metallorum, aut ad publicorum operum ministeria damnati sunt; hi continuis laboribus cum dulci otio commutatis, leviorem deinceps et ex animi sui sententia vitam agant, et immoderati laboris molestias molli ac placida quiete concludant. Et tametsi nonnulli eorum communi libertate exciderint, et infamia notati sint; pristinam dignitatem velut diuturna peregrinatione ab ipsis sequestratam, eo quo decet gaudio recuperantes, in suam patriam redire festinent.

## CAPUT XXXIII.

*De confessoribus qui militaverant.*

» Illis præterea qui militari dignitate olim decorati, crudeli quodam atque iniquo prætextu ea exciderunt, ideo scilicet quod cultum Dei profitentes dignitati suæ anteponerent; liberum sit eligere utrum malint, an militiam repetentes in eodem in quo prius fuerant statu permanere, an cum honesta missione libere agere. Æquum enim et rationi consentaneum fuerit, ut is qui in tormentis quæ ipsi illata sunt perferendis tantam animi magnitudinem et constantiam declaravit, vel otio vel dignitate pro arbitratu suo potiatur.

## CAPUT XXXIV.

*De iis qui ad gynæcea vel in servitutem dati erant, liberandis.*

» Quicumque item nobilitate sua per vim spoliati, hujuscemodi judicum sententiam exceperunt ut in gynæcea aut linyphia contrusi, durum atque ærumnosum laborem perferrent, aut servi fisci haberentur, nihil ipsis proficiente pristino splendore natalium : hi et honorum quibus antea fruebantur, et libertatis prærogativa gaudentes, pristina dignitate recuperata, cum omni deinceps hilaritate vitam traducant. Sed et is qui libertatem servitute mutavit per injustam ac inhumanam venditoris audaciam, et qui sæpenumero insueta sibi ministeria deflevit, quasi repentina mutatione servum se ex libero factum intelligens; nunc ex præcepto nostro pristinam recuperans libertatem, seipsum parentibus reddat, et labores homine libero dignos obeat : obsequiorum minime ipsi convenientium quibus antea perfunctus est, memoria penitus ex animo deleta.

## CAPUT XXXV.

*De successione bonorum martyrum et confessorum, et eorum qui relegati fuerant, et quorum bona in fiscum relata.*

» Sed nec de facultatibus quibus singuli varias ob causas nudati sunt, silere nos convenit. Proinde si qui egregium ac divinum martyrii certamen intrepido ac fidenti animo subeuntes, bonis suis spoliati sunt; aut confessores effecti, æternorum sibi bonorum spem compararunt; seu qui ex patria migrari compulsi eo quod fidem suam prodendo persecutoribus cedere nollent, facultatibus ipsi quoque exuti

sunt; denique si qui capitali sententia minime damnati, bonorum tamen jacturam sustinuerunt : horum omnium hæreditatem proximis tribui jubemus. Porro cum leges diserte præcipiant ut ex cognatis proximiores hæreditatem accipiant, facile est dignoscere cuinam hæreditas debeatur. Ad hæc rationi consentaneum est ut ii ad successionem veniant, qui propinquiores erant futuri si illi sua morte obiissent.

## CAPUT XXXVI.

*Ut deficientibus cognatis Ecclesia hæreditatem capiat, utque legata firma maneant.*

» Quod si nullus cognatus supersit qui prout rationi consentaneum est hæreditatem capessat eorum quos supra memoravi, martyrum scilicet et confessorum, aut illorum qui ob hujusmodi causam ex patria migraverunt; cujusque loci ecclesiam hæreditatem adire decernimus. Nec defunctis utique molestum erit si cujus gratia nullum non discrimen subierunt, eam ipsis hæredem habere contingat. Illud quoque necessario adjiciendum est, ut si qui ex supra memoratis aliquid de bonis suis cuilibet donaverint, ei dominium, prout æquum est, firmum ratumque permaneat.

## CAPUT XXXVII.

*Ut qui hujusmodi loca, ædes, hortos, occupaverint, ea restituant; exceptis fructibus.*

» Porro ut in præcepto nostro nulla ambages appareat, sed cuilibet in promptu sit id quod juris est pernoscere; omnes intelligant, sive fundum, sive ædes, sive hortum, sive aliud quid ex bonis eorum quos supra memoravi detinent, recte atque ordine se esse facturos si seipsos ultro

deferant, et rem absque ulla dilatione restituant. Ac tametsi nonnulli haudquaquam ex justa possessionis causa magnos fructus earum rerum percepisse videantur, eos tamen fructus ab illis repeti minime æquum arbitramur.

## CAPUT XXXVIII.

*Quomodo super his libellos dari oporteat.*

» Verum ipsi unde et quantos fructus collegerint ingenue profitentes, delicti sui veniam a nobis sibi concedi postulent : ut et pristina avaritia hujusmodi emendatione dissolvatur, et Deus optimus maximus hanc velut pœnitentiæ cujusdam loco satisfactionem accipiens, erratis benignus ignoscat. Sed fortasse pro defensione sua prætendentes id dicent qui horum bonorum domini constituti sunt (si tamen hoc nomine censeri aut merentur aut possunt), fieri omnino non potuisse ut ab iis rebus tunc abstinerent cum omnium cujusque generis malorum multiplex spectaculum obversaretur; cum atrociter expellerentur homines, et absque ulla miseratione trucidarentur; cum profligatæ et hac illac temere dispersæ jacerent facultates; cum crebræ innocentum proscriptiones, et insatiabilis persecutionum furor, et bonorum venditiones cernerentur. Enimvero si qui forte hujusmodi sermonibus nituntur et in avaritiæ suæ excusationibus perseverent, non impune id sibi fore sentient; præsertim cum hac potissimum ratione operam nostram ac ministerium Deo optimo maximo exhibeamus. Quæcumque igitur exitialis necessitas coëgit accipere, ea nunc retinere periculosum est. Adde quod insatiabiles cupiditates, partim ratione, partim exemplis omnino minuendæ sunt.

## CAPUT XXXIX.

*Ut fiscus fundos, ædes et hortos restituat ecclesiis.*

» Neque enim vel fisco concedetur, si quid eorum quæ supra dixi possideat, id firmiter retinere : verum adversus sacrosanctas ecclesias nihil obloqui ausus, ea quæ aliquandiu injuste detinuit, ecclesiis tandem jure restituet. Omnia ergo quæ ad ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcumque alia, nullo jure quod ad dominium pertinet imminuto, sed salvis omnibus atque integris manentibus, restitui jubemus.

## CAPUT XL.

*Ut martyria et cœmeteria ecclesiis reddantur.*

» Sed et loca illa quæ martyrum reliquiis honorata sunt, et quæ gloriosi illorum interitus memoriam servant, quis ambigat ad ecclesias pertinere? imo vero quis non id præcipiat? quando nec munus ullum præstantius, nec labor ullus jucundior atque utilior esse potest, quam, divino, Spiritu impellente, harum rerum diligentem curam gerere; ut quæ improbo quodam prætextu ab injustis ac nequissimis hominibus ablata sunt, ea justissime restituta sanctis Dei ecclesiis denuo redhibeantur.

## CAPUT XLI.

*Ut qui res Ecclesiæ emerunt, aut dono acceperunt, eas restituant.*

» Quoniam vero perfectæ et absolutæ providentiæ est, ne illos quidem silentio præterire qui emptionis jure aliquid a fisco comparaverint, aut donationis titulo sibi con-

cessum possederint, frustra ad hujusmodi bona inexplebilem cupiditatem extendentes; sciant omnes hujusmodi, etiamsi ob ea quæ emere sunt ausi nostram a se clementiam alienare magnopere studuerunt, nostram tamen benignitatem quoad ejus fieri poterit ac decebit, sibi non defuturam.

## CAPUT XLII.

*Sedula exhortatio ad colendum Deum.*

» Sed de his hactenus dixisse sufficiat. Porro cum evidentissimis ac certissimis argumentis declaratum sit, partim omnipotentis Dei vi ac virtute, partim adhortationibus atque adjumentis quæ a me frequenter præstari desiderat, tristitiam et acerbitatem quæ res humanas antea occupabat, nunc ex universo terrarum orbe depulsam esse: cuncti simul et singuli diligenti meditatione perspicitis quæ et quanta sit potestas et gratia illa quæ improbissimorum quidem hominum stirpem penitus delevit ac sustulit, bonorum vero hilaritatem ac lætitiam restituens, per omnes regiones longe lateque diffundit, et quæ liberam omnibus facultatem permittit, tum ut divinam legem cum debito cultu iterum venerentur, tum ut eos qui se hujus legis ministerio consecraverunt, congruo honore prosequantur: qui quidem tanquam ex profunda quadam caligine emergentes, et illustrem rerum notitiam haurientes, debitam deinceps huic legi observantiam, et piam ac consentientem reverentiam exhibebunt. Proponatur in Orientalibus partibus nostris. »

## CAPUT XLIII.

*Quomodo Constantinus ea quæ legibus sanxerat, factis ipsis confirmavit.*

Et hæc quidem prima Imperatoris epistola ad nos missa constituit. Cæterum ea quæ lege sancita fuerant continuo executioni mandata sunt : et cuncta iis quæ crudelitas tyrannica præsumpserat, contraria gerebantur. Fruebantur Imperatoris beneficentia hi quibus id lege concessum erat.

## CAPUT XLIV.

*Quomodo Christianos ad regendas provincias promoverit, et paganos sacrificare prohibuerit.*

Posthæc Imperator serio manum operi admovit. Ac primum quidem in singulas provincias eos præsides ut plurimum misit qui salutari fidei dicati essent. Quod si qui eorum græcæ superstitioni dediti esse viderentur, iis vetitum erat sacrificare. Eadem lex illis etiam imposita est qui dignitate præsides anteibant, iisque adeo qui summum honorum fastigium et præfecturæ prætorianæ potestatem obtinebant. Aut enim, si quidem Christiani essent, iis concedebat ut nominis sui appellationi convenientia gererent : aut si aliter effecti essent, ne simulacris sacrificarent præcipiebat.

## CAPUT XLV.

*De legibus quibus sacrificia quidem prohibebantur, Ecclesiæ vero construi jubebantur.*

Exinde duæ leges uno eodemque tempore sunt emissæ : altera quæ detestanda idolorum cultus sacrificia, per urbes

olim et per agros passim fieri solita, prohibebat; ita ut nullus deinceps nec statuas deorum erigere, nec divinationes et hujusmodi vanas artes attentare, nec victimas cædere auderet : altera lex quæ oratoriorum fabricam in sublime erigi, et ecclesias Dei tam latitudine quam longitudine ampliores effici præcipiebat; perinde ac si universi, ut ita dixerim, homines insana multorum deorum observantia e medio sublata, in posterum accessuri essent ad Deum. Hæc Imperatorem sentire, hæc ad cujusque provinciæ præsides scribere, religiosa divini Numinis observantia impellebat. Illud præterea lex continebat, ne pecuniis largiendis parcerent; sed ut ex imperialibus thesauris sumptus ad ædium sacrarum extructionem depromerentur. Quinetiam ad cujusque loci ecclesiarum antistites istiusmodi litteræ scribebantur; cujusmodi etiam ad me scribere dignatus est, easque primas ad me nominatim litteras dedit.

## CAPUT XLVI.

*Epistola Constantini ad Eusebium et reliquos episcopos, de ecclesiis præsidum opera ædificandis; utque vetustæ reficiantur, et ampliores extruantur.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus Eusebio.

» Cum usque ad hanc diem impia præsumptio et tyrannica violentia ministros Servatoris nostri sit persecuta, pro certo habeo planeque mihi ipse persuadeo, omnium ecclesiarum ædificia, aut per incuriam corrupta, aut præ metu ingruentis temporum iniquitatis minus honorifice exculta esse, Eusebi frater charissime. Nunc vero cum libertas restituta sit, et draco ille providentia quidem Dei optimi maximi, ministerio autem nostro a reipublicæ administratione submotus; equidem existimo divinam potentiam omnibus clarissime innotuisse, et eos qui seu metu seu incredulitate

aliquid peccaverunt, agnito illo qui vere est, ad rectam ac veram vivendi rationem esse redituros. Quotquot igitur ecclesiis aut ipse præes, aut alios in singulis locis præsidentes episcopos et presbyteros ac diaconos nosti; cunctos admone ut in opera ecclesiarum omni studio ac diligentia incumbant, quo aut reparentur quæ adhuc manent, aut augeantur in majus; aut sicubi usus postulaverit, nova ædificentur. Quæcumque autem necessaria fuerint, et ipse, et reliqui alii tuo interventu, tum a præsidibus provinciarum petent, tum ab officio præfecturæ prætorianæ. His enim per litteras præceptum est ut omni diligentia iis quæ tua sanctitas dixerit obsequantur. Divinitas te servet, frater charissime. » Et hujusmodi quidem epistolæ per singulas provincias ad ecclesiarum antistites sunt missæ. Rectoribus quoque provinciarum mandatum est ut his convenientia exequerentur. Adeoque cum summa celeritate legis præcepta opere ipso adimplebantur.

## CAPUT XLVII.

*Quod contra idolorum cultum scripserit.*

Imperator vero suam erga Deum pietatem atque observantiam quotidie adaugens, ad universos provinciales orationem misit de errore cultus simulacrorum, quo imperatores Romani ante ipsius ætatem involuti fuissent; et subditos suos cum admirabili facundia exhortatus est ut summum omnium Deum agnoscerent, ejusque Filium Christum sibi Servatorem asciscerent. Porro has etiam litteras manu ipsius scriptas, ex latino sermone in græcum transferre, et præsenti operi intexere necessarium duxi : ut ipsum quodammodo Imperatorem nobis audire videamur, cunctorum mortalium auribus in hæc verba inclamantem.

## CAPUT XLVIII.

*Constantini edictum ad provinciales de falso cultu multorum deorum. Exordium de virtute et vitio.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus provincialibus Orientis.

» Quæcumque firmissimis naturæ legibus continentur, divinæ providentiæ atque intelligentiæ in cunctis rebus ordinandis sufficientem notitiam omnibus præbent. Nec ulla existit dubitatio iis quorum mentes recto scientiæ itinere ad eum scopum feruntur, quin sanæ mentis, ipsiusque oculorum visus accurata comprehensio, veræ virtutis eodem vergente atque inclinante natura, ad notitiam Dei perducat. Quocirca nemo unquam vir prudens animo conturbabitur, cum plerosque homines contraria inter se vitæ instituta sectari animadvertit. Nam virtutis gratia prorsus inutilis lateret, nisi improbitas perversam ac desperatam vivendi rationem ex adverso opponeret. Idcirco virtuti quidem corona proposita est : improbitati autem dijudicandæ ac puniendæ præest Deus altissimus. Ego vero de ea spe atque expectatione quam gero rerum futurarum, quoad potero apertissime vobis disserere conabor.

## CAPUT XLIX.

*De pio ac Dei amantissimo Constantini patre, et de Diocletiano ac Maximiano persecutoribus.*

» Ac superiores quidem imperatores, ob feritatem atque immanitatem morum, alienos semper atque extraneos habui. Solus pater meus lenitati ac mansuetudini studuit, cum admiranda religione Deum Patrem in omnibus suis

actibus invocans. Reliqui vero haudquaquam sana mente præditi immanitatem potius consectati sunt quam clementiam; eamque mirum in modum aluerunt, toto imperii sui tempore veram doctrinam subvertentes. Porro improbitatis ipsorum tantopere furor exarsit, ut cunctis tam divinis quam humanis rebus in summa pace constitutis, ipsi bella civilia excitarent.

## CAPUT L.

*Quod ex Apollinis oraculo qui ob justos homines responsa amplius edere non poterat, mota sit persecutio.*

» Quippe Apollinem tunc temporis ex antro et tenebroso quodam specu, non ex hominis ore oraculum edidisse ferebatur, quo justos viros in terris degentes obstare sibi aiebat quominus vera prædiceret; atque idcirco falsa ex tripode oracula reddi. Hanc ob causam ille comam incultam demisit; et expulsa divinandi arte, tantum inter homines malum lamentabatur. Sed videamus quem ista exitum habuerint.

## CAPUT LI.

*Quomodo Constantinus adhuc adolescens justos esse Christianos audivit.*

» Te nunc testem appello, Deus altissime. Scis qualiter ego tunc temporis admodum adolescens, illum qui inter imperatores Romanos potiorem locum tunc obtinebat, miserum, profecto miserum, falso mentis errore deceptum, ex protectoribus suis curiose sciscitantem audierim quinam illi essent justi in terris degentes; et quemdam ex sacrificulis qui circa illum erant, respondisse, eos esse Christianos. Ille, responso hominis quasi melle quodam avide

absorpto, gladios ad punienda crimina paratos, adversus sanctitatem omni reprehensione vacuam distrinxit. Statim igitur sanguinolenta edicta cruentis, ut ita dixerim, mucronibus scripsit; et judicibus præcepit ut ingenii solertiam sibi a natura insitam, ad acerbiora supplicia excogitanda intenderent.

## CAPUT LII.

*Quot tormentorum et suppliciorum genera adversus Christianos excogitata sint.*

» Licuit tunc, licuit, inquam, videre quanta cum libertate venerabiles Dei cultores ob continuam crudelitatem gravissimas quotidie contumelias tolerarent; quippe modestiam, quam nec hostes ipsi ulla unquam affecerunt injuria, efferati cives probris omnibus incessere pro nihilo duxerunt. Quodnam incendium, quod cruciatuum et tormentorum genus cuivis corpori et ætati absque ullo discrimine admotum non fuit? Ea tempestate tellus quidem ipsa procul dubio lacrymas edidit : cœlum vero, quod universa suo ambitu complectitur, cruore inquinatum ingemuit. Ipsa quoque diei lux, præ luctu atque horrore tanti prodigii, obscurata est.

## CAPUT LIII.

*Quomodo barbari Christianos exceperunt.*

» Sed quid ista commemoro? Gloriantur ob hæc nunc barbari, qui homines ex nostris regionibus profugos tunc temporis exceperunt, et captivos humaniter habuerunt; quippe cum illis non modo salutem, verum etiam religionis suæ cultum integrum apud se retinere permiserint. Itaque perpetuam hanc infamiæ notam Romani nunc gestant,

quam Christiani ex orbe Romano per id tempus fugati, et ad barbaros confugientes, ipsis inusserunt.

## CAPUT LIV.

*Quomodo divina ultione puniti sint, qui ex oraculo persecutionem commoverant.*

» Sed quid opus est lamenta illa et communem totius orbis luctum pluribus verbis commemorare? Illi tanti sceleris auctores, post hæc turpi exitu periere, in Acherontis barathrum ad perpetuos cruciatus detrusi. Nam civilibus inter se collisi bellis, nec nominis nec generis sui memoriam reliquerunt. Quod profecto nunquam ipsis contigisset, nisi impia illa Apollinis Pythii vaticinatio falsam quamdam et adulterinam vim haberet.

## CAPUT LV.

*Constantinus Deo gloriam tribuit, signum crucis confitetur, et precatur pro ecclesiis.*

» Nunc te, Deus optime maxime, oro atque obsecro, sis clemens ac propitius erga tuos Orientales : sis erga cunctos provinciales diuturnis calamitatibus attritos; iisque per me famulum tuum salutem conferre velis. Atque hæc non sine causa abs te postulo, omnium Domine et sancte Deus. Tuo enim ductu atque auspicio res salutares suscepi atque perfeci. Tuum signum ubique præferens, victorem exercitum duxi : et quotiescumque publica exigit necessitas, tuæ virtutis insignia sequens, adversus hostes progredior. Has ob causas tibi animum meum dicavi, amore simul ac timore probe temperatum : nam nomen quidem tuum sincere diligo; potentiam autem quam multis documentis declarasti,

et qua fidem meam confirmasti, religiose formido. Festino itaque meos ipse humeros operi supponens, ut sanctissimam domum tuam, quam nefarii illi atque impii scelerata eversione vastarunt, denuo instaurem.

## CAPUT LVI.

*Quomodo omnes quidem Christianos esse optavit, neminem autem coëgit.*

» Equidem populum tuum pacate ac sine ulla seditione degere, pro communi totius orbis et cunctorum mortalium utilitate desidero. Qui autem gentilitatis errore implicati sunt, ipsi quoque eamdem cum fidelibus pacis et quietis oblectationem læti percipiant. Hæc enim communionis ac societatis mutuæ reparatio, ad homines in rectam viam reducendos plurimum valet. Nemo alteri molestiam facessat : quod cuique libitum fuerit, id agat. Illud tamen apud eos qui recte sentiunt fixum ratumque esse oportet, solos illos sancte casteque esse victuros, quos tu ipse ad hoc vocavisti, ut sacrosanctis tuis legibus acquiescant. Qui vero seipsos subtrahunt, habeant sibi mendaciorum delubra, quando ita volunt. Nos splendidissimam domum veritatis tuæ quam nascentibus nobis donasti, retinemus. Id ipsum illis quoque optamus, ut scilicet ex communi omnium consensu atque concordia maximam capiant voluptatem.

## CAPUT LVII.

*Gloriam tribuit Deo, qui per Filium suum errantes illuminavit.*

» Neque enim nova ac recens est nostra religio : sed ex quo hujus mundi fabricam apte dispositam stetisse credimus, tu hanc religionem cum debita tui numinis obser-

vantia instituisti. Porro humanum genus variis seductum erroribus impegit. Sed tu ne hoc malum amplius ingravesceret, per Filium tuum splendidissimam attollens facem, cunctos de numinis tui cultu admonuisti.

## CAPUT LVIII.

*Iterum Deo gloriam tribuit ex ministerio totius mundi.*

» Hujus rei fidem faciunt opera tua. Tua nos potestas innocentes efficit ac fideles. Sol et luna ratis ac definitis cursibus feruntur; nec sine ordine circa mundi totius axem sidera volvuntur; certa lege recurrunt temporum vices; tuo verbo stat terræ firma soliditas, et venti præstituto tempore moventur, et aquarum impetus irrequieto fluxu prolabitur; mare immotis continetur terminis : et quidquid per terras perque oceanum diffunditur, hoc ad maximos et mirabiles usus fabricatum est. Quod quidem nisi ex voluntatis tuæ arbitrio ita gereretur, procul dubio tanta diversitas, et multiplex divisio potestatis, universo orbi ac rebus humanis perniciem attulisset. Nam qui adversus sese invicem bellum gesserunt, utique gravius adversus humanum genus depugnarent : quod profecto faciunt, tametsi oculis non cernuntur.

## CAPUT LIX.

*Deum laudat qui semper bona atque honesta docet.*

» Gratias tibi plurimas agimus, omnium Domine ac summe Deus. Nam quanto magis ex discrepantibus studiis humana natura cognoscitur, tanto magis apud recte sentientes et veræ virtutis studiosos, divinæ religionis disciplina stabilitur. Cæterum quisquis curari se non sinit, ne id alii

imputet : quippe medicina quæ præest curationi, palam omnibus proposita est. Illud tantum cavendum est, ne quis eam religionem violet, quam puram et immaculatam esse res ipsæ testantur. Proinde universi fruamur hujus boni nobis indulti consortio, hoc est pacis amœnitate; et animi nostri conscientiam, ab omnibus quæ illi contraria sunt abducamus.

## CAPUT LX.

*Adhortatio sub finem edicti, ut nemo alteri molestiam facessat.*

» Cæterum nemo ex eo quod ipse animo imbibit, alteri noxam pariat : sed quicumque aliquid intellexerit ac noverit, eo, si quidem fieri potest, proximum juvet; sin id fieri non potest, omittat. Aliud est enim, certamen pro immortalitate sponte suscipere; aliud suppliciorum vi adigere. Hæc dixi, et uberius ac prolixius quam mansuetudinis nostræ propositum postulabat ideo disserui, quod fidei veritatem celare ac dissimulare nolebam; præsertim cum nonnulli, ut audio, asserant ritus ac cæremonias templorum et potestatem tenebrarum penitus esse sublata. Quod profecto suasissem omnibus hominibus, nisi pravi erroris violenta præsumptio, in cladem atque in damnum reparationis generis humani, quorumdam mentibus nimis insideret. »

## CAPUT LXI.

*Quomodo ab urbe Alexandria quæstiones commotæ sint propter Arium.*

Hæc Imperator, velut quidam Dei præco maxima præditus voce, cunctis provincialibus per suas litteras inclamavit, dum subditos a dæmonum errore revocare, et ad

verum Dei cultum amplectendum incitare conatur. Quas ob res cum singulari gaudio gestiret, nuntius ad eum perlatus est de quodam non mediocri tumultu qui Ecclesias occupaverat. Quo audito perculsus, remedium excogitare cœpit. Porro tumultus origo hæc fuit. Florebat populus Dei, et cum alacritate quadam ac tripudio honestis actibus incumbebat : nullus erat foris metus qui perturbationem afferret; quippe cum Dei optimi maximi beneficio, amœna et profundissima pax Ecclesiam undique communiret. Sed enim invidia nostris bonis insidias struens subsederat : quæ primum quidem intro irrepens, postea in medio sanctorum cœtu tripudiavit; tandem vero episcopos inter se commisit, tumultum et altercationem inter eos excitans, divinorum dogmatum obtentu. Exinde, tanquam ex levi quadam scintilla, gravissimum exarsit incendium. Quod quidem ab ecclesia Alexandrina velut a capite exorsum, universam posthæc Ægyptum, et Libyam, et ulteriorem Thebaïdem peragravit. Sed et reliquas urbes ac provincias depastum est : adeo ut non solum ipsos ecclesiarum antistites verbis inter se digladiantes, verum etiam plebem ipsam discissam cernere liceret; aliis horum, aliis illorum partes amplectentibus. Porro rerum quæ gerebantur spectaculum eo usque processit indignitatis, ut in mediis infidelium theatris divinæ prædicationis venerabilis doctrina turpissimo risu ac ludibrio traduceretur.

## CAPUT LXII.

*De Ario et Melitianis.*

Et hi quidem in ipsa urbe Alexandria de sublimissimis rebus pertinaciter dimicabant; alii vero per totam Ægyptum et superiorem Thebaïdem, ob controversiam quamdam

quæ prius commota fuerat, interim dissidebant : adeo ut ubique discerptæ essent ecclesiæ. Cum autem Ecclesiæ corpus hujusmodi morbo laboraret, universa Libya simul etiam ægrotavit, et reliquæ exterarum provinciarum partes eodem morbo correptæ sunt : nam qui Alexandriæ erant, legatos ad singularum provinciarum episcopos dirigebant; isti vero, in alterutram partem discissi, seditioni quoque adjungebantur.

## CAPUT LXIII.

*Quomodo legatum cum litteris misit ad pacem componendam.*

His auditis Imperator, gravissimo dolore perculsus, eamque rem instar domesticæ calamitatis habendam ratus, confestim ex Dei cultoribus quos circa se habebat quemdam, quem ob modestiam fidei spectatum, et ob religionis confessionem superiori tempore præ cæteris nobilitatum esse cognoverat, Alexandriam dirigit, ut inter eos qui illic dissidebant pacem componeret; eidemque litteras dat ad contentionis auctores, utiles imprimis ac necessarias. Quæ cum illustre specimen exhibeant curæ ac sollicitudinis illius quam pro ecclesiis Dei gerebat, non absurdum fuerit huic de illo institutæ narrationi ipsas inserere. Sunt autem ejusmodi.

## CAPUT LXIV.

*Constantini Epistola ad Alexandrum episcopum et Arium presbyterum.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus Alexandro et Ario.

» Duabus me causis impulsum fuisse ad earum rerum

quas gessi ministerium obeundum, ipse conatuum meorum adjutor, et servator omnium, mihi testis est Deus.

## CAPUT LXV.

*Quod pro pace continue satagebat.*

» Nam primum quidem omnium gentium inolitam de Deo opinionem in unam quasi habitudinem ac formam compingere propositum fuit; deinde vero corpus orbis terrarum quasi gravi quodam morbo tyrannidis oppressum, in pristinam valetudinem restituere. Quæ cum mihi instar scopi proposuissem, alterum quidem arcano cogitationis oculo inquirebam, alterum vero bellica vi atque potentia perficere conabar. Quippe intelligebam, si communem inter omnes Dei cultores concordiam, sic ut mihi in votis erat, stabilire potuissem, fore ut reipublicæ administratio mutationem piis omnium sensibus congruentem nancisceretur.

## CAPUT LXVI.

*Quomodo quæstiones in Africa excitatas compressit.*

» Itaque cum intolerabilis quædam insania totam Africam corripuisset, ob quosdam qui temeraria levitate religionem populorum in varias sectas discindere ausi fuerant; hunc ego morbum sedare cupiens, nullum aliud remedium ad ejus curationem idoneum reperiebam, quam ut communi hoste generis humani e medio sublato, qui sacrosanctis synodis vestris impiam suam sententiam ac jussionem opposuerat, quosdam vestrum ad sarciendam inter dissidentes concordiam, ministros atque adjutores mitterem.

## CAPUT LXVII.

*Quod religio ab Orientis partibus cœperit.*

» Nam quoniam veri luminis vis, et lex sacrosanctæ religionis, Dei beneficio ex sinu, ut ita dicam, Orientis edita, universum simul terrarum orbem sacris radiis illustraverat; non sine causa vos cunctarum gentium salutis auctores ac duces fore confidens, et mentis affectu et oculorum acie exquirere laborabam. Statim igitur post magnam illam victoriam, et post certissimum de hostibus triumphum, ante omnia illud rursus scrutari constitueram, quod præcipuum et maximi momenti esse judicabam.

## CAPUT LXVIII.

*Quomodo seditionem moleste ferens, pacem suasit.*

» Verum, o eximia Dei providentia! quis et qualis nuntius aures meas, seu potius animum ipsum acerbissime sauciavit, cum mihi significatum est multo graviora inter vos orta esse dissidia, quam sunt illa quæ in Africare manserunt? adeo ut partes vestræ, a quibus medelam aliis suppeditari posse sperabam, majore jam curatione indigeant. Ac mihi quidem de harum rerum initio atque origine accuratius cogitanti, levis admodum causa esse visa est, nec tanta animorum contentione digna. Itaque ad hujus epistolæ scribendæ necessitatem redactus, et ad concordem utriusque vestrum solertiam scribens, invocato ad hoc opus auxilio divinæ providentiæ, arbitrum me dissensionis vestræ, et quasi pacis moderatorem merito interpono : nam qui, etiamsi gravior subesset causa discordiæ, tamen Deo ju-

vante, piis audientium mentibus rationem insinuans, haud difficile possem singulos ad salubriora consilia revocare; idem cum levis admodum et exigua nunc causa sit quæ totius corporis consensioni obstat, cur non multo faciliorem et expeditiorem hujus rei correctionem mihi ipse spondeam?

## CAPUT LXIX.

*Unde nata sit controversia inter Arium et Alexandrum; et quod talia non erant disquirenda.*

» Porro præsentis controversiæ initium hinc extitisse comperio. Cum enim tu, Alexander, a presbyteris tuis requireres quid quisque eorum de quodam legis loco sentiret, seu potius de quadam parte inanis quæstionis eos interrogares; cumque tu, Ari, id quod vel nunquam cogitare, vel sane cogitatum silentio premere debueras, imprudenter protulisses : excitata inter vos discordia, communio quidem denegata est; sanctissimus autem populus in duas partes discissus, a totius corporis unitate discessit. Quocirca uterque vestrum veniam vicissim alteri tribuens, id amplectatur quod conservus vester vobis justissime suadet. Quidnam vero illud est? Nec interrogare de hujusmodi rebus principio decebat, nec interrogatum respondere. Tales enim quæstiones, quas nullius legis necessitas præscribit, sed inutilis otii altercatio proponit, licet ingenii exercendi causa instituantur, tamen intra mentis nostræ penetralia continere debemus, nec eas facile in publicos efferre conventus, nec auribus vulgi inconsulte committere. Quotusquisque enim est qui tantarum rerum tamque difficilium vim atque naturam aut accurate comprehendere, aut pro dignitate explicare sufficiat? Quod si quis id facile consequi posse existimetur, quotæ tandem parti vulgi id persuasurus

est? Aut quis in ejusmodi quæstionum subtili et accurata disputatione, citra periculum gravissimi lapsus possit consistere? Quocirca in hujusmodi quæstionibus loquacitas comprimenda est; ne forte aut nobis id quod propositum est explicare ob naturæ nostræ infirmitatem non sufficientibus, aut auditoribus ob ingenii tarditatem ea quæ dicuntur minime assequentibus, ex alterutro horum aut in blasphemiæ aut in schismatis necessitatem populus incurrat.

## CAPUT LXX.

*Exhortatio ad concordiam.*

» Proinde et incauta interrogatio, et inconsulta responsio, in utroque vestrum veniam sibi mutuo concedant. Neque enim de præcipuo et summo legis nostræ mandato inter vos est orta contentio; neque novum aliquod a vobis de Dei cultu introductum est dogma : sed unam eamdemque sententiam tenetis, adeo ut ad communionis societatem coïre facile possitis.

## CAPUT LXXI.

*Quod ob leves quasdam voculas pertinaciter certandum non fuit.*

» Vobis enim pertinaciter contendentibus de rebus parvis atque levissimis, tantam populi Dei multitudinem vestro consilio regi non decet, in tanta præsertim animorum dissensione : nec solum id indecorum, sed prorsus nefas esse existimatur. Atque ut prudentiam vestram minore exemplo commonefaciam, scitis ipsos etiam philosophos unius sectæ professione inter se omnes fœderari, eosdem tamen in aliqua assertionum parte interdum discrepare. Verum licet in

ipsa scientiæ perfectione dissentiant, nihilominus ob sectæ communionem rursus in unum conspîrant. Quod si ita est, quomodo non multo justius fuerit vos, qui maximi Dei ministri constituti estis, in ejusdem religionis professione unanimes permanere? Sed accuratius si placet et attentius expendamus id quod jam dixi : æquumne sit ut ob levium et inanium verborum inter vos contentiones, fratres fratribus velut in acie oppositi stent; utque venerabilis conventus, per vos qui de rebus adeo exiguis et minime necessariis rixamini, impia dissensione dissideat. Plebeia sunt hæc, et quæ puerili magis inscitiæ quam sacerdotum et prudentium virorum sapientiæ congruant. Abscedamus nostra sponte a Diaboli tentationibus. Maximus Deus noster et omnium servator, commune cunctis protulit lumen. Sub cujus auspicio ac providentia, mihi ejus famulo et cultori concedite, quæso, ut hoc opus ad exitum perducam, quo plebs illius mea allocutione atque opera, et admonitionum instantia ad conventus unitatem revocetur. Nam cum vobis, ut dixi, una eademque sit fides, una de religione nostra sententia; cumque legis præceptum utraque sui parte omnes in unam animorum consensionem constringat : istud quod levem inter vos contentionem excitavit, quandoquidem ad totius religionis summam non pertinet, non est cur ullum inter vos dissidium ac seditionem faciat. Atque hæc non eo dico, ut vos de inepta et qualiscumque demum vocanda est quæstione, idem omnino sentire cogam; potest enim gravitas conventus integre apud vos conservari, et una eademque inter omnes communio retineri, quamvis invicem de re aliqua minimi momenti dissentiatis : siquidem nec idem omnes volumus in omnibus, nec una omnium indoles est atque sententia. Itaque de divina quidem providentia una inter vos sit fides, unus intellectus, una de Deo consensio. Quæ vero de levissimis istis quæstionibus inter vos subtiliter

disputatis, licet non in eamdem coëatis sententiam, interiore mentis cogitatione continere et arcano pectoris recondere debetis. Maneat firma in vobis communis amicitiæ prærogativa, et veritatis fides, et Dei legisque observantia. Recurrite ad mutuam dilectionem et charitatem; reddite universo populo suos amplexus. Vosmet ipsi, expurgatis, ut ita dicam, animis vestris, vos vicissim agnoscite : sæpe enim post depositas inimicitias reconciliata iterum gratia, jucundior existit amicitia.

## CAPUT LXXII.

*Quomodo dolore affectus præ pietate lacrymas effudit : et iter quod facturus erat in Orientem, ob hanc causam repressit.*

» Reddite igitur mihi tranquillos dies, et noctes curarum expertes; ut mihi quoque puræ lucis voluptas, et quietæ vitæ lætitia in posterum conservetur. Quod nisi consecutus fuero, ingemiscam necesse est, totusque lacrymis perfundar; nec reliquum vitæ tempus placide exigam. Nam quamdiu populus Dei (conservos meos dico) iniqua et perniciosa contentione discissus est, qui fieri potest ut ego deinceps animo consistam? Porro ut doloris hac de re mei magnitudinem intelligatis, nuper cum Nicomediam venissem, protinus in Orientem iter facere decreveram; cumque profectionem urgerem, et majore jam ex parte vobiscum essem, hujus rei nuntius consilium nostrum retro avertit, ne cogerer ea coram aspicere quæ ne auditu quidem tenus tolerare me posse existimabam. Deinceps ergo viam mihi in Orientem aperite consensu vestro, quam mihi mutuis inter vos contentionibus obstruxistis. Date hoc mihi, ut vos aliosque omnes populos lætos atque hilares quamplurimum videre, et pro communi omnium concordia ac libertate de-

bitas Deo gratias cum unanimi laudum concentu referre possim. »

## CAPUT LXXIII.

*Quod post has etiam Imperatoris litteras perseveravit contentio.*

Et ad hunc quidem modum Imperator Deo charus missa epistola, pacem Ecclesiæ Dei reformare studuit. Quinetiam vir bonus et Dei cultor eximius, ut supra dixi, non solum in litteris perferendis, sed etiam in implenda ejus a quo missus fuerat voluntate, egregiam operam navavit. Verum majus erat negotium quam ut litterarum ministerio sedari posset : adeo ut contendentium rixa magis in dies aucta sit, et cunctas Orientis provincias vis mali pervaserit. Hæc livor invidiæ, et malignus Dæmon, Ecclesiæ felicitatem semper ægre ferens, in nostram perniciem machinatus est.



# LIBER TERTIUS.

## CAPUT I.

*Comparatio pietatis Constantini cum iniquitate persecutorum.*

Hoc modo Dæmon, bonorum omnium inimicus, qui Ecclesiæ felicitati semper invidere solet, pacis ac lætitiæ tempore tumultus et intestina bella in ea excitabat. Interim vero Deo charus Imperator quæ sui officii erant minime neglexit; prorsus contraria iis quæ tyrannica crudelitas paulo ante præsumpserat, agere studens. Eaque ratione cunctis hostibus atque inimicis superior fuit : nam primum quidem illi a veri Dei cultu alieni, cunctos mortales ad falsorum numinum cultum variis modis per vim adigebant : hic vero deos illos neutiquam esse tum verbis tum re ipsa convincens, universos ad ejus qui solus est Deus agnitionem hortatus est. Adhæc illi Christum Dei impiis vocibus deridebant : hic vero illud ipsum quod impii homines maledictis præcipue incessebant, salutis præsidium esse scripsit; Dominicæ passionis tropæo sese efferens. Illi cultores Christi persequebantur, eosque domo ac penatibus exturbabant; hic cunctos ab exilio revocavit, et domiciliis suis restituit : illi eos notabant infamia; hic honoribus auxit, et felices ac beatos omnium judicio effecit. Illi Dei cultorum bona injuste publicabant ac diripiebant : hic non solum ipsis bona sua restituit, sed plurimis insuper beneficiis affectos locupletavit. Illi scriptis constitutionibus calumnias

adversus ecclesiarum præsides divulgabant : hic contra eosdem viros extollens et honore afficiens, edictis ac legibus propositis illustriores quam antea reddidit. Et illi quidem oratoria funditus evertebant, et ab ipsis culminibus usque ad solum disjecta sternebant : hic vero oratoria quæ adhuc superessent altius erigi, et nova magnifico cultu prolatis ex imperiali ærario sumptibus exstrui præcepit. Illi oracula divinitus inspirata flammis aboleri jusserunt : hic sacrorum voluminum exemplaria sumptibus imperialis ærarii propagari, et magnifico apparatu decorari mandavit. Jubebant illi ne episcopi synodos congregare uspiam auderent : hic episcopos ex omnibus provinciis ad se accersivit ; nec modo intra palatium et in intimum usque cubiculum admisit, sed etiam mensæ tectique participes esse voluit. Illi dæmones donariis honorabant : hic eorum fraudes aperuit, et materiam ipsam donariorum nullis usibus dicatam, iis qui uti poterant perpetuo est dilargitus. Illi deorum templa magnifice ornari jubebant : hic ea quæ a superstitiosis hominibus præcipuo honore colebantur, funditus subvertit. Illi Dei servos ignominiosis pœnis afficiebant : hic eos quidem qui ista admiserant persecutus, debito affecit supplicio ; sanctorum autem Dei martyrum memorias colere nunquam destitit. Illi divino cultui dicatos homines ex palatio ejiciebant : hic ejusmodi hominibus præcipue confisus est, quippe quos præ cæteris omnibus benevolos fidosque sibi esse intelligeret. Illi pecuniæ cogendæ supra modum avidi, Tantalico cuidam affectui animum suum mancipaverant : hic regali magnificentia thesauros omnes recludens, liberali et generosa largitione eos distribuit. Denique illi quidem innumerabiles cædes perpetrabant, ut interfectorum bona diriperent ac publicarent : quamdiu vero imperavit Constantinus, cunctis judicibus gladius otiosus semper atque incruentus pependit ; cum in omnibus provinciis

populi simul ac decuriones patria quadam potestate potius quam vi ac necessitate regerentur. Quæ si quis attentius consideraverit, merito dicturus est, novum quoddam sæculum tandem apparuisse sibi videri, insolito lumine post diuturnas tenebras humano generi repente affulgente. Totumque hoc Dei opus esse fatebitur, qui adversus illam impiorum multitudinem hunc religiosum Imperatorem velut æmulum opposuerit.

## CAPUT II.

*Rursus de pietate Constantini, signum crucis libere profitentis.*

Nam cum illi quidem tales extitissent quales nulli unquam visi fuerant, eaque adversus Ecclesiam admittere ausi fuissent quæ nemo unquam ab ultima usque hominum memoria facta esse audierat, merito Deus inusitatum quoddam miraculum, Constantinum scilicet, in medium producens, ea per illum gessit quæ nec auditu unquam accepta, nec oculis visa fuerant. Quod enim miraculum magis novum et inusitatum fuit, quam Imperatoris nostri virtus, quem Dei sapientia humano generi donavit? Quippe ille cum omni fiducia ac libertate Christum Dei cunctis perpetuo prædicavit, nec salutari vocabulo censeri erubuit : verum ob eam rem sese magnopere efferens, omnibus se noscendum exhibuit; dum nunc quidem salutari signo vultum consignat, nunc triumphali gloriatur tropæo.

## CAPUT III.

*De imagine Constantini, cui crux quidem superposita erat, infra autem draco.*

Quinetiam in sublimi quadam tabula ante vestibulum

palatii posita, cunctis spectandum proposuit salutare quidem signum capiti suo superpositum; infra vero hostem illum et inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorum opera Ecclesiam Dei oppugnaverat, sub draconis forma in præceps ruentem. Quippe divina Oracula in Prophetarum libris draconem illum et sinuosum serpentem appellarunt : idcirco Imperator draconem telis per medium ventrem confixum, et in profundos maris gurgites projectum, sub suis suorumque liberorum pedibus cera igne resoluta depingi proponique omnibus voluit; hoc videlicet modo designans occultum humani generis hostem, quem salutaris illius tropæi quod capiti ipsius superpositum erat vi ac potentia in exitii barathrum detrusum esse significabat. Atque hoc quidem imago variis coloribus depicta tacite indicabat : mihi vero eximiam Imperatoris intelligentiam mirari subit, qui, divino quodam afflatu impulsus, ea pingendo expressit quæ Prophetarum vocibus de bestia illa multo ante prædicta fuerant : Deum scilicet machæram ingentem et terribilem adacturum esse in draconem serpentemque fugientem, et occisurum esse draconem qui est in mari[1]. Horum igitur figuram expressit Imperator, rem ipsam pictura prorsus imitatus.

## CAPUT IV.

*Rursus de controversiis in Ægypto excitatis ab Ario.*

Et hæc quidem ille libenti animo perficiebat : verum livor invidiæ qui ecclesias Dei in urbe Alexandria etiamtum conturbabat, et Thebæorum atque Ægyptiorum pestilens schisma, non mediocriter animum ipsius angebant; quippe cum per singulas urbes episcopi adversus episcopos con-

[1] Isai. XXVII, 1.

flictarentur, et populi adversus populos insurgerent, ac mutuis se vulneribus instar symplegadum collisi conciderent : adeo ut furore tandem ac desperatione acti, impia quædam admittere, ipsasque Imperatoris imagines violare ausi sint. Verum hæc non tam ad iracundiam Principem excitare, quam mœstitia animum ejus afficere potuerunt; quippe qui perditorum hominum amentiam magnopere deploraret.

## CAPUT V.

*De dissensione ob festum Paschæ.*

Alius quoque his antiquior suberat morbus longe gravissimus, qui Ecclesias jampridem infestabat; dissensio scilicet de salutari festo. Quippe alii consuetudinem Judæorum sequi oportere asserebant : alii tempus ipsum accurate observandum esse aiebant, nec errantibus assentiendum, qui ab Evangelica gratia hac etiam in parte alieni essent. Itaque cum omnes ubique populi jamdudum inter se dissiderent, et sacri religionis nostræ ritus conturbarentur (quippe in uno eodemque festo temporis diversitas maximum dissidium inter feriantes excitabat, cum hi jejuniis et ærumnis seipsos attererent, illi otio ac lætitiæ indulgerent), mortalium quidem nemo erat qui huic malo remedium posset adhibere; cum utrinque inter dissentientes velut æquata lance controversia penderet : soli omnipotenti Deo perfacile erat istis malis mederi. Unus porro in terris extabat Constantinus, qui ad hæc bona perficienda idoneus Dei minister esse videretur. Qui posteaquam hæc quæ modo dixi auditione accepit, et litteris quas ad Alexandrinos miserat nihil se profecisse cognovit, mentis suæ solertiam ipse excitans, novum sibi bellum adversus invisibilem hostem Ecclesiæ statum perturbantem, conficiendum esse dixit.

## CAPUT VI.

*Quomodo synodum Nicææ fieri jussit.*

Mox velut divinam quamdam phalangem adversus eum instruens, generalem synodum convocavit, honorificis litteris episcopos undique invitans ut quantocius adessent. Nec vero simplex ac nuda erat jussio. Sed præterea multum ad hoc opus contulit Imperatoris benignitas; qui aliis quidem cursus publici copiam præbuit, aliis vero jumentorum usum abunde subministravit. Quinetiam sedes huic synodo convenientissima assignata est, urbs quæ a victoria nomen habet Nicæa, in Bithynia sita. Perlato igitur in omnes provincias Imperatoris præcepto, statim cuncti velut ex transenna emissi, summa cum alacritate advolarunt. Alliciebat scilicet eos spes bonorum, et præsentis pacis opportunitas; novi denique miraculi, tanti nimirum Imperatoris spectaculum. Posteaquam in unum convenere, Dei opus esse id quod gerebatur apparuit : nam qui non modo animis, verum etiam corporibus et regionibus ac locis et provinciis longissime inter se dissiti erant, tunc in unum congregati cernebantur; et velut maximam quamdam sacerdotum coronam ex pulcherrimis floribus contextam, una cunctos civitas capiebat.

## CAPUT VII.

*De universali concilio, ad quod ex omnibus provinciis convenerunt episcopi.*

Etenim ex omnibus ecclesiis quæ universam Europam, Africam atque Asiam impleverant, ii qui inter Dei ministros principem locum obtinebant simul convenere; unaque ædes


sacra, velut Dei nutu dilatata, Syros simul et Cilicas, Phœnices et Arabes et Palæstinos, Ægyptios præterea, Thebæos ac Libyas, aliosque ex Mesopotamia advenientes, ambitu suo complexa est. Quidam etiam ex Perside episcopus synodo interfuit; nec vel Scytha abfuit ab hoc choro. Pontus item, Galatia, Pamphylia et Cappadocia, Asia quoque et Phrygia lectissimum quemque ex suis præbuere. Thraces quinetiam, Macedones, Achivi et Epirotæ, et qui longissimo intervallo ultra hos positi sunt, nihilominus affuere. Ab ipsa quoque Hispania vir ille multo omnium sermone celebratus, una cum reliquis aliis consedit. Aberat quidem regiæ urbis antistes ob senilem ætatem; sed præsto erant presbyteri qui vices ejus implerent. Hujusmodi coronam pacis vinculo consertam et connexam, solus ab omni ævo imperator Constantinus velut divinum grati animi monumentum pro victoriis quas de hostibus et inimicis retulerat, Christo Servatori suo dedicavit; hoc amplissimo cœtu, tanquam imagine quadam Apostolici chori, nostris temporibus convocato.

## CAPUT VIII.

*Quod sicut in Actis Apostolorum dicitur, ex variis gentibus convenerunt.*

Siquidem et Apostolorum temporibus viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est, in unum convenisse dicuntur. Inter quos erant Parthi, Medi, Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum, Asiam et Phrygiam ac Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ quæ est juxta Cyrenem : advenæ Romani, Judæi et proselyti, Cretenses et Arabes. Verum apud istos quidem hoc minus fuit, quod non omnes erant Dei ministri qui





convenerant : in præsenti autem choro episcopi quidem supra ducentos et quinquaginta affuerunt; presbyterorum vero qui eos comitati sunt, diaconorum, acoluthorum aliorumque complurium numerus iniri vix potest.

## CAPUT IX.


*De virtute et ætate ducentorum quinquaginta episcoporum.*

Porro ex his Dei ministris, alii sermone sapientiæ, alii gravitate vitæ et laborum tolerantia eminebant; alii modestia et comitate morum erant ornati. Ac nonnulli quidem eorum ob provectam ætatem maximo in honore erant; nonnulli et corporis et animi juvenili vigore enitebant. Quidam nuper admodum ministerii sui stadium erant ingressi. Quibus omnibus quotidie annonas copiose præberi Imperator mandaverat.

## CAPUT X.

*Synodus habita in palatio, quo ingressus Constantinus cum episcopis resedit.*

Cæterum die concilio constituta qua controversias dirimi oporteret, cum singuli præsto essent ex quibus synodus constabat, in ipsa media æde palatii, quæ reliquas omnes amplitudine superare videbatur, plurimis sedilibus ad utrumque ædis latus ordine dispositis, omnes qui accersiti fuerant introgressi suo quisque loco consedere. Postquam universa synodus cum decenti modestia resedit, omnes primum conticuere, Imperatoris processum expectantes. Mox unus ex proximis Imperatoris, deinde alter ac tertius ingreditur. Præcedebant quoque alii, non, ut moris est, ex militum ac



protectorum numero, sed ex amicis ii soli qui fidem Christi profitebantur. Cumque, signo dato quo Imperatoris introitus nuntiabatur, omnes assurrexissent, tandem ipse medius incedens advenit, velut quidam cœlestis Dei Angelus; purpuræ quidem vestis fulgore oculos omnium perstringens, et flammeis quibusdam radiis collucens; ad hæc auri et lapillorum eximio splendore exornatus. Et hujusmodi quidem corporis cultus erat. Quod vero ad animum spectat, satis apparebat eum timore Dei ac religione decoratum esse : atque id indicabant oculi demissi, rubor in vultu, et motus corporis atque incessus; sed et reliqua corporis species, proceritas scilicet qua cunctos qui circa ipsum erant longe superabat. Nec statura solum, sed etiam formæ decore, et totius corporis venusta quadam majestate, invicto denique virium robore cæteros anteibat. Quæ quidem omnia admirabili modestia et imperatoria lenitate temperata, eximiam et omni laude majorem mentis illius præstantiam declarabant. Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primum medius stetit : positaque ante eum humili sella ex auro fabrefacta non prius assedit, quam episcopi ei innuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere.

## CAPUT XI.

*Silentium concilii, postquam Eusebius episcopus pauca quœdam dixisset.*

Tum ex episcopis is qui in dextra parte primum locum obtinebat, consurgens, modica oratione Imperatorem allocutus est; propter illum gratias et laudes perhibens omnipotenti Deo. Postquam ille etiam assedit, mox cuncti defixis in Imperatorem oculis silentium fecere. Ille lætis oculis et placido vultu universos intuitus, ac deinde mentem suam

in se colligens, leni et moderata voce hujusmodi verba fecit.

## CAPUT XII.

*Constantini ad synodum oratio de pace.*

« Hæc erat summa votorum meorum, charissimi, ut cœtus vestri conspectu mihi quandoque frui contingeret. Cujus voti compos nunc factus, Deo omnium regi gratias ago, qui præter innumera alia beneficia, hoc omnium bonorum maximum mihi spectare concessit; ut scilicet vos in unum omnes congregatos, et conspirantibus animis unum idemque sentientes viderem. Nullus igitur posthac malevolus hostis felicem rerum nostrarum statum perturbet: nec post deletam funditus ac sublatam, Dei Servatoris auxilio, tyrannidem eorum qui Deo bellum indixerant, rursus malignus Dæmon alia via ac ratione divinam legem maledictis et calumniis exponat. Quippe intestina seditio Ecclesiæ Dei, mihi quidem omni bello et concertatione gravior ac periculosior videtur; nec externæ res tantum animo meo dolorem afferunt, quantum hæc negotia. Et eo quidem tempore quo Dei nutu atque auxilio adjutus victoriam de hostibus retuleram, nihil amplius mihi superesse existimabam, quam ut tum divino Numini gratias agerem, tum una cum iis quos Deus mea opera in libertatem vindicaverat, communi gaudio exultarem. Sed ubi de dissensione vestra nuntius ad me insperato perlatus est, equidem eam rem minime negligendam putavi; quippe optans ut huic malo mea quoque opera remedium adhiberetur, absque ulla cunctatione omnes vos accersivi. Et maximam quidem animo capio voluptatem, cum vos congregatos intueor. Sed me ex voto rem gessisse tunc demum existimabo, cum vestrum omnium animos inter se conjunctos ac permistos videro,

unamque velut omnium arbitram pacem atque concordiam; quam quidem vos, utpote Deo consecrati, aliis suadere ac prædicare debetis. Date igitur operam, o charissimi Dei ministri, et communis omnium vestrum Domini ac Servatoris fideles famuli, ut, sublatis quamprimum mutuæ inter vos dissensionis causis, omnes controversiarum nodos pacis legibus sine ulla mora dissolvatis. Hac enim ratione et summo omnium Deo rem gratissimam facturi, et mihi conservo vestro ingens beneficium collaturi estis. »

## CAPUT XIII.

*Quomodo episcopos inter se certantes ad concordiam revocarit.*

Hæc ille cum latino sermone dixisset, quæ alius quispiam græce interpretatus est, deinceps concilii præsidibus sermonem concessit. Tum vero alii proximos insimulare cœperunt, alii accusantibus respondere, et vicissim queri. Multis igitur hunc in modum ex utraque parte propositis, magnaque controversia in ipso principio excitata, Imperator cuncta patientissime auscultans, intento animo propositas quæstiones excepit; et quæ ab utraque parte dicebantur vicissim astruens atque adjuvans, pertinacius certantes paulatim conciliavit. Cumque omnes placide alloqueretur, et græca uteretur lingua, quippe qui ne hujus quidem linguæ ignarus esset, suavissimus ac jucundissimus fuit; dum alios vi rationum adductos in suam sententiam trahit, alios orat et flectit, eosque qui recte dixissent laudibus afficit, et universos ad concordiam incitat : donec tandem eos concordes in omnibus de quibus antea certabatur, et consentientes effecit.

## CAPUT XIV.

*Concors synodi sententia de fide et de Pascha.*

Adeo ut non modo unius fidei consonantia apud omnes obtineret, verum etiam unum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur. Porro ea quæ in commune placuerant, scriptis mandata, et singulorum subscriptione roborata sunt. Quibus ita gestis, Imperator alteram hanc victoriam de hoste Ecclesiæ se retulisse testatus, triumphalem festivitatem in honorem Dei celebravit.

## CAPUT XV.

*Quomodo Constantinus vicennalibus suis episcopos convivio exceperit.*

Eodem tempore vicesimus imperii ejus annus complebatur : cujus rei causa cum in omnibus provinciis publicæ festivitates agerentur, Imperator Dei ministros ad convivium vocavit; et cum iisdem jam inter se conciliatis epulatus, hoc velut conveniens sacrificium per illos obtulit Deo. Neque ullus episcoporum ab hoc imperiali convivio abfuit. Res porro ipsa omnem dicendi copiam longe superabat : protectores enim et milites in orbem dispositi, strictis gladiis palatii vestibulum custodiebant; homines autem Dei per medium illorum absque ullo metu transibant, et ad intima usque palatii penetralia ingrediebantur. Ex his deinde alii una cum Imperatore accubuerunt; alii instibadiis utrinque dispositis discubuere. Prorsus imago quædam regni Christi adumbrari, resque ipsa somnio quam veritati propior videbatur.

## CAPUT XVI.

*Munera episcopis donata, et litteræ ad omnes scriptæ.*

Celebratis splendidissimo apparatu conviviis, Imperator cunctos liberaliter excipiens, id etiam pro sua magnificentia adjecit, ut unumquemque pro meritis ac dignitate muneribus honoraret. Eos quoque qui huic synodo minime interfuissent, de rebus in ea gestis certiores fecit per litteras : quas in hoc opere, tanquam in tabula quadam incisas, proponam. Sunt autem hujusmodi.

## CAPUT XVII.

*Epistola Constantini ad ecclesias de synodo Nicæna.*

« Constantinus Augustus Ecclesiis.

» Cum ex prospero reipublicæ statu compertum haberem quanta fuisset erga nos omnipotentis Dei benignitas, in hoc præcipue mihi elaborandum esse existimavi, ut a sanctissimis Ecclesiæ catholicæ populis una fides, sincera charitas, et consona erga omnipotentem Deum religio servaretur. Sed quoniam fieri non poterat ut ea res firme ac stabiliter constitueretur, nisi omnibus episcopis, vel certe plurimis eorum in unum congregatis, singula quæ ad sacratissimam religionem pertinent disceptata prius fuissent; hanc ob causam coactis quam fieri potuit plurimis sacerdotibus, me quoque tanquam uno ex vobis præsente (neque enim negaverim id quo maxime exulto, conservum me vestrum esse), cuncta competenti examine eo usque discussa sunt, donec inspectori omnium Deo accepta sententia, ad unitatis concentum proferretur in lucem : ita ut nullus dissensioni, nullus controversiæ de fide locus amplius relinqueretur.

## CAPUT XVIII.

*De consensu in celebratione festi Paschalis et contra Judæos.*

» Ubi cum de sanctissimo etiam Paschæ die quæsitum fuisset, communi omnium sententia decretum est eam festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere. Quid enim pulchrius, quid honestius nobis esse possit, quam ut hæc festivitas, a qua spem immortalitatis accepimus, uno eodemque ordine et certa ratione ab omnibus inoffense observetur? Ac primum quidem visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in sanctissimæ hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur; qui cum manus suas nefario scelere contaminarint, merito impuri homines cæcitate mentis laborant. Quippe, rejecta illorum consuetudine, possumus rectiori ordine, quem a primo Passionis die ad hæc usque tempora servavimus, ad futura etiam sæcula hujus observantiæ ritum propagare. Nihil ergo nobis commune sit cum inimicissima Judæorum turba : aliam enim viam a Servatore accepimus : propositus est sacratissimæ religioni nostræ cursus legitimus et honestus, hunc unanimi consensu retinentes, ab illa turpissima societate et conscientia nos abstrahamus, fratres charisssimi. Est enim profecto absurdissimum quod illi magnifice jactant, nos absque ipsorum magisterio hæc commode observare non posse. Quidnam vero illi recte sentire possint qui post necem Domini, post illud parricidium mente capti, non ratione, sed præcipiti impetu feruntur quocumque innatus furor ipsos impulerit? Hinc est quod ne in hac quidem parte veritatem ipsam perspiciunt : adeo ut a convenienti emendatione longissime aberrantes, uno eodemque anno duo Paschata celebrent. Quid ergo est cur istos sequamur, quos

constat gravissimo erroris morbo laborare? Nam uno eodemque anno geminum Pascha facere, nunquam profecto sustinebimus. Verum etiamsi quæ dixi minime suppeterent, vestræ tamen solertiæ est id curare omnibus modis atque optare, ne sanctitas animarum vestrarum in ullius rei similitudine cum nequissimorum hominum moribus sociari et commisceri videatur. Illud præterea considerandum est, nefas esse ut in tanti momenti negotio et in hujusmodi religionis solemnitate, dissensio reperiatur. Unum enim libertatis nostræ festum diem, hoc est diem sacratissimæ Passionis, Servator noster nobis reliquit; unamque esse voluit catholicam Ecclesiam, cujus membra licet variis locis dispersa sint, uno tamen spiritu, Dei scilicet voluntate, foventur. Consideret, quæso, vestræ sanctitatis solertia, quam grave sit et indecorum, iisdem diebus alios quidem jejuniis intentos esse, alios vero convivia celebrare; et post dies Paschæ, alios quidem in festivitatibus et animorum remissione versari, alios vero definitis vacare jejuniis. Hoc itaque convenienti emendatione corrigi, et ad unam eamdemque formam redigi, divina vult Providentia, quemadmodum omnes meo quidem judicio intelligitis.

## CAPUT XIX.

*Hortatio ut maximam partem orbis terrarum sequi velint.*

» Proinde cum hoc ita emendari oporteret, ut nihil nobis commune esset cum illorum Domini interfectorum et parricidarum consuetudine; cumque hic ordo decentissimus sit, quem omnes tam occidentalium quam meridianarum et septentrionalium orbis partium Ecclesiæ, ac nonnullæ quoque orientalium servant : idcirco id æquum rectumque esse omnes judicaverunt, quod et vobis placiturum esse

spopondi, ut scilicet quod in urbe Roma perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libyas, per universam Achaïam, per Asianam et Ponticam diœcesim, per Ciliciam denique concordi sententia observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur; illud nimirum attendens, non modo majorem esse numerum ecclesiarum in locis supra memoratis, verum etiam æquissimum esse ut omnes in commune id velint quod stricta ratio exigere videtur, nec ullam cum Judæorum perjurio societatem habere. Atque ut summatim ac breviter dicam, placuit communi omnium judicio, ut sanctissimæ Paschæ festivitas uno eodemque die celebraretur : neque enim decet in tanta sanctitate aliquam esse dissonantiam; præstatque eam sequi sententiam in qua nulla est alieni erroris scelerisque societas atque communio.

## CAPUT XX.

*Hortatio ut omnes decretis Synodi assentiantur.*

» Quæ cum ita sint, cœlestem gratiam et plane divinum mandatum libenter suscipite. Quidquid enim in sanctis episcoporum conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem. Quamobrem ubi ea quæ gesta sunt dilectis fratribus nostris intimaveritis, supradictam rationem et sanctissimi diei observantiam suscipere et constituere debetis; ut cum in dilectionis vestræ conspectum jampridem a me desideratum venero, uno eodemque vobiscum die sanctam festivitatem peragere possim; utque de omnibus una vobiscum gaudeam, cernens Diaboli crudelitatem divina potentia nobis operam navantibus esse sublatam, florente ubique terrarum vestra fide, et pace atque concordia. Deus vos servet, fratres charissimi. »

Hanc epistolam Imperator eodem exemplo scriptam, in omnes provincias direxit; ut suæ erga Deum pietatis sinceritatem tanquam in speculo quodam aspiciendam legentibus præberet.

## CAPUT XXI.

*Episcopis discessuris consilium dat ut concordiam servent.*

Porro cum synodus jam dissolvenda esset, Imperator sermonem cum episcopis habuit quo ipsis valediceret : quippe omnes certo die in unum convocavit; cumque adessent, eos admonuit ut pacis inter se servandæ studiosi essent, et pervicaces contentiones fugerent, nec inviderent si quis inter ipsos episcopus sapientiæ et facundiæ laude floreret; sed uniuscujusque virtutem commune omnium bonum esse existimarent : neve ii qui præstantiores sunt, supra inferiores sese efferrent, Dei enim esse de vera cujusque virtute ac præstantia judicare; decere potius ut præstantiores infirmioribus sese accommodent cum indulgentia quadam ac lenitate, præsertim cum absolutum omnibus numeris quidpiam reperire prorsus difficillimum sit : itaque ipsos levis aliorum delicti mutuo veniam indulgere et quidquid humanitus peccatum sit condonare oportere, magnam semper rationem habentes mutuæ concordiæ; ne forte dum ipsi inter se seditiones agitant, iis qui divinam legem maledictis incessere parati sunt, ridendi præbeatur occasio : quorum tamen maximam rationem ab ipsis habendam esse, quippe cum facile servari possint, si ea quæ apud nos geruntur illis eximia et admiranda videantur : neque vero ipsis obscurum esse, sermonum copiam haudquaquam omnibus hominibus utilitatem afferre; alii enim tanquam ad vitam sustentandam commoda sibi suppeditari gaudent, alii ad patrocinium solent confugere; quidam eos a quibus benigne excipiuntur

diligunt, nonnulli munusculis honorati ad amicitiam ineundam impelluntur : pauci admodum sunt veri sermonum amatores; nec facile invenitur qui veritatis studiosus sit : quam ob causam omnibus sese accommodare oportet, et instar medici cujusdam ea quæ ad uniuscujusque salutem utilia sunt subministrare, ut salutaris doctrina omni ex parte ab omnibus honoretur. Et hæc quidem primo loco Imperator eis præcepit : ad extremum vero adjecit, ut pro se quoque preces ad Deum sedulo facerent. Cum in hunc modum eis valedixisset, cunctis posthæc in patriam redeundi potestatem fecit. Illi igitur summa cum hilaritate domum reversi sunt : ac deinceps una apud omnes valuit opinio, sub ipsius Imperatoris præsentia communi omnium consensu firmata; cum ii qui jamdudum a se mutuo divulsi erant, in unum veluti corpus coaluissent.

## CAPUT XXII.

*Quomodo alios quidem hortatus sit, ad alios autem scripserit; et de pecuniarum divisione.*

Tanto igitur successu Imperator exhilaratus, iis qui synodo minime interfuissent gratissimum fructum per litteras præbuit. Sed et universis populis, tam iis qui per agros quam qui in urbibus habitabant, magnam pecuniæ vim distribui jussit; publicam festivitatem ob vicesimum imperii sui annum hac ratione concelebrans.

## CAPUT XXIII.

*Quomodo ad Ægyptios scripserit, eosque ad pacem hortatus sit.*

Verum cunctis inter se pacem colentibus, apud solos

Ægyptios implacabilis contentionis furor ardebat; adeo ut molestiam quidem exhiberent Imperatori, non ideo tamen eum ad iracundiam excitarent. Illos enim ut patres, aut potius ut prophetas Dei, omni honore Imperator afficiens, iterum ad se vocavit, iterum arbiter eorumdem fuit, iterum eos muneribus ac donis honoravit. Sententiam quoque quam arbiter dixerat, per epistolam significavit; confirmans et sanciens ea quæ a Synodo decreta fuerant, eosque adhortans ut concordiæ studerent, nec Ecclesiæ corpus distrahere ac discerpere vellent, sed futurum Dei judicium animo reputarent. Et hæc quidem Imperator speciali epistola eis suggessit.

## CAPUT XXIV.

*Quomodo episcopis et plebibus religiosas litteras sæpius scripsit.*

Sed et alia plurima ejusmodi scripsit, ac pene innumerabiles exaravit epistolas; nunc episcopis præscribens ea quæ ad Ecclesiarum Dei utilitatem spectabant; nunc ipsas plebes per litteras compellans, fratresque et conservos suos nominans Ecclesiæ populos, vir beatissimus. Verum hæc separato volumine colligere alias fortasse otium fuerit, ne hujus historiæ nostræ series interrumpatur.

## CAPUT XXV.

*Quomodo Hierosolymis in sancto Dominicæ resurrectionis loco templum extrui præcepit.*

His ita gestis, Imperator Deo charus aliud quiddam imprimis memorabile aggressus est in Palæstina. Quidnam vero illud est? Beatissimum illum Dominicæ resurrectionis locum qui est Hierosolymis, illustrem ac venerabilem cunc-

tis mortalibus efficere officii sui esse existimavit. Confestim igitur oratorium ibidem extrui mandavit; non absque Dei nutu eo inductus, sed ipso Servatore ejus animum incitante.

## CAPUT XXVI.

*Quomodo impii sepulcrum Domini ruderibus et simulacris superpositis obtexerant.*

Quippe impii quondam homines, seu potius universum dæmonum genus impiorum hominum opera, venerandum illud immortalitatis monumentum tenebris atque oblivione penitus involvere studuerant : illud, inquam, monumentum, ad quod Angelus olim e cœlo delapsus admirabili luce radians, saxum revolverat ex animis eorum qui vere saxei erant, et qui viventem Christum inter mortuos adhuc jacere arbitrabantur; felicem nuntium afferens mulieribus, et incredulitatis lapidem a mentibus earum removens, ut opinionem de vita ejus qui ab illis quærebatur astrueret. Hanc igitur salutarem speluncam impii quidam ac profani homines funditus abolere in animum induxerant, stulte admodum opinati se hoc modo veritatem esse occultaturos. Itaque non sine summo labore, plurima humo aliunde advecta aggestaque totum locum opplevere : quem cum mediocri altitudine extulissent et lapide constravissent, sub hac tanta congerie sacram speluncam obtexerunt. Dehinc perinde ac si nihil amplius ipsis superesset, supra illud solum infaustum prorsus animarum sepulcrum extruxerunt; obscuram mortuorum simulacrorum cavernam in honorem lascivi dæmonis quem Venerem vocant, ædificantes. Ubi execranda sacrificia super profanis et impuris altaribus offerebant : id enim quod instituerant ita demum se perfecturos esse opinabantur, si impuris hujusmodi sordibus salutarem speluncam

obruissent. Miseri enim illud intelligere non poterant, fieri omnino non posse ut qui de morte victoriam retulisset, hoc ipsorum facinus occultum relinqueret : quemadmodum nec fieri potest ut sol supra terras radians, et consuetum in cœlo cursum peragens, totius generis humani notitiam subterfugiat. Quippe Servatoris nostri potentia longe præstantiori luce resplendens, nec ut sol corpora, sed animos hominum illustrans, totum jam terrarum orbem radiis implebat. Sed nihilominus ea quæ impii ac profani homines adversus veritatem machinati fuerant, longo temporis spatio permanserunt. Nec ullus ex præsidibus, aut ex ducibus, aut ex ipsis etiam imperatoribus, qui ad tantum scelus evertendum idoneus foret, inventus est, præter unum Deo omnium regi acceptissimum principem : qui divino animatus spiritu, cum supra memoratum locum omnibus purgamentis ac sordibus ab adversariis fraudulenter obstructum, et oblivioni penitus traditum esse indigne ferret, nec improbitati eorum qui id moliti fuerant cedendum esse arbitraretur, Dei adjutoris sui numine invocato, purgari præcepit ; ratus eam maxime soli partem, quam adversarii contaminassent, sua opera ac ministerio divina frui magnificentia oportere. Simul atque hoc ab Imperatore præceptum est, continuo opera illa ad fraudem comparata, e sublimi ad solum dejecta sunt ; et ædificia ad decipiendos homines constructa, cum ipsis statuis ac dæmonibus diruta sunt ac dissipata.

## CAPUT XXVII.

*Quomodo Constantinus templi materiam ac rudera longissime projici mandavit.*

Neque tamen hic conquievit Imperatoris alacritas ; sed præterea tolli ruta cæsa, et quam longissime extra fines re-

gionis projici mandavit : quod itidem præceptum, protinus executioni mandatum est. Hucusque vero progressus Imperator, nequaquam sibi satisfecit; sed divino quodam æstu incitatus, jussit ut loco altissime effosso, solum ipsum utpote dæmonum piaculis contaminatum, simul cum egesta humo quam longissime exportaretur.

## CAPUT XVIII.

*Manifestatio sanctissimi Sepulcri.*

Nec mora, istud quoque ut jussum erat impletum est. Postquam aliud solum, locus scilicet qui in imo erat, apparuit, tunc vero ipsum augustum sanctissimumque Dominicæ resurrectionis monumentum præter omnium spem refulsit; et spelunca illa, quæ sancta sanctorum vere dici potest, resurrectionis Servatoris nostri quamdam expressit similitudinem, cum post situm ac tenebras quibus obtecta fuerat rursus in lucem prodiit, et miraculorum quæ ibi quondam gesta fuerant historiam iis qui ad spectandum confluxerant manifestissime videndam exhibuit, rebus ipsis, quæ omni voce clarius sonant, Servatoris nostri resurrectionem testata.

## CAPUT XXIX.

*Quomodo de construenda ecclesia ad præsides et ad Macarium episcopum litteras dedit.*

His ad hunc modum gestis, confestim Imperator emissis constitutionibus et liberali sumptu suppeditato, circa salutarem speluncam Deo dignum templum regali magnificentia extrui jubet : quippe jampridem hoc apud se constituerat, idque quod erat futurum divina quadam alacritate

prævideraт. Ac rectoribus quidem provinciarum per Orientem præcepit ut, impensis copiose subministratis, ingens amplumque et magnificum opus illud efficerent. Ad episcopum vero qui tunc temporis Hierosolymorum regebat ecclesiam, ejusmodi litteras dedit, quibus salutaris fidei doctrinam apertissimis verbis astruebat, ita scribens.

## CAPUT XXX.

*Constantini ad Macarium epistola de ædificatione Martyrii Servatoris nostri.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, Macario.

» Tanta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimæ illius passionis monumentum, sub terra jampridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quoad, communi omnium hoste sublato, famulis ejus in libertatem vindicatis affulgeret, omnem revera admirationem superat. Nam tametsi omnes quotquot ubique terrarum sapientes habentur, in unum coacti, aliquid pro hujus rei dignitate dicere instituerint, ne ad minimam quidem ejus partem aspirare posse mihi videntur : quippe hujus miraculi fides omnem humanæ rationis capacem naturam tantum excedit quantum humanis divina præcellunt. Quocirca hic unus mihi ac præcipuus semper est scopus, ut quemadmodum veritatis fides novis quotidie miraculis inclarescit, sic etiam mentes omnium nostrum ad sanctissimæ legis observantiam cum omni modestia et concordi alacritate incitentur. Quod quoniam omnibus perspectissimum esse confido, illud tibi imprimis persuasum velim, nihil mihi antiquius esse quam ut sacrum illum locum quem Dei jussu turpissima adjectione simulacri velut gravi quodam pondere exoneravi, et

qui ab initio quidem Dei judicio sanctus fuit, postea vero multo sanctior effectus est, ex quo Dominicæ passionis fidem in lucem protulit; eum, inquam, locum fabricarum pulchritudine exornemus.

## CAPUT XXXI.

*Quod hanc ædem, mœnium, columnarum et marmorum venustate cæteras ecclesias superare voluerit.*

» Decet itaque prudentiam tuam, singula ad opus necessaria ita disponere et curare, ut non modo basilica ipsa omnium quæ ubique sunt pulcherrima, sed et reliqua membra ejusmodi sint, ut omnes quantumvis eximiæ singularum urbium fabricæ, ab hac una facile superentur. Ac de parietum quidem substructione et elegantia, Draciliano amico nostro, agenti vices præfectorum prætorio, et præsidi provinciæ, scias a me curam esse commissam. Jussit siquidem pietas nostra ut artifices et operarii, et quæcumque ad hoc opus necessaria esse ex prudentia tua cognoverint, protinus instante illorum sollicitudine dirigantur. De columnis vero et marmoribus, quæcumque et pretiosiora et utiliora esse ipso aspectu judicaveris, cura ut ad nos perscribas : ut cum ex litteris tuis cognoverimus quot et qualibus opus sit, ea undique possint comportari. Æquum est enim ut qui præ totius orbis locis maxime admirabilis est locus, pro dignitate sua exornetur.

## CAPUT XXXII.

*Ut de pulchritudine conchæ, et de artificibus ac de materia Macarius ad præsides scribat.*

» Porro cameram basilicæ, utrum laqueatam, an alio

quopiam operis genere faciendam censeas, certior a te fieri velim : nam si laqueata fiet, auro quoque poterit exornari. Restat igitur ut sanctitas tua supra memoratis judicibus quamprimum significet quot operariis et artificibus et sumptibus opus erit ; utque ad me celeriter referat, non modo de marmoribus et columnis, sed etiam de lacunaribus, si hoc opus venustius esse censueris. Divinitas te servet, frater charissime. »

## CAPUT XXXIII.

*Quomodo ecclesia Servatoris extructa fuerit, quam Prophetæ novam Hierusalem appellaverant.*

Et hæc quidem ab Imperatore scripta sunt. Cæterum effectus verba ipsa statim subsecutus est : et in ipso Servatoris nostri martyrio nova fabricata est Hierusalem, ex adverso veteris illius celeberrimæ, quæ post nefariam Domini cædem ultimam vastitatem experta, pro incolarum impietate pœnas persolverat. Contra hanc igitur Imperator tropæum victoriæ quam Servator noster de morte retulerat, ambitioso cultu erexit. Atque hæc forsitan fuerit recens illa ac nova Hierusalem, Prophetarum vaticiniis prædicata, de qua in sacris voluminibus tot præconia ab ipso divino Spiritu pronuntiata leguntur. Primum igitur sacram illam speluncam, utpote totius operis caput, exornavit : divinum scilicet monumentum, juxta quod olim cœlesti luce radians Angelus, regenerationem quæ per Servatorem ostendebatur omnibus nuntiaverat.

## CAPUT XXXIV.

*Descriptio fabricæ sancti Sepulcri.*

Hoc, inquam, monumentum tanquam totius operis caput, Imperatoris magnificentia eximiis columnis et maximo cultu primum omnium decoravit, et cujusquemodi ornamentis illustravit.

## CAPUT XXXV.

*Descriptio atrii et porticuum.*

Transgressus inde est ad vastissimum locum libero patentem cœlo. Cujus solum splendido lapide constravit, longissimis undique porticibus ad tria latera additis.

## CAPUT XXXVI.

*Descriptio parietum tectique, et ornatus atque inaurationis ipsius basilicæ.*

Quippe lateri illi quod e regione speluncæ positum solis ortum spectabat, conjuncta erat basilica : opus plane admirabile, in immensam altitudinem elatum, et longitudine ac latitudine maxima expansum. Cujus interiora quidem versicoloribus marmoris crustis obtecta sunt; exterior vero parietum superficies, politis lapidibus probe inter se vinctis decorata, eximiam quamdam pulchritudinem, nihilo inferiorem marmoris specie, præferebat. Ad culmen vero et cameras quod attinet, exteriora quidem tecta plumbo tanquam firmissimo quodam munimento ad hibernos imbres arcendos obvallavit. Interius autem tectum sculptis lacu

naribus consertum, et instar vasti cujusdam maris compactis inter se tabulis per totam basilicam dilatatum, totumque auro purissimo coopertum, universam basilicam velut quibusdam radiis splendere faciebat.

## CAPUT XXXVII.

*Descriptio geminarum utrinque porticuum, et trium portarum orientalium.*

Porro ad utrumque latus geminæ porticus tam subterraneæ quam supra terram eminentes, totius basilicæ longitudinem æquabant; quarum concamerationes auro perinde variatæ sunt. Ex his, quæ in fronte basilicæ erant, ingentibus columnis fulciebantur; quæ vero interiores, pessis magno cultu extrinsecus ornatis sustinebantur. Portæ tres ad orientem solem apte dispositæ, introëuntium turbam exceperunt.

## CAPUT XXXVIII.

*Descriptio hemisphærii, et duodecim columnarum cum crateribus.*

E regione harum portarum erat hemisphærium, quod totius operis caput est, usque ad culmen ipsius basilicæ protentum. Cingebatur id duodecim columnis, pro numero sanctorum Servatoris nostri Apostolorum. Quarum capita maximis crateribus argenteis erant ornata : quos Imperator tanquam pulcherrimum donarium, Deo suo dicaverat.

## CAPUT XXXIX.

*Descriptio atrii, exhedrarum et vestibulorum.*

Hinc ad eos aditus qui ante templum sunt progredienti-

bus, aream interposuit. Erant autem in eo loco primum atrium, deinde porticus ad utrumque latus, ac postremo portæ atrii. Post has totius operis vestibula in ipsa media platea in qua forum est rerum venalium, ambitioso cultu exornata, iter forinsecus agentibus, aspectum earum rerum quæ intus cernebantur non sine quodam stupore exhibebant.

## CAPUT XL.

*De numero donariorum.*

Hoc igitur templum tanquam salutiferæ resurrectionis testimonium Imperator extruxit, et magnifico planeque regio apparatu decoravit. Nec dici potest quot quantisque ornamentis ac donariis, partim ex auro et argento, partim ex gemmis, illud diversimode venustavit : quorum apparatum summo artificio elaboratum, et magnitudine et numero et variete insignem, hic singillatim exponere haud vacat.

## CAPUT XLI.

*De ædificatione ecclesiæ apud Bethlehem et in monte Olivarum.*

Alia quoque ejusdem regionis loca duabus sacris speluncis nobilitata, ambitioso cultu exornare aggressus est. Et speluncam quidem illam in qua Servator noster divinam præsentiam suam primum exhibuit, et in carne nasci sustinuit, Imperator convenienti honore affecit. In altera vero spelunca, ascensionis Dominicæ quæ in montis vertice olim contigerat, memoriam honoravit. Atque hæc loca magnifico cultu exornans, simul nomen matris suæ, cujus opera ac ministerio tantum bonum humano generi procurabatur, ad æternam posterorum memoriam consecrāvit.

## CAPUT XLII.

*Quomodo Helena Augusta, Constantini mater, Bethlehem orandi causa profecta, has ecclesias ædificavit.*

Nam cum illa debitum piæ affectionis munus Deo omnium regi persolvere decrevisset, et pro filio suo tanto scilicet imperatore, ac pro filiis ejus Cæsaribus Deo charissimis, nepotibus suis, gratias cum supplicationibus agendas sibi esse statuisset, quamvis affecta jam ætate, tamen juvenili animo properavit, mulier singulari prudentia, ut terram veneratione dignam perlustraret, et Orientis provincias urbesque ac populos cum regali quadam sollicitudine ac providentia inviseret. Postquam vero Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est, prout olim propheticus sermo prædixerat : « Adoremus, *inquit,* in loco ubi steterunt pe» des ejus[1]; » continuo pietatis suæ fructum posteris etiam dereliquit.

## CAPUT XLIII.

*Rursus de ecclesia Bethlehemitica.*

Etenim Deo quem adoraverat duo statim templa dedicavit, alterum ad speluncam in qua natus est Dominus, alterum in eo monte ex quo in cœlum ascenderat : nam et Emmanuel, quod est nobiscum Deus, sub terra pro nobis nasci sustinuit; et locus nativitatis ipsius, Bethlehem ab Hebræis est appellatus. Ideoque Dei amantissima Augusta Deiparæ virginis partum eximiis monumentis ornavit, sacram illam speluncam omni cultus genere illustrans. Nec multo post Imperator eamdem Domini nativitatem regalibus donariis honoravit, variis ex auro et argento monumen-

[1] Psal. CXXXI, 7.

tis, velisque acu pictis, matris suæ cumulans magnificentiam. Præterea Imperatoris quidem mater in memoriam ascensionis Christi omnium Servatoris, in monte Olivarum sublimia extruxit ædificia, in ipso montis vertice sacram erigens ædem cum templo. Hic porro Servatorem omnium Christum, arcanis mysteriis Discipulos suos in ipsa spelunca initiasse, verax testatur historia. Imperator vero hoc etiam in loco variis ornamentis ac donariis summum omnium Regem veneratus est. Atque hæc duo augusta ac pulcherrima monumenta, immortali memoria digna in duabus sacris speluncis, Helena Augusta, religiosi Imperatoris mater religiosissima, piæ devotionis argumenta Deo Servatori suo dedicavit, cum filius imperialis potentiæ subsidium ei conferret. Nec multo post grandæva mulier dignum laboribus suis præmium retulit; nam cum totum vitæ suæ tempus usque ad prima senectutis limina in summa felicitate traduxisset, et divinorum mandatorum uberes fructus tum verbis tum operibus protulisset, ac propterea vitam doloris expertem cum summa mentis et corporis sanitate peregisset, tandem exitum pietati suæ convenientem, et mercedem bonorum operum in hac etiam vita a Deo consecuta est.

## CAPUT XLIV.

*De magnitudine animi et beneficentia Helenæ.*

Quippe dum totum Orientem cum regali magnificentia peragrat, tum civitatibus, tum privatis qui ipsam adibant, innumera beneficia acervatim contulit : innumera quoque militaribus numeris liberali manu distribuit. Pauperibus autem ac nudis et omni ope ac solatio destitutis quamplurima donavit, illis pecuniam, his vestem ad tegendam corporis nuditatem prolixe suppeditans. Alios item vinculis, aut me-

tallorum ærumnis afflictos exsolvit; quosdam violentia potentiorum oppressos liberavit : nonnullos etiam ab exilio revocavit.

## CAPUT XLV.

*Quomodo Helena in ecclesiis religiose versata sit.*

Hujusmodi operibus cum magnam sibi gloriam comparasset, pietatem erga Deum minime neglexit : nam et assidue, cunctis videntibus, in ecclesiam ventitabat, et sacras ædes eximiis ornamentis decorabat, ne minimarum quidem urbium sacella despiciens. Itaque videre erat mulierem prorsus admirabilem, modesto ac decenti habitu una cum reliqua multitudine versantem, suamque erga Deum religionem omni piorum operum genere declarantem.

## CAPUT XLVI.

*Quomodo octogenaria testamento facto, e vita decessit.*

Jam vero cum satis longo vitæ spatio decurso ad feliciorem sortem vocaretur, annum ætatis agens circiter octogesimum, in ipso mortis confinio posita, testamento facto, ultimam voluntatem declaravit, hæredem relinquens unicum filium, solum Imperatorem ac dominum orbis terrarum, cum filiis nobilissimis Cæsaribus nepotibus suis : quorum singulis bona quæ per universum orbem possidebat, divisit. In hunc modum testamento facto, diem ultimum clausit, præsente et astante ipsi tali tantoque filio, et omni obsequiorum genere matrem fovente, manusque ejus amplectente : adeo ut nequaquam mori mulier beatissima, sed potius caducam hanc vitam cum immortali vita commutare, recte sentientibus videretur. Anima igitur illius in incorrup-

tibilem et angelicam substantiam reformata, ad Deum Servatorem suum assumpta est.

## CAPUT XLVII.

*Quomodo Constantinus matrem deposuit; et qualiter illum coluit dum viveret.*

Cadaver autem ipsius honore haudquaquam vulgari affectum fuit; nam cum ingenti satellitum numero in regiam urbem pervectum, ibidem in regali monumento depositum est. Hoc modo Imperatoris mater vivendi finem fecit : mulier sempiterna memoria dignissima, tum ob religiosos actus quibus enituit, tum ob præstantissimum illum et admirabilem fœtum qui ex illa ortus est. Quem quidem ob cæteras res, maxime vero ob pietatem in matrem, beatum convenit prædicare : quippe illam, cum antea Dei cultrix non esset, tam piam ac religiosam præstitit, ut a communi omnium Servatore instituta fuisse videretur. Regalibus autem honoribus ita eamdem ornavit, ut in omnibus provinciis, tum a paganis tum a militibus Augusta et imperatrix nuncuparetur, et aurei nummi ejus imagine signarentur. Quinetiam thesaurorum regalium potestatem ei Constantinus concesserat, quibus pro arbitrio et ex animi sui sententia, prout libitum esset uteretur : nam et in hac parte matrem suam conspicuam et beatam omnium judicio reddidit. Quocirca ex iis quæ ad memoriam illius illustrandam pertinent, non immerito hæc etiam assumpsimus quæ Imperator pro singulari sua pietate in honorem matris suæ gessit, dum divinis obtemperat legibus, quæ filiis debita in parentes officia injungunt. Hujusmodi pulcherrima opera in Palæstina Imperator, uti diximus, extruxit : sed et in reliquis provinciis novas a fundamentis ædificans ecclesias, multo augustiores quam quæ antea erant effecit.

## CAPUT XLVIII.

*Quomodo Constantinopoli martyria construxit, omnemque idolorum cultum abolevit.*

Cum vero civitatem nominis sui ad summam gloriam extollere instituisset, plurimis eam oratoriis exornavit, amplissimisque martyriis et splendidissimis ædibus, partim in suburbiis, partim in ipsa civitate constructis. Atque hoc modo simul martyrum honoravit memoriam, simul civitatem suam ipsi martyrum Deo consecravit. Totus denique sapientia Dei exæstuans, urbem illam quam appellatione nominis sui insignire decreverat, omni idolorum cultu usque adeo vacuam esse voluit, ut nusquam in illa falsorum numinum simulacra in templis colerentur; ac ne aræ quidem victimarum cruore contaminatæ, nec hostiæ igne consumptæ cernerentur, nec dæmonum festivitates, nec quidquam eorum quæ apud superstitiosos vulgata sunt, ibidem ageretur.

## CAPUT XLIX.

*Signum crucis in palatio, et imago Danielis in fontibus.*

Vidisses igitur in fontibus qui sunt in medio foro, boni Pastoris imagines, divinorum oraculorum peritis notissimas; Danielis item effigiem una cum leonibus ære expressam, et auri bracteis refulgentem. Tantus porro divini Numinis amor Imperatoris animum occupaverat, ut in totius palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula quæ in medio lacunaris inaurati expansa est, signum Dominicæ passionis ex auro pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit. Atque hoc tanquam præsidium ac tutelam imperii piissimus princeps statuisse mihi videtur.

## CAPUT L.

*De ecclesiis quas Nicomediæ et alibi extruxit.*

His igitur ornamentis civitatem nominis sui decoravit: urbem vero primariam Bithyniæ, pulcherrimæ et magnificentissimæ ecclesiæ monumento exornavit; erectis proprio sumptu in honorem Servatoris sui, eo etiam in loco, tropæis victoriæ quam de hostibus et de adversariis Dei retulerat. In reliquis etiam provinciis, præcipuas ac nobilissimas quasque urbes oratoriorum magnificentia illustravit, exempli gratia urbem totius Orientis metropolim, quæ ab Antiocho nomen traxit: in qua tanquam in vertice omnium ejus regionis provinciarum, singulare quoddam opus, seu amplitudinem seu decorem spectes, Deo consecravit; quippe universum templum longissimo extrinsecus ambitu circumscripsit, interius vero basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem, figura quidem octaëdri constructam, plurimis vero circumquaque cubiculis et exhedris, et tam subterraneis locis quam solariis undique circumdatam. Quam quidem basilicam auro plurimo et ære, aliisque pretiosis speciebus copiosissime exornavit.

## CAPUT LI.

*Quod in loco dicto Mambre ecclesiam ædificavit.*

Et hæc quidem sunt præstantissima monumenta quæ Imperator Deo consecravit. Cum autem didicisset illum ipsum Servatorem, qui nuper in terris versatus fuisset, jampridem viris quibusdam Dei amantissimis præsentiam divinitatis suæ in Palæstina exhibuisse, juxta quercum quæ

dicitur Mambre, illic etiam basilicam ædificari præcepit. Proinde ad rectores quidem provinciarum missa est Imperatoris auctoritas, datis ad singulos litteris quibus jubebatur ut injunctum sibi opus ad exitum perducere maturarent. Nobis vero qui hanc historiam scribimus, plenam sapientiæ direxit prædicationem : cujus exemplum hoc loco mihi inserendum videtur, quo Principis Dei amantissimi cura ac diligentia certius possit agnosci. Exprobrans igitur nobis ea quæ in memorato loco geri acceperat, hæc ac verbum scripsit.

## CAPUT LII.

*Constantini epistola ad Eusebium de Mambre.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, Macario et cæteris episcopis Palestinæ.

» Sanctissimæ socrus meæ vel hoc unum maximum erga vos beneficium est, quod scelenatorum quorumdam nefariam audaciam, quæ apud vos hactenus occulta fuerat, suis ad nos datis litteris indicavit; ut quod diu neglectum est crimen, etiamsi sero, attamen necessario competenti cura et animadversione a nobis emendetur. Est enim revera impietas gravissima, ut loca sancta detestandis piaculis inquinentur. Quidnam vero illud est, fratres charissimi, quod cum vestram subterfugerit solertiam, nostra, ut diximus, socrus ob divini cultus reverentiam tacere non potuit?

## CAPUT LIII.

*Quod Servator noster ibidem visus Abrahæ.*

» Locus ille qui ad quercum Mambre vocitatur, in quo Abrahamum habitasse comperimus, fertur a superstitiosis quibusdam hominibus omni modo contaminari. Nam et si-

mulacra omni digna exitio juxta illam arborem erecta esse, et aram proxime extructam, et impura sacrificia assidue illic peragi, ad nos relatum est. Quod quoniam et alienum a temporibus nostris, et ipsius loci sanctimonia indignum videtur, sciat gravitas vestra mandatum a nobis esse per litteras Acacio viro perfectissimo, comiti et amico nostro, ut sine ulla dilatione et simulacra omnia quæ memorato in loco reperta fuerint igni tradantur, et ara funditus evertatur; utque omnes qui post jussionem nostram impium aliquid admittere in eo loco ausi fuerint, debito supplicio afficiantur. Quem quidem locum puro basilicæ ædificio exornari præcipimus, ut idoneus sanctis viris consessus efficiatur. Quod si quid adversus præceptum nostrum geri contigerit, absque mora ad clementiam nostram litteris vestris illud referri oportebit; ut quicumque deprehensus fuerit, tanquam violatæ legis reus extremo supplicio afficiatur. Neque enim ignoratis universorum Dominum ac Deum illic primum Abrahæ visum, cumque eo collocutum esse : illic sacrosanctæ legis observantia primum cœpit; illic primum Servator ipse una cum duobus Angelis præsentiæ suæ copiam Abrahæ fecit; illic Deus primum hominibus apparuit; illic Abrahæ de futura ipsius progenie prædixit, atque illico pollicitationem implevit; illic multo ante nuntiavit plurimarum gentium patrem atque auctorem ipsum futurum. Quæ cum ita sint, æquum esse videtur ut locus ille nostra cura ac diligentia, tum ab omni piaculo purus conservetur, tum in pristinam sanctitatem restituatur; ut in posterum præter cultum omnipotenti Deo ac Servatori nostro omnium Domino congruentem, nihil in eo loco peragatur. Quod quidem cum debita sollicitudine a vobis convenit observari, si quidem voluntatem meam, quæ ex Dei cultu præcipue dependet, adimplere, uti confido, gravitas vestra desiderat. Divinitas vos servet, fratres charissimi. »

## CAPUT LIV.

*Fana et simulacra ubique diruta.*

Hæc omnia Imperator ad gloriam salutiferæ Christi virtutis omni studio peragebat. Ac Deum quidem Servatorem suum hac ratione colere non cessabat: Gentilium vero superstitiosum errorem omnibus modis studebat convincere. Itaque quorumdam in urbibus fanorum vestibula nudabantur, valvis jussu Imperatoris orbata; aliorum tectum corrumpebatur, tegulis amotis. Nonnullorum veneranda ex ære simulacra, quæ error majorum multis jam annis magnifice jactabat, per fora urbis ab Imperatore cognominatæ, omnium oculis subjecta sunt: adeo ut ad ludibrium et contumeliam spectantium paterent expositi, hic Pythius Apollo, illic Sminthius; et in ipso quidem circo tripodes Delphici; Musæ autem Heliconides in palatio. Denique civitas illa Imperatorii cognominis tota passim repleta est signis æneis, quæ eleganti opere elaborata per singulas provincias olim dedicata fuerant: quibus cum homines morbo erroris oppressi, longo temporis spatio centenas victimas et holocausta incassum perinde ac diis immolavissent, sero tandem sapere didicerunt, postquam Imperator iisdem ad risum et oblectamentum spectantium uti cœpit. Simulacra vero ex auro fabrefacta, alio quodam ultus est modo; nam quoniam imperitam hominum multitudinem, infantium instar, hujusmodi erroris larvas ex auro argentoque fabrefactas frustra contremiscere cognoverat, eas e medio tollendas esse censuit, quippe quæ velut fragmenta quædam lapidum essent ante pedes hominum in mediis tenebris ambulantium projecta, planumque deinceps et æquabile iter viæ regiæ cunctis esse aperiendum. Quæ cum apud se reputas-

set, non militari manu, nec exercitu ad hæc reprimenda sibi opus esse existimavit; sed unus aut alter ex familiaribus ad hoc munus ei suffecerunt, quos ille solo propemodum nutu in omnes provincias direxit. At illi et Imperatoris pietate et sua ipsorum erga Deum religione confisi, per confertissimam turbam et per numerosam plebem iter facientes, passim per urbes et agros vetustum errorem aboleverunt. Ac primum quidem sacerdotes ipsos, non sine risu ac dedecore, ex obscuris quibusdam recessibus deos suos proferre jubebant; dehinc eosdem deos exteriore nudantes cultu, interiorem deformitatem quæ sub picta latebat effigie omnium conspectui subjiciebant : postremo abrasa utiliore materia et in ignem conjecta atque conflata, ipsi quidem id quod commodum ac necessarium esse videbatur, sepositum reservabant; quidquid vero superfluum ac prorsus inutile erat, ad perpetuam opprobrii memoriam superstitiosis reliquerunt. Aliud etiam præstitit Princeps omni admiratione dignus; eodem enim tempore quo mortuorum simulacra ex pretiosa materia confecta, eo quem diximus modo spoliabantur, cætera quæ ex ære fabrefacta erant convehenda curavit. Itaque dii illi delirantibus Græcorum fabulis celebrati, circumjectis restibus vincti trahebantur.

## CAPUT LV.

*Eversio fani apud Aphaca in Phœnice, et impudicitiæ abolitio.*

Posthæc Imperator velut lucidissimam facem ex specula quadam attollens, undique regalibus oculis circumspiciebat, sicubi forte aliquæ adhuc erroris reliquiæ abditæ superessent. Ac veluti aquila pennis in cœlum usque subvecta, cum acutissimo visu prædita sit, ea quæ in terris longissime distant, ex sublimi facile dispicit; sic ille dum in pulcher-

rimæ urbis suæ palatio versatur, perniciosam quamdam animarum decipulam in Phœnice latere, tanquam e specula prospexit : lucum scilicet ac templum, quod non in media urbe nec in foro aut plateis positum erat, cujusmodi multa visuntur in civitatibus ornamenti causa ambitiose ædificata; sed devium, procul a triviis et publico calle; fœdissimo dæmoni quem Venerem appellant, in parte verticis Libani montis apud Aphaca consecratum. Erat illic schola quædam nequitiæ, omnibus impuris hominibus et qui corpus suum omni licentia corruperant, aperta : quippe effœminati quidam, et fœminæ potius dicendi quam viri, abdicata sexus sui gravitate, muliebria patientes, dæmonem placabant : adhæc illegitimi mulierum concubitus et adulteria, fœdaque ac nefaria flagitia in eo templo tanquam in loco ab omni lege ac rectore vacuo, peragebantur. Nec quisquam erat qui ea quæ illic gerebantur observaret, propterea quod nemo vir gravis ac modestus eo accedere audebat. At non etiam Imperatorem maximum latere potuerunt quæ ibi perpetrabantur scelera ; sed cum ea ipsemet Imperatoriæ providentiæ oculo inspexisset, hujusmodi templum indignum censuit quod solis radiis illustraretur : proinde illud una cum simulacris ac donariis totum funditus everti jussit. Confestim igitur protervi erroris machinamenta Imperatoris præcepto dissipata sunt, militibus ad purgandum locum operam suam præstantibus : et qui lasciviæ antea dediti fuerant, Imperatoris minis conterriti, modeste se gerere didicerunt. Pari modo superstitiosi Gentiles illi, qui sibi multum sapere videntur, modestius agere sunt edocti : qui quidem etiam ipsi suam stultitiam ac vanitatem reipsa didicerunt.

# CAPUT LVI.

*Destructio templi Æsculapii Ægis.*

Nam cum maximus ac vulgatissimus superstitionis error circa illum Ciliciæ dæmonem vanissimos homines occupasset, ac prope infiniti eum tanquam servatorem ac medicum admirarentur; quippe qui nunc in templo dormientibus appareret, nunc morbos ægrotantium curaret (erat tamen ille revera seductor animarum, utpote qui homines decipi faciles a vero Servatore abductos ad falsum impietatis errorem pertraheret); Imperator, pro more atque instituto suo, quippe qui zelatorem ac vere Servatorem Deum sibi colendum proposuerat, hoc etiam templum solo æquari præcepit. Nec mora, ad unum Imperatoris nutum humi jacuit manu militari subversum templum, quod nobiles philosophi tantopere suspexerant; et una cum templo ille ipse qui intus latitabat, non dæmon, aut Deus, sed deceptor quidam animarum, qui longissimi temporis spatio homines in fraudem induxerat. Sic igitur ille qui malis et calamitatibus alios liberaturum se esse spondebat, nullum ipse sibi remedium reperit quo sese tueretur; non magis quam cum fulmine percussum eum fuisse fabulæ fingunt. At non item fabulosa fuerunt Imperatoris nostri facinora, Deo imprimis accepta; sed per manifestissimam ipsius Servatoris vim atque virtutem, hoc templum una cum cæteris radicitus eversum est, adeo ut pristinæ insaniæ ne vestigium quidem ullum ibidem remanserit.

## CAPUT LVII.

*Quomodo Gentiles damnatis simulacris Deum agnoverunt.*

Itaque quotquot antea superstitioso dæmonum cultui addicti fuerant, cum errorem suum confutatum oculis suis viderent, et omnium ubique templorum ac simulacrorum vastitatem intuerentur, alii ad salutarem Christi doctrinam se conferebant; alii, licet idem facere nollent, majorum tamen cæremonias utpote vanas atque inanes condemnabant, et quos antea pro diis habuissent deridebant. Quidni vero ita sentirent, cum sub externa simulacrorum specie tantam intus latentem spurcitiem cernerent? Nam aut cadaverum ossa, aut aridæ calvariæ suberant, impostorum fraude subreptæ; aut sordidi panni turpi immunditia referti; aut denique fœni ac stipulæ acervus. Quæ cum in penetralibus simulacrorum anima carentium congesta aspicerent, et suam et parentum suorum summam dementiam incusabant, maxime cum animadverterent in suis illis adytis atque in ipsis simulacris nullum esse intus habitantem, non dæmonem oracula fundentem, non deum prædicentem futura, quemadmodum sibi antea persuaserant; imo ne obscurum quidem ac tenebrosum spectrum. Atque idcirco quodvis vel obscurissimum antrum et abditissimi quique recessus, iis qui ab Imperatore missi erant facile patuerunt : adyta quinetiam et inaccessa prius loca, ipsaque templorum penetralia, militum vestigiis terebantur. Ex quo deprehensa et cunctorum oculis exposita est cæcitas mentis quæ Gentiles omnes jampridem involutos tenebat.

# CAPUT LVIII.

*Quomodo apud Heliopolim, destructo Veneris fano, primus ecclesiam construxit.*

Atque hæc inter præclara Imperatoris facinora merito recenseantur, sicut et illa quæ singillatim in variis provinciis constituit. Cujusmodi illud est quod in urbe Phœnices Heliopoli ab eo gestum vidimus. Qua in urbe Gentiles quidem qui obscœnam libidinem deæ Veneris vocabulo afficiunt, uxoribus ac filiabus suis stupri impune admittendi licentiam concesserant. Nunc vero nova lex ab Imperatore directa est, plena modestiæ; qua cavetur ne quidquam eorum quæ prius in more posita erant, in posterum præsumatur : atque his rursus scriptas misit institutiones, utpote hanc præcipue ob causam a Deo destinatus, ut universos mortales temperantiæ præceptis imbueret. Quocirca ne ad hos quidem concionari per litteras dedignatus est, exhortans ut ad cognitionem Dei celeriter accederent. Statimque facta dictis consentanea ibidem adjecit, constructa eo etiam in loco Christiani cultus ingenti basilica : adeo ut quod ab ultima usque hominum memoria nullibi fuerat auditum, tunc primum opere ipso completum sit ; et civitas hominum superstitioso dæmonum cultui addictorum, ecclesiam Dei et presbyteros ac diaconos habere meruerit ; et episcopus summo omnium Deo consecratus, ejus loci hominibus præfuerit. Adhæc Imperator provida mente prospiciens ut quamplurimi ad fidem Christi accederent, plurima ibidem ad sublevandos pauperes largitus est ; hac etiam ratione ad salutarem doctrinam homines alliciens atque invitans, ac tantum non verba ipsa proferens Pauli dicentis : « Sive per » occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur[1]. »

[1] Phil. I, 18.

## CAPUT LIX.

*De tumultu Antiochiæ propter Eustathium excitato.*

Verum enimvero cum ob hæc omnes in summa hilaritate vitam agerent, et Ecclesia Dei apud cunctas ubique gentes omnibus modis extolleretur, rursus dæmonis livor, qui bonis semper insidias struit, adversus tantam rerum nostrarum felicitatem cœpit insurgere; ratus Imperatorem tumultibus nostris et insolentia exasperatum, alienato tandem erga nos animo fortassis futurum. Maximo igitur incendio conflato, Antiochenorum ecclesiam tragicis quibusdam calamitatibus implevit, adeo ut parum abfuerit quin tota funditus civitas subverteretur; quippe cum populus quidem Ecclesiæ duas in partes divisus esset, reliqua autem civitas simul cum magistratibus ac militibus hostili modo inter se dissideret. Ventumque esset ad gladios, nisi divina Providentia et Imperatoris metus plebis impetum repressissent. Atque hic rursus Principis clementia, instar servatoris et animorum medici, ægris hominibus medicinam orationis adhibuit : quippe unum ex iis quos circa se spectatos habebat, comitis honore decoratum, hominem fidelissimum, eo misit, plebem quasi legatione blanda compellans; aliisque super alias scriptis litteris, hortatus est eos ut paci studerent, docens qua ratione divinæ religioni congruentia gererent. Ac tandem iis persuasit, excusavitque eos in suis litteris, asserens se coram audiisse ipsum qui totius seditionis auctor fuisset. Atque has ejus epistolas, non vulgari doctrina et utilitate refertas, hoc loco apposuissem, nisi reis ignominiæ notam inurerent. Quocirca has quidem in præsentia omittam, quippe qui malorum memoriam haudquaquam renovare decreverim; eas vero solas hic inseram quas ille

de aliorum pace et concordia gaudens et gratulans conscripsit. Quibus quidem litteris hortatur eos ut alterius loci antistitem, cujus interventu pacem inter se fecissent, nequaquam sibi vindicare velint; sed potius juxta Ecclesiæ ritum, eum episcopum eligant quem ipse communis omnium Servator designaverit. Scribit autem tum ad populum, tum ad episcopos, hæc quæ sequuntur.

## CAPUT LX.

*Constantini Epistola ad Antiochenos, ne Eusebium Cæsarea abstraherent; sed ut alium quærerent.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, populo Antiochensi.

» Quam grata est et quam jucunda cunctis hujus sæculi prudentibus ac sapientibus viris vestra concordia ! Ego certe vos, fratres, sempiterna benevolentia complecti constitui, tum religionis instituto, tum vivendi ratione, tum studio ac favore vestro provocatus. Hic profecto verus bonorum fructus est, sana mente et prudenti consilio cuncta agere. Quid enim magis vos deceat? Ne miremini igitur si fidem veritatis vobis salutis potius quam odii causam fuisse dixero. Certe inter fratres, quos una eademque animorum affectio, et incessus in recta justitiæ via in purum sanctumque domicilium Deo duce spondet ascribere, quid spectabilius esse possit, quam omnium bonis concordiæ animo acquiescere? præsertim cum divinæ legis institutio propositum vestrum ad majorem incitet perfectionem, et nos vestrum judicium optimis decretis confirmari cupiamus. Ac fortasse mirum vobis videbitur, quidnam sibi velit hoc nostri sermonis exordium : equidem causam ejus rei exponere, nec gravabor nec recusabo; fateor enim perlegisse me acta in quibus ex

honorificis testimoniis ac præconiis vestris in Eusebium Cæsariensem episcopum, quem ego quoque et doctrinæ et modestiæ causa jamdudum probe novi, vos in eum propensos esse comperi, eumque vobis vindicare velle. Quid tunc existimatis mihi ad recti verique indagationem contendenti, in mentem venisse? quantam curam ac sollicitudinem ob vestrum illud studium suscepisse me creditis? O fides sancta, quæ per verba ac præcepta Servatoris nostri, veluti expressam quamdam vitæ imaginem nobis exhibes, quam moleste etiam ipsa peccantibus resisteres, nisi ad quæstum et gratiam servire prorsus refugeres! Mihi quidem videtur is victoriam ipsam vicisse, qui pacem magis requirit : quippe ubi id quod honestum est licet, neminem reperias qui non eo maxime delectetur. Quæso igitur, fratres charissimi, cur id consilium capimus ex quo injuria in alios redundet? cur ea consectamur et arcessimus, quæ fidem opinionis nostræ eversura sunt? Equidem virum illum quem vos et honore et benevolentia dignum judicatis, plurimum laudo : non tamen adeo despici oportet id quod apud singulos ratum firmumque manere debuerat, ut singuli contenti non sint sententiis suis, nec domesticis bonis omnes perfruantur; utque in disquirendis iis qui ex æquo digni sint episcopatu, non dicam unus aut alter, sed plurimi Eusebio pares non proferantur. Etenim cum asperitas et violentia nullam ecclesiasticis honoribus molestiam facessat, omnes similes inter se sunt, et æquali in pretio habendi. Neque enim rationi consentaneum fuerit, ut hujusmodi inquisitio ad aliorum fiat injuriam, quippe cum omnium mentes, sive humiliores sint, sive illustriores, divina decreta ex æquo suscipiant atque custodiant; adeo ut alii, quod quidem ad communem legem pertinet, nullatenus aliis inferiores sint. Quod si veritatem aperte proferre volumus, jure quis dixerit hoc non esse hominem retinere, sed abstrahere; et violentiæ potius

id quod agitur opus esse, quam justitiæ. Et sive hoc modo, sive aliter sentit multitudo, ego quidem liquido et audacter affirmo eam rem criminationibus causam præbere, et ingentis tumultus tempestatem excitare : nam et agni dentium suorum vim ac robur ostentant, quoties, pastoris cura ac sollicitudine in deterius labente, pristina gubernatione se destitutos vident. Quod si hæc ita se habent et nos opinione non fallimur, hoc primum omnium considerate, fratres, (multa enim et maxima bona statim ab initio vobis nascentur), num sincera inter vos charitas atque dilectio aliquod sui detrimentum passura sit? deinde vero illud perpendite, virum illum qui boni consilii causa ad vos venerat, debitum sibi honoris fructum ex divino judicio percipere; quippe qui non vulgari affectus sit beneficio, cum de ejus virtute tam honorificum suffragium tulistis : postremo vestræ consuetudinis esse, curam ac diligentiam prudenti consilio congruentem adhibere, ut talem virum cujusmodi opus habetis perquiratis, omni seditioso et immodesto clamore procul amoto; semper enim hujusmodi clamores injusti sunt, et ex variorum hominum inter se collisione scintillæ atque incendia excitari solent. Ita Deo et vobis placeam, ita secundum vota vestra vitam degam, ut vos diligo et tranquillum vestræ mansuetudinis portum amo. Ex quo ejectis illis sordibus, cum probis moribus concordiam inducite, firmumque navi signum imponite; cœlestem navigationis cursum gubernaculis, ut ita dicam, ferreis ad lucem ipsam dirigentes. Quocirca incorruptibiles merces in navem imponite : quidquid enim navem corrumpere poterat, tanquam ex sentina exhaustum est. Proinde operam date ut his omnibus bonis ita potiamini, ne quid in posterum inconsulto atque inutili studio aut statuisse omnino, aut ab initio aggressi esse videamini. Divinitas vos servet, fratres charissimi. »

## CAPUT LXI.

*Constantini ad Eusebium litteræ, quibus eum laudat quod Antiochiam recusaverit.*

IMPERATORIS EPISTOLA AD NOS POST REPUDIATUM ANTIOCHIÆ EPISCOPATUM.

« Victor Constantinus Maximus Augustus, Eusebio.

» Epistolam tuam sæpius legi, et ecclesiasticæ disciplinæ regulam accuratissime observatam a te cognovi. Enimvero in ea sententia perstare quæ et Deo accepta, et Apostolicæ traditioni congrua esse videatur, summæ pietatis est. Tu quidem beatum te in hoc ipso existimare debes, qui totius propemodum orbis testimonio dignus universæ Ecclesiæ episcopatu judicatus sis : nam cum omnes te apud se episcopum esse ambiant, hanc tuam felicitatem sine controversia adaugent. Verum rectissime fecit prudentia tua, quæ et mandata Dei et Apostolicam atque ecclesiasticam regulam custodire statuit, episcopatum Antiochensis ecclesiæ repudians, et in eo potius permanere desiderans quem Dei mandatu ab initio suscepisses. Porro hac de re ad populum litteras dedi, et ad collegas tuos, qui quidem etiam ipsi de iisdem rebus ad me scripserant. Quas ubi sanctitas tua perlegerit, facile cognoscet me, quoniam refragari ipsis justitia videbatur, divini Numinis impulsu ad eos scripsisse. Eorum consilio etiam prudentiam tuam interesse oportebit, ut hoc ipsum in Antiochenorum ecclesia constituatur. Divinitas te servet, frater charissime. »

## CAPUT XLII.

*Constantini Epistola ad synodum, ne Eusebius Cæsarea abstrahatur.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, Theodoto, Theodoro, Narcisso, Aëtio, Alpheo, et reliquis episcopis qui sunt Antiochiæ.

» Legi litteras a vestra sanctitate scriptas, et Eusebii collegæ vestri prudens propositum magnopere laudavi. Cumque cuncta quæ gesta sunt, partim ex vestris, partim ex perfectissimorum virorum, Acacii et strategii comitum litteris cognovissem, remque ut decebat accurate expendissem, scripsi ad populum Antiochenum quid Deo acceptum et Ecclesiæ congruum esset. Ejus epistolæ exemplum his litteris subjici præcepi, ut et vos cognoscere possitis quidnam ego juris ratione provocatus scripserim ad populum Antiochenum; quandoquidem hoc litteris vestris continebatur, ut juxta populi et prudentiæ vestræ suffragium ac voluntatem Eusebius sanctissimus Cæsariensium episcopus Antiochenæ ecclesiæ præsideret, ejusque curam susciperet. Ac litteræ quidem Eusebii ecclesiasticæ legi maxime consentire videbantur : convenit tamen ut nostra quoque sententia vestræ prudentiæ innotescat. Etenim relatum est ad nos, Euphronium presbyterum civem Cæsareæ quæ est in Cappadocia, et Georgium Arethusiorum civem, itidem presbyterum, quem Alexander ad hunc ordinem in urbe Alexandrina promovit, viros esse in doctrina fidei probatissimos. Placuit itaque significare prudentiæ vestræ ut hos viros, et alios quos ad episcopatum idoneos judicaveritis, in medium proferentes, ea decernatis quæ Apostolorum traditioni consentiunt. His enim præstructis,

vestra prudentia juxta Ecclesiæ regulam et Apostolicam traditionem ita hanc electionem dirigere poterit, quemadmodum ecclesiasticæ disciplinæ ratio postulat. Divinitas vos servet, fratres charissimi. »

## CAPUT LXIII.

*Quomodo hæreses excindere studuerit.*

Hæc Imperator præsulibus ecclesiarum præcipiens, hortabatur eos ut ad laudem divinæ religionis propagandam cuncta agerent. Postquam vero, sublatis e medio dissensionibus, Ecclesiam Dei ad concordiam et unanimem doctrinæ concentum revocavit, inde transgressus, aliud impiorum genus, utpote pestilens humani generis venenum, abolendum esse censuit. Erant hi perniciosi quidam homines, qui sub falsa modestiæ et gravitatis specie urbes vastabant; quos pseudoprophetas et rapaces lupos alicubi Servator appellat his verbis : « Cavete a falsis prophetis, qui » venient ad vos in vestimentis ovium; intus autem sunt » lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. » Igitur, misso ad provinciarum præsides præcepto, hujusmodi hominum genus abegit ac fugavit. Præter ipsam autem legem, Imperator salutarem quoque institutionem ad eos nominatim direxit, exhortans homines ut quantocius pœnitentiam agerent; Ecclesiam enim Dei ipsis portum salutis fore. Audi ergo quomodo in suis ad eos litteris concionatur.

## CAPUT LXIV.

*Constantini constitutio adversus hæreticos.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, hæreticis.

» Agnoscite nunc hujus legis beneficio, o Novatiani, Va-

lentiniani, Marcionistæ, Pauliani, et quibus Cataphrygum nomen est inditum, omnes denique qui hæreses privatis cœtibus instruitis atque impletis; quot mendaciis opinionis vestræ vanitas implicetur, et quam perniciosis venenis imbuta sit vestra doctrina : adeo ut sanis morbus gravissimus, viventibus perpetua mors per vos importetur. O veritatis inimici, hostes vitæ, exitii consiliarii ! cuncta apud vos sunt veritati contraria, turpissimis flagitiis congrua, ineptiis et figmentis referta; quibus vos mendacia quidem astruitis, innocentes autem opprimitis, et credentibus lucem negatis. Ac sub obtentu quidem divinitatis assidue peccantes, cuncta polluitis; puras vero et illibatas hominum conscientias lethalibus plagis vulneratis, atque ipsum propemodum diem mortalium oculis intercipitis. Et quid attinet singula percensere, cum nec brevitas temporis nec magnitudo occupationum nostrarum patiantur nos de criminibus vestris pro merito ipsorum verba facere? quippe tam gravia sunt et immensa scelera vestra, adeo fœda et omni atrocitate exuberantia, ut ne dies quidem integer ad eorum explicationem sufficiat; et alioqui ab hujusmodi rebus aures amovere et oculos avertere decet, ne pura ac sincera fidei nostræ alacritas particulari earum expositione violetur. Quid est igitur quod hujusmodi mala diutius toleremus? maxime cum diuturna patientia faciat ut hi quoque qui sani sunt ac valentes, hoc velut pestilenti morbo inficiantur. Quidni ergo hujusmodi improbitatis radices publica animadversione confestim excindimus?

## CAPUT LXV.

*De tollendis conventiculis hæreticorum.*

» Quocirca, quando hæc vestræ improbitatis pernicies

amplius ferri non potest, præsenti lege interdicimus ne quis vestrum in posterum conventus agere præsumat : atque idcirco universa loca in quibus ejusmodi cœtus peragitis auferri præcepimus; eo usque procurrente majestatis nostræ sollicitudine, ut non modo in publico, sed ne in privatis quidem ædibus ac locis ullis privati juris, superstitiosæ vestræ dementiæ factio congregetur. Itaque quod longe honestius est atque præstantius, quicumque vestrum veræ ac sinceræ religionis studiosi sunt, ad Catholicam Ecclesiam accedant, ejusque sanctitati communicent, cujus ope ad veritatem poterunt pervenire. Absit omnino a felicitate temporum nostrorum perversæ mentis vestræ fraudulenta deceptio, hæreticorum scilicet ac schismaticorum scelerata ac perdita amentia. Dignum est enim prosperitate temporum qua divino beneficio fruimur, ut qui cum bona spe ac fiducia vitam agunt, ab omni inordinato errore ad rectum tramitem, a tenebris ad lucem, a vanitate ad veritatem, a morte denique ad vitam traducantur. Atque ut hujus remedii vis ac virtus necessaria sit, cuncta, uti jam diximus, superstitionis vestræ conciliabula, id est omnium hæreticorum oratoria, si tamen oratoria dici debent, sine ulla contradictione ipsis adempta, Catholicæ Ecclesiæ incunctanter tradi præcepimus; reliqua autem loca publico adjudicari, nec ullam deinceps eo conveniendi licentiam vobis relinqui : adeo ut a præsenti die, nullo prorsus in loco tam publico quam privato, illegitimi vestri cœtus audeant convenire. Proponatur. »

## CAPUT LXVI.

*Quomodo, nefariis libris apud hæreticos repertis, plurimi eorum ad Catholicam redierint Ecclesiam.*

Hoc igitur modo hæreticorum cubilia Imperiali præ-

cepto dissipata sunt, et feræ ipsæ, id est impietatis illorum auctores, in fugam acti. Eorum vero qui ab istis decepti fuerant, alii quidem, Imperatoris minis perterriti, spurio quodam et adulterino sensu in Ecclesiam irrepserunt, pro tempore callide dissimulantes : nam quoniam libros eorum perquiri lex jubebat, quicumque vetitis artibus operam dabant deprehendebantur ; quam ob causam simulatione utebantur, cuncta agentes ut salutem sibi compararent. Alii vero sincere atque ex animo ad spem meliorem transfugerunt. Porro ecclesiarum antistites, in utrosque sollicita inquisitione facta, eos quidem qui ovium pellibus obtecti simulanter accedere tentarent, procul abigebant ; eos vero qui sincere id agerent, aliquanto tempore exploratos, post idoneam probationem in numerum eorum qui ad sacros conventus admittebantur retulerunt. Et hoc quidem modo cum abominandis hæreticis agebatur. Cæterum ii qui nullam in dogmatibus suis impietatem præferrent, sed quorumdam schismaticorum culpa a communi societate sejuncti essent, sine mora in Ecclesiam sunt admissi. Hi ergo gregatim tanquam ex peregrina regione redeuntes, patriam suam postliminio recuperarunt, matremque Ecclesiam agnoverunt : a qua cum diutissime aberrassent, tandem læti atque hilares post longum temporis spatium ad eam remeabant. Totius ergo corporis membra communi inter se vinculo jungebantur, et una compages coalescebat : solaque Catholica Dei Ecclesia apte sibi cohærens refulgebat, nullo aut hæreticorum aut schismaticorum collegio usquam gentium relicto. Atque hujus præclari facinoris solus omnium qui unquam extiterunt Imperator noster Deo acceptissimus auctor fuit.

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT I.

*Qualiter donis ac promotionibus plurimos cohonestavit.*

Tot tantasque res ad amplificationem et gloriam Ecclesiæ Dei Imperator cum ageret, cunctaque eo consilio administraret ut Servatoris nostri doctrina summis omnium laudibus exciperetur, civilia interim negotia haudquaquam neglexit : verum hac quoque in parte omnium provinciarum incolas variis et continuis beneficiis afficere nunquam destitit; nunc quidem publice erga omnes paternam quamdam exhibens sollicitudinem; nunc privatim singulos ex familiaribus suis variis ornans dignitatibus, et prolixa animi magnitudine omnia omnibus largiens. Nec eveniebat unquam ut a scopo aberraret qui ab Imperatore beneficium petebat; nec ullus qui bonum aliquod ab eo speravisset, spe sua frustratus discessit : quippe alii pecunias, alii prædia impetrabant; alii consulari, alii senatoria dignitate ornabantur; nonnulli consulares, plures præsides designabantur; comites vero alii primi ordinis fiebant, alii secundi ordinis, alii tertii. Porro perfectissimatu, et aliis plurimis ejusmodi dignitatum titulis, innumerabiles alii donabantur; namque Imperator, quo plures honore afficeret, varias dignitates excogitaverat.

## CAPUT II.

*Remissio quartæ partis censuum.*

Quantopere vero studuerit ut universo hominum generi hilarem ac tranquillam vitam præstaret, vel ex hoc uno exemplo perspici potest, quod ad vitam hominum imprimis utile, et generaliter ad omnes propagatum, etiamnum communi omnium sermone celebratur. Ex annuis tributis quæ terræ nomine conferebantur quartam detrahens partem, agrorum possessoribus donavit : adeo ut si hujus annuæ detractionis rationem inieris, quarto quoque anno fructuum domini a præstatione tributaria immunes essent. Quod quidem lege sancitum, et in futurum tempus confirmatum, non præsentibus modo, verum etiam liberis posterisque eorum, perpetuam nullaque oblivione delendam Imperatoris beneficentiam præstitit.

## CAPUT III.

*Peræquatio ac relevatio censuum.*

Jam vero cum nonnulli terræ descriptiones et jugationes a superioribus principibus factas reprehenderent, agrosque suos nimium oppressos esse quererentur, hic etiam princeps, justitiæ legibus obtemperans, peræquatores mittebat, qui a supplicantibus damnum depellerent.

## CAPUT IV.

*Quomodo in pecuniariis causis, iis qui causa ceciderant, ipse de suo largiebatur.*

Quinetiam quoties inter duos litigantes sententiam pronuntiaverat, ne forte is qui causa ceciderat tristior eo secundum quem lis dicta erat abscederet, ex propriis bonis donabat victis, interdum prædia, nonnunquam pecunias; hac ratione efficiens ut victus non minus quam is qui causam obtinuerat, lætus domum rediret, utpote qui in conspectum principis venire meruisset : neque enim fas esse existimabat ut qui coram tanto principe stetisset, mœstus unquam ac tristis recederet. Proinde uterque litigantium læto ac renidenti vultu ex judicio redibat; et Imperatoris animi magnitudo cunctis admirationi erat.

## CAPUT V.

*Scytharum per signum crucis devictorum subactio.*

Quid hic necesse est quasi obiter commemorare quomodo ille barbaras gentes sub imperii Romani ditionem redegit; qualiter indomitas antehac nec ulli unquam parere suetas, Scytharum Sarmatarumque nationes primus sub jugum misit, ac per vim eo adegit ut vel inviti dominos agnoscerent Romanos. Scythis quidem superiores etiam imperatores tributa pendebant, et barbaris Romani reipsa serviebant, annuam solventes pecuniam : verum Imperator hanc indignitatem ferre non potuit, nec victori principi decorum esse existimavit eadem pendere quæ priores principes pependissent. Itaque, Servatoris sui auxilio fretus,

triumphali signo ac tropæo in eos etiam illato, brevi cunctos subegit : ac resistentes quidem et contumaces armis domuit; reliquos prudentibus legationibus mitigans, a ferina legumque experte vita ad humanam civilemque traduxit. Hoc modo Scythæ Romanis tandem parere didicerunt.

## CAPUT VI.

*Sarmatæ subacti, cum servi adversus dominos rebellassent.*

At Sarmatas Deus ipse Constantini pedibus substravit, et homines barbarico fastu intumescentes hoc subegit modo. Nam cum Scythæ bellum eis intulissent, Sarmatæ servos suos ut hostibus resisterent armaverant. Servi, parta de hostibus victoria, arma in dominos vertere cœperunt, cunctosque patriis sedibus expulerunt. Hi vero nullum alium salutis portum quam Constantinum reperere : qui servare homines assuetus, universos intra fines imperii Romani recepit; et eos quidem qui idonei essent militaribus copiis ascripsit, reliquis ad necessaria vitæ subsidia agros colendos assignavit. Adeo ut feliciter sibi cessisse calamitatem suam ipsi faterentur, quippe qui barbaricam feritatem Romana libertate mutassent. Hac ratione Deus plurimas barbarorum gentes ejus adjunxit imperio.

## CAPUT VII.

*Variorum barbarorum legationes, et munera eis ab Imperatore donata.*

Quippe ex omnibus locis legati continue ad eum accedebant, quæcumque apud ipsos pretiosissima habentur dona ei offerentes : adeo ut nos ipsi pro foribus palatii varias for-

mas atque habitus barbarorum ordine stantium aliquando conspexerimus, quorum et vestitus et ornatus dispar erat, coma item et barba longe dissimilis, torvus aspectus et barbarus ac terrorem incutiens, corporum enormis proceritas; et aliorum quidem rubicundi vultus, aliorum vero nive ipsa candidiores : nonnullis media quædam coloris inerat temperatura; quippe Blemmyes et Indi atque Æthiopes, qui, ut ait Homerus, bifariam divisi in extimo terrarum degunt, inter illos quos dixi barbaros conspiciebantur. Horum singuli, quemadmodum in tabulis vulgo pingi videmus, seorsum quisque ea ad Imperatorem afferebant quæ apud ipsos in pretio sunt, alii coronas aureas, alii diademata gemmis conserta, alii pueros flava cæsarie conspicuos, quidam barbaricas vestes auro et floribus intextas; hi equos, illi clypeos et hastas longas et sagittas et arcus. Atque his donis significabant obsequium ac societatem armorum offerre se Imperatori si vellet. Ille vero a singulis oblata accipiens ac seponens, tot tantaque eis vicissim donabat, ut momento temporis ditissimos redderet eos qui dona attulissent. Sed et ex eorum numero nobilissimos quosque Romanis dignitatibus ornabat; adeo ut plerique illorum, obliti reditus in patriam, hic apud nos manere maluerint.

## CAPUT VIII.

*Quod Persarum regi qui legatos ad ipsum miserat, scripsit in gratiam Christianorum illic agentium.*

Jam vero cum rex etiam Persarum per legatos notitiam ambiret Constantini, donaque ad eum misisset, pacis et amicitiæ signa, id agens scilicet ut cum illo fœdus iniret; hic etiam Imperator excellenti quadam animi utens magnitudine, eum qui prior honore ipsum affecerat, munerum

magnificentia longe superavit : cumque apud Persas crebras esse ecclesias Dei accepisset, et numerosam populorum multitudinem intra Christi ovilia congregari; hoc nuntio magnopere delectatus, utpote communis quidam omnium ubique agentium hominum tutor et curator, ad illa etiam loca providentiam suam pro cunctorum commodis laborantem extendit.

## CAPUT IX.

*Epistola Constantini ad Saporem Persarum regem, summa cum pietate Deum et Christum confitentis.*

EXEMPLUM EPISTOLÆ AD REGEM PERSARUM.

« Ego quidem divinam custodiens fidem, lucis veritatis particeps fio ; et veritatis fidem præviam sequens, ad divinæ fidei notitiam pervenio. Hac ratione sanctissimam, ut res ipsæ confirmant, religionem agnosco; cujus cultum mihi magistrum esse profiteor ad sanctissimi Numinis notitiam hauriendam. Hujus ergo Dei auxilio fultus, ab ultimis usque Oceani progressus finibus, universum orbem terrarum ad firmam spem salutis erexi : adeo ut provinciæ omnes, quæ tot tyrannorum dominatione oppressæ, et continuis attritæ calamitatibus propemodum defecerant, reipublicæ vindicem tandem nactæ, velut quibusdam medicinæ fomentis restitutæ sint. Hunc ego Deum prædico : cujus vexillum Deo dicatus exercitus meus humeris gestat, et quo æquitatis ratio postulat fertur; et ob hæc ipsa illico celeberrimas victorias refert pro mercede. Hunc Deum sempiterna memoria coli a me profiteor : hunc in altissima sede positum pura et candida mente contemplor

## CAPUT X.

*Contra simulacra, et de glorificatione Dei.*

» Hunc flexis genibus invoco, omnem abominandum cruorem aversans, et odores insuaves ac detestandos, omnem denique terrenum fulgorem procul fugiens : quibus omnibus quasi sordibus pollutus scelestus ac nefandus superstitionis error, multos gentilium totasque adeo nationes ad ima tartara detrusit. Etenim quæ summus omnium Deus pro sua erga homines benignitate atque providentia ad communem usum protulit in lucem, ea ad cujusque libidinem rapi haudquaquam sustinet. Sed puram duntaxat mentem et animum immaculatum ab hominibus postulat, hisque virtutis et pietatis actus quasi libra quadam expendit : quippe modestiæ et mansuetudinis operibus delectatur, mites diligens, turbarum auctores odio habens; et fidem quidem amat, infidelitatem vero supplicio afficit : omnem cum arrogantia conjunctam dominationem destruens, superborum contumeliam punit. Et homines quidem insolentia elatos ab ipsis, ut ita dicam, fundamentis subruit; humiles vero et injuriarum patientes, meritis præmiis afficit. Hinc est quod imperium justum magni faciens, auxilio suo illud corroborat, et prudentiam regalem tr nquillitate pacis perpetuo fovet.

## CAPUT XI.

*Contra tyrannos et persecutores; et de captivitate Valeriani.*

» Nec mihi ipse videor errare, mi frater, qui hunc unum Deum profitear omnium auctorem ac parentem. Quem multi ex iis qui apud nos imperium tenuerunt, insano er-

rore acti, pernegare quidem conati sunt : sed eos omnes hujusmodi exitus quasi vindex oppressit, ut universum nunc hominum genus illorum principum calamitates exempli vice proponat iis qui illos imitari studuerint. Horum unus mihi videtur fuisse, ille quem divina vindicta instar fulminis ingruens, fugatum ex nostris regionibus vestras in terras transportavit : qui quidem suo dedecore atque ignominia tropæum illud tantopere a vobis jactatum constituit.

## CAPUT XII.

*Quod persecutorum ruinam viderit, quodque jam ob Christianorum pacem lætatur.*

» Enimvero commode factum videtur, quod nostra quoque ætate hujusmodi homines manifestissime pœnas dederunt : nam et ego spectator fui exitus illorum qui nuper iniquissimis jussionibus populum Deo consecratum exagitaverant. Proinde maximas Deo gratias ago, cujus singulari providentia cuncti mortales qui divinam legem observant reddita sibi pace exultant ac gestiunt. Ex quo plane mihi persuadeo, rectissime omnia ac tutissime se habere, cum per puram ac sinceram illorum religionem perque concordem de divino Numine sententiam omnes homines ad se ipsum aggregare Deus dignetur.

## CAPUT XIII.

*Exhortatio ut Christianos in Perside agentes benevole complectatur.*

» Quanta porro voluptate me affici censes, cum audio id quod mihi maxime in votis est, horum hominum multitudine, Christianorum scilicet (de his enim in præsentia lo-

quor), nobilissima quæque Persidis loca longe lateque esse decorata. Opto igitur ut et tuæ res quam florentissimæ, et illorum perinde sint florentissimæ; hoc est, ut tuæ, sic illorum: hoc enim modo summum omnium Dominum ac parentem Deum propitium ac placatum habiturus es. Hos itaque, quandoquidem talis tantusque es, tibi commendo: hos, quandoquidem pietate excellis, tibi in manum trado; hos pro tua humanitate complectere. Sic enim et tibi ipsi et nobis hac tua fide immensum beneficium præstabis. »

## CAPUT XIV.

*Quomodo assiduis Constantini precibus pax data est Christianis.*

In hunc modum cum omnes ubique gentes instar navis cujusdam, unius gubernatoris regerentur industria, et imperium ac religionem famuli Dei libentissime amplecterentur, nec ullus amplius Romanum imperium perturbaret, cuncti posthac tranquillam et quietam vitam agebant. Imperator vero cum piorum hominum preces ad salutem reipublicæ plurimum conferre existimaret, eas quoque necessario conciliandas sibi putavit. Itaque et ipse supplex Dei opem imploravit, et præsidibus ecclesiarum præcepit ut pro se preces ad Deum funderent.

## CAPUT XV.

*Quod in nummis et imaginibus precantis habitu effingi se jussit.*

Quanta porro divinæ fidei vis ac virtus in ejus animo insederit, vel ex hoc uno conjici facile potest, quod in aureis nummis exprimi se jussit vultu in cœlum sublato, et manibus expansis instar precantis. Et hujus quidem formæ

nummi per universum orbem Romanum cucurrerunt : in ipsa vero regia juxta quasdam januas, in imaginibus ad ipsum vestibuli fastigium positis depictus est stans, defixis quidem in cœlum oculis, manibus autem expansis precantis in modum.

## CAPUT XVI.

*Quod imagines suas in templis idolorum poni, lege lata prohibuit.*

Sic igitur ille se Deo supplicantem etiam in tabulis pictis exhibuit. Quinetiam lege lata vetuit imagines suas in idolorum templis dedicari ; ne forte errore vetitæ superstitionis, vel inani specie tenus inquinaretur.

## CAPUT XVII.

*Precationes in palatio, et recitatio sacrarum Scripturarum.*

Verum his longe augustiora perspiciet quicumque attendere voluerit qualiter ille in palatio quamdam velut ecclesiam Dei constituit. Ac diligentia quidem et alacritate præibat cunctis qui in ecclesiam illam erant ascripti ; et sacros codices in manus sumens, oracula a Deo edita attento animo meditabatur. Posthac solemnes preces cum universo aulicorum cœtu recitabat.

## CAPUT XVIII.

*Diem Dominicum et sextam feriam honorari præcipit.*

Diem vero precationibus congruum haberi constituit, eum qui primus est et caput cæterorum, et qui revera Dominicus est ac salutaris. Præterea diaconos et Deo consecratos

ministros, qui vitæ gravitate et reliquis virtutibus ornati essent, totius domus custodes ordinavit. Denique protectores et stipatores fidi, benevolentiæ et fidei armis instructi, Imperatorem ipsum pietatis magistrum habebant, et salutarem ac Dominicum diem perinde honorabant, eoque die precationes Imperatori gratas ad Deum fundebant. Reliquos etiam mortales ad idem faciendum incitavit Princeps beatissimus; utpote qui id maxime in votis haberet, ut universos homines paulatim Dei cultores efficeret. Atque ob hanc causam cunctis sub imperio Romano degentibus præcepit ut Dominico die feriarentur, utque diem qui est pridie sabbati similiter honorarent; in memoriam, ut videtur, earum rerum quæ a communi omnium Servatore illis diebus gestæ esse perhibentur. Porro cum exercitum omnem ad salutaris diei, qui lucis ac solis appellatur nomine, religiosum cultum institueret; iis quidem qui fidem divinitus inspiratam amplexi erant, exercendi se ex more institutoque Ecclesiæ Dei tempus atque otium indulsit, quo absque ullo impedimento orationibus vacarent.

## CAPUT XIX.

*Quomodo etiam Gentiles milites diebus Dominicis orare docuerit.*

Reliquis vero qui divinæ fidei doctrinam nondum susceperant, altera lege præcepit ut Dominicis diebus in campum purum procederent, et precationem quam antea didicissent simul omnes signo dato ad Deum funderent: neque enim hastis et armatura, nec corporis viribus confidere eos oportere; sed summum omnium Deum, auctorem bonorum omnium ipsiusque adeo victoriæ agnoscendum esse, eique solemnes preces persolvi debere, manibus quidem in cœlum sublatis, mentis autem oculis altius ad ipsum usque cœli

Regem erectis : hunc victoriæ auctorem, hunc Servatorem custodemque et adjutorem invocare in precationibus eos debere. Ipse porro precationis formam cunctis militibus tradidit, jubens ut latino sermone omnes pronuntiarent ad hunc modum :

## CAPUT XX.

*Forma precationis a Constantino militibus traditæ.*

« Te solum agnoscimus Deum ; te regem profitemur ; te adjutorem invocamus. Tui muneris est quod victorias retulimus, quod hostes superavimus. Tibi ob præterita jam bona gratias agimus, et futura a te speramus. Tibi omnes supplicamus, utque imperatorem nostrum Constantinum una cum piissimis ejus liberis incolumem et victorem diutissime nobis serves, rogamus. » Hæc die solis a militaribus numeris fieri, et hæc verba inter precandum ab iis proferri præcepit.

## CAPUT XXI.

*In armis militum signum Dominicæ crucis exprimi jubet.*

Quinetiam in ipsis armis salutaris tropæi signum jussit effingi, utque ante instructum armis exercitum non aurea signa et simulacra, ut antea moris erat, sed solum crucis tropæum præferretur, mandavit.

## CAPUT XXII.

*Studium precandi, et cultus festi Paschalis.*

Ipse vero utpote sacrorum mysteriorum particeps, in intimis palatii sui penetralibus quotidie statis horis sese in-

cludens, remotis arbitris solus cum solo colloquebatur Deo; et in genua provolutus, ea quibus opus haberet supplici prece postulabat. In ipsis autem salutiferæ festivitatis diebus, disciplinæ atque exercitationum vigorem intendens, cunctis animi et corporis viribus collectis, pontificis atque hierophantæ munere fungebatur. Et ipse quidem cæteris omnibus præibat ad festi celebrationem. Sacram autem vigiliam in diurnum splendorem converterat, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis per eos quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accensæ cuncta passim loca illustrabant; adeo ut hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendior redderetur. Simul vero ac dies illuxerat, Servatoris nostri beneficentiam imitari studens, universis gentibus, provinciis ac populis largam manum porrigebat, opulentissima donans omnibus munera.

## CAPUT XXIII.

*Quomodo idolorum cultum prohibuit, martyrum autem festa honoravit.*

Hoc igitur modo ipse Deo suo sacra faciebat. Cæterum cunctis sub Romano imperio degentibus, tam plebeis quam militibus, occlusæ erant fores cultus simulacrorum, et quovis sacrificiorum genus interdictum. Missa quoque lex est ad præsides provinciarum, ut diem Dominicum etiam ipsi venerarentur. Iidem festos martyrum dies jussu Principis observabant, et ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore prosequebantur. Quæ quidem omnia summo cum Imperatoris peragebantur gaudio.

## CAPUT XXIV.

*Quod rerum externarum quasi episcopum se esse dixit.*

Quocirca non absurde, cum episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque episcopum esse dixit, his fere verbis usus nobis præsentibus : « Vos quidem, inquit, in iis quæ intra Ecclesiam sunt episcopi estis : ego vero in iis quæ extra geruntur episcopus a Deo sum constitutus. » Itaque consilia capiens dictis congruentia, omnes imperio suo subjectos episcopali sollicitudine gubernabat; et quibuscumque modis poterat, ut veram pietatem consectarentur incitabat.

## CAPUT XXV.

*De prohibitione sacrificiorum et initiationum, et de abolitis gladiatoribus et impuris sacerdotibus Nili.*

Hinc est quod crebris legibus et constitutionibus interdixit omnibus ne simulacris sacrificarent, ne vates curiose consulerent, neve simulacra erigerent aut arcana sacra peragerent, postremo ne cruentis gladiatorum spectaculis urbes contaminarent. Cumque Ægyptii et Alexandrini fluvium suum ministerio quorumdam hominum effœminatorum colere consuevissent, lex quoque ad eos data est, ut omnis androgynorum natio tanquam adulterina e medio tolleretur, nec usquam conspicerentur ii qui hujusmodi impudicitiæ morbo laborassent. Sed quoniam superstitiosi homines existimabant Nilum posthac more solito agros suos minime irrigaturum, Imperatoris legi favens Deus, contrarium prorsus quam speraverant præstitit : nam illi quidem qui urbes obscœnitate sua polluebant, esse desierunt; ipse

autem fluvius, quasi expiata purgataque ipsi tota regione, uberior quam unquam antea affluxit, et largiore aquarum copia exundans, agros omnes irrigavit; stultos homines reipsa docens atque admonens impuros quidem aversari oportere, soli autem Deo, omnium bonorum auctori, prosperos casus esse ascribendos.

## CAPUT XXVI.

*Correctio legis adversus orbos, et legis de testamentis.*

Verum enimvero cum hujusmodi res pene innumerabiles in singulis provinciis ab Imperatore gestæ sint, quicumque eas curiosius scribere aggressi fuerint, amplissimam certe materiam habituri sunt : cujusmodi est quod plurimas leges ad majorem sanctitatem traducens, pro antiquis novas fecit. Atque hujus rei forma uno aut altero exemplo declarari potest. Orbos antiquæ leges hæreditatis patrum ademptione plectebant; eratque lex hæc sane atrocissima, quippe quæ homines liberis destitutos, tanquam alicujus criminis reos, pœna afficeret. Imperator vero, hoc abrogato jure, sanctam ac religiosam legem tulit : eos enim qui sponte ac dedita opera peccarent, congruo supplicio afficiendos esse aiebat; at vero multis natura liberos denegavit, qui cum numerosam sobolem sibi optassent, tamen ob corporis infirmitatem liberis caruerunt : alii sine liberis ideo vixerunt, non quod successores habere liberos nollent, sed quod muliebrem copulam aversarentur, præ ardentissimo amore philosophiæ id continentiæ genus amplexi : multæ præterea mulieres divino cultui consecratæ, castitatem atque omnimodam virginitatem coluerunt, et tam animos suos quam corpora purissimæ ac sanctissimæ vitæ mancipaverunt. Quid ergo? utrum hoc supplicio, an potius admira-

tione et approbatione dignum haberi oportuit? Etenim hujus rei vel conatus ipse maximam laudem meretur; effectus vero, naturæ humanæ vires excedit. Eos igitur quibus naturalis infirmitas, licet maxime cupientibus, liberos denegavit, miseratione prosequi potius quam pœna afficere decet. Qui vero sublimioris philosophiæ amore ducitur, is non mulcta, sed admiratione omnium dignus est. Ad hunc modum Imperator summa cum æquitate legem illam correxit. Præterea antiquis legibus cautum fuerat ut morientes et ultimum, ut ita dicam, ducentes spiritum, certis quibusdam verbis testamenta scrupulose componerent; præscriptæque erant formulæ et solemnitates, ac verba quæ addi oporteret : ex quo plurimæ fraudes admittebantur ad circumscribendam morientium voluntatem. Quod Imperator cum animadvertisset, hanc etiam legem emendavit; statuens ut nudis verbis et qualicumque oratione testamentum condere morientibus liceret, et supremam voluntatem quovis scripto declarare; aut si mallent sine scripto testari, id facerent adhibitis duntaxat testibus idoneis, qui fidem servare absque mendacio possent.

## CAPUT XXVII.

*Quod legem tulit ne Judæi Christianum mancipium haberent, utque conciliorum decreta rata essent, et cætera.*

Quinetiam legem tulit ne Christianus ullus serviret Judæis : neque enim fas esse ut ii qui a Domino redempti essent, Prophetarum ac Domini interfectoribus servitutis jugo subderentur. Quod si quis Christianæ religionis servus penes Judæum deprehenderetur, illum quidem libertate donari, Judæum vero mulctari pecunia jussit. Jam vero episcoporum sententias quæ in conciliis promulgatæ essent,

auctoritate sua confirmavit; adeo ut provinciarum rectoribus non liceret episcoporum decreta rescindere : cuivis enim judici præferendos esse sacerdotes Dei. Hujusmodi pene innumeras leges subditis suis promulgavit, quas quidem peculiari volumine tradere, ad perspiciendam hac etiam in parte Imperatoris prudentiam, majoris otii fuerit. Quid nunc attinet commemorare quemadmodum summo omnium Deo sese applicans, a prima luce ad vesperam quos ex omni hominum numero beneficiis afficeret sollicite inquirebat, seque erga omnes æquum ac civilem bene de cunctis merendo præbebat?

## CAPUT XXVIII.

*Dona in Ecclesias collata, et pecuniæ virginibus ac pauperibus erogatæ.*

Sed præcipue in ecclesias Dei plurima contulit dona, nunc agros, nunc annonas in alimoniam pauperum et viduarum ac pupillorum largiens. Denique etiam vestes nudis hominibus fieri sollicita provisione curavit. Præ cæteris vero eos maxime honorabat qui se totos divinæ philosophiæ addixissent. Ipsum quidem sanctissimum perpetuarum Dei virginum cœtum tantum-non venerabatur, cum ipsum cui se consecraverant Deum in earum mentibus habitare pro certo haberet.

## CAPUT XXIX.

*Lucubrationes et declamationes Constantini.*

Quin et totas interdum noctes vigil traducebat, suam ipse mentem divinarum rerum meditatione instruens : et per otium scribendis orationibus vacans, crebras habebat con-

ciones; quippe qui officii sui esse existimaret populos sibi subjectos præceptis rationis regere, et principatum suum rationis imperium efficere. Quocirca ipse quidem concionem advocabat. Cæterum innumerabilis accurrebat multitudo, Principem philosophantem auditura. Quod si forte inter dicendum de theologia loquendi aliqua sese obtulisset occasio, stans illico contracto vultu ac demissa voce, cum singulari religione ac modestia, divinæ doctrinæ mysteriis initiare auditores videbatur. Cumque universis faustis vocibus ei applauderent, ipse eis innuebat ut sursum oculos attollerent, unumque illum summum omnium Regem præcipuo cultu et admiratione prosequerentur. Porro orationum suarum partitionem ita faciebat, ut primum quidem refutationem erroris gentilium in multis diis colendis, quasi fundamentum substerneret; certis rationibus astruens superstitionem illorum meram fraudem esse, et impietatis propugnaculum. Post hæc de singulari imperio Dei disserebat. Tum sermonem faciebat de providentia, qua et universa reguntur et singula. Hinc ad salutarem progrediens dispensationem, hanc quoque necessario et convenienti ratione factam fuisse ostendebat. Inde orationis cursum promovens, disputationem de divino judicio aggrediebatur: quo in loco auditorum animos gravissime perstringebat, raptores coarguens, et violentos, et eos qui se pecuniarum inexplebili cupiditati mancipassent. Nonnullos etiam e familiaribus suis qui aderant, quodam quasi orationis flagello verberans, conscientiæ stimulis agitatos, demittere oculos cogebat; quibus clara voce contestans denuntiabat ipsos actorum suorum rationem Deo esse reddituros: quippe sibi quidem imperium orbis terrarum a Deo traditum esse; se vero, divini Numinis exemplo, partes imperii regendas ipsis commisisse; cæterum omnes rationem gestorum suorum supremo Regi tandem reddituros. Hæc ille contesta-

batur assidue; hæc suggerebat; his illos documentis imbuebat. Verum ipse quidem sinceritate fidei suæ confisus, talia et sentiebat et prædicabat : illi autem indociles, ac velut obsurdescentes adversus pulcherrima documenta perstabant; lingua quidem ipsa plausuque et acclamationibus dicta comprobantes, sed reipsa ob inexplebilem cupiditatem ea negligentes.

## CAPUT XXX.

*Quod cuidam avaro sepulcri modum delineavit, ut ei pudorem incuteret.*

Proinde quemdam ex familiaribus, manu apprehensum, his aliquando verbis compellavit : « Quousque tandem, heus tu ! cupiditatem extendimus ? » Deinde cum hasta quam præ manibus habebat humani corporis staturam humi delineasset : « Etiamsi, inquit, cunctas hujus sæculi divitias, totumque adeo orbem terrarum tibi comparasses, tamen nihilo plusquam hoc a me descriptum terræ spatium ablaturus es, si modo etiam hoc tibi concessum fuerit. » Neque tamen beatissimus princeps, cum hæc et ageret et diceret, quemquam a pristina pravitate revocavit. Verum ipso rerum eventu manifestissime comprobatum est, Imperatoris monita divinis oraculis potius quam nudis sermonibus similia extitisse.

## CAPUT XXXI.

*Quod ob nimiam clementiam irrisus est.*

Porro cum nullus esset extremi supplicii metus qui malos homines a sceleribus deterreret, Imperatore prorsus in clementiam propenso, et ex provinciarum rectoribus ne-

mine crimina coërcente; eo factum est ut publica administratio non mediocrem reprehensionem subierit, utrum jure, an injuria, statuat quisque prout videbitur. Mihi interim fas sit rerum veritatem scriptis prodere.

## CAPUT XXXII.

*De Constantini oratione quam Ad sanctorum cœtum scripsit*

Et Imperator quidem latino sermone orationes componebat : eas vero in græcam postea linguam convertebant interpretes, quibus id munus erat injunctum. Ex his orationibus græco sermone translatis, exempli gratia, unam huic operi subjiciam, quam ille Ad sanctorum cœtum inscripsit, Ecclesiæ Dei lucubrationem illam nuncupans : ne cui forte nostrum super his rebus testimonium vana atque inanis fabula esse videatur.

## CAPUT XXXIII.

*Quomodo Eusebii de Servatoris sepulcro panegyricas orationes stans audierit.*

Illud vero quod nobis præsentibus gessit Princeps mirabilis, nequaquam mihi videtur silentio prætereundum. Nam cum singulari ejus in Deum pietate confisi, rogassemus aliquando ut nos de Servatoris nostri sepulcro dicentes audire vellet, libentissime aures nobis commodavit; cumque maxima audientium multitudo intus in ipsa regia circumstaret, stans ipse una cum cæteris orationem audivit : nobisque ab eo postulantibus ut in regali solio quod juxta positum erat sedere vellet, nunquam adduci potuit ut sederet; sed intento animo quæ dicebantur expendens, theologicorum

dogmatum veritatem suo testimonio comprobabat. Cum vero multum jam temporis consumpsissemus, et prolixior esset oratio, nos quidem finem dicendi facere volebamus; at ipse hortabatur nos ut peregeremus, donec ad metam perducta esset oratio. Nobis rursus ut sederet supplicantibus, ipse obluctans benigne persuadebat; cum nunc quidem diceret nefas esse, ubi de Deo instituta sit disputatio, remisse ac molliter auscultare; nunc vero id sibi utile et commodum esse affirmaret. « Pium enim ac religiosum est, inquit, ut de rebus divinis stantes audiant. » His peractis, nos quidem domum reversi consuetis nos studiis et exercitationibus reddidimus.

## CAPUT XXXIV.

*Quod de Pascha et de sacris codicibus ad Eusebium scripsit.*

At ille Ecclesiis Dei provida semper mente consulens, de conficiendis sacris codicibus et de festo Paschali ad nos epistolam scripsit. Nam cum nos librum quemdam quo arcana illius festi ratio erat exposita ei nuncupassemus, quomodo nos responsionis suæ honore vicissim remuneratus sit, ex his ejus litteris perspici potest.

## CAPUT XXXV.

*Epistola Constantini ad Eusebium, in qua orationem ejus de Pascha laudat.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, Eusebio.

» Arduum opus profecto est, et quod omnem dicendi vim superet, Christi mysteria pro dignitate explicare, et controversiam de Pascha, ejusque originem et plenam la-

boris atque utilitatis consummationem decenter exponere. Nam res divinas ne ipsi quidem pro merito enarrare sufficiunt, qui eas cogitatione assequi valent. Verumtamen eximiam tuam doctrinam et studii contentionem equidem supra modum admiratus sum, legique librum tuum perlibenter; utque in multorum qui divinæ religionis observantiam sincere profitentur, manus ac notitiam perveniret, quemadmodum optaveras, mandavi. Cum igitur intelligas quanta cum voluptate hujusmodi munera a solertia tua nobis oblata suscipimus, cura ut frequentioribus posthac sermonibus, quibus te innutritum esse profiteris, animum nostrum exhilares. Te vero currentem, quod aiunt, ad consueta studia incitamus : quippe cum non dignum operum tuorum interpretem qui ea in latinum sermonem transferat, nactum te esse tanta hæc fiducia satis ostendat : quamquam ejusmodi interpretatio tam præclarorum operum dignitatem consequi nullo modo potest. Divinitas te servet, frater charissime. » Et hæc quidem hac de re ejus fuit epistola : de parandis autem divinis codicibus ad ecclesiasticas lectiones, ejusmodi litteræ fuerunt.

## CAPUT XXXVI.

*Constantini ad Eusebium epistola de conficiendis sacris codicibus.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, Eusebio.

» In ea urbe quæ a nobis nomen sortita est, divina Servatoris nostri adjuvante providentia, maxima hominum multitudo ad sanctissimam Ecclesiam sese adjunxit : itaque, cum cuncta illic maximum incrementum capiant, consentaneum imprimis videtur ut plures quoque in ea construantur ecclesiæ. Accipe igitur libenti animo id quod facere decrevi : visum est enim id significare prudentiæ tuæ,

ut quinquaginta codices divinarum Scripturarum, quarum apparatum et usum maxime necessarium Ecclesiæ esse intelligis, in membranis probe apparatis, ab artificibus antiquariis venuste scribendi peritissimis describi facias, qui et legi facile, et ad omnem usum circumferri possint. Litteræ porro a nostra clementia missæ sunt ad rationalem diœcesis, ut cuncta ad eorum codicum confectionem necessaria præberi curet. Tuæ erit diligentiæ ut scripti codices quantocius apparentur. Cæterum duorum publicorum vehiculorum usum auctoritate hujus epistolæ accipies : sic enim quæ eleganter descripta sunt ad conspectum nostrum commodissime perferentur, uno scilicet ex ecclesiæ tuæ diaconis id ministerium obeunte. Qui quidem ubi ad nos pervenerit, humanitatis nostræ experimentum capiet. Divinitas te servet, frater charissime. »

## CAPUT XXXVII.

*Quomodo confecti fuerint codices.*

Et hæc quidem Imperator præcepit. Cæterum ejus dicta continuo opus ipsum excepit, cum nos in voluminibus magnifice exornatis terniones et quaterniones ad eum misissemus. Quod ipsum altera Imperatoris responsio testabitur; in qua, cum forte ei nuntiatum fuisset urbem apud nos Constantiam, quæ antea simulacrorum cultui addicta fuerat, impetu quodam sacrosanctæ religionis impulsam, pristinum superstitionis errorem abjicisse, gaudere se et factum magnopere probare significavit.

## CAPUT XXXVIII.

*Quomodo emporium Gazæorum, ob Christianismum, urbs facta est et Constantia cognominata.*

Jam tum siquidem in Palæstina urbs Constantia salutarem religionem amplexa, tum a Deo, tum ab Imperatore summi honoris prærogativa decorabatur. Nam et civitatis nomen accepit, cum antea vicus esset; et pristinum nomen cum præstantiore vocabulo, religiosissimæ videlicet sororis Principis, commutavit.

## CAPUT XXXIX.

*Quod in Phœnice urbs facta est Constantina, et in aliis urbibus idola diruta et ecclesiæ extructæ.*

Idem quoque pluribus in locis factitatum, verbi gratia in urbe quadam Phœnices quæ Imperatoris nomine appellatur; cujus incolæ, conjectis in ignem innumerabilibus simulacris, salutarem religionem amplexi sunt. Sed et in reliquis provinciis innumeri confertim ad salutarem Dei cognitionem sese transferentes, per urbes et agros varia simulacra ex omnis generis materia fabrefacta, quæ prius pro sacris habuerant, aboleverunt; templa eorum ac delubra in immensam altitudinem sublata, nullo jubente destruxerunt : ecclesias vero a fundamentis ædificantes, pristinam suam sententiam aut potius errorem mutaverunt. Verum Deo amabilis Imperatoris res gestas singillatim commemorare, non tam nostrum est, quam illorum qui assidue cum eo versari meruerunt. Nos vero, quando ea quæ ad nostram notitiam pervenerant in hoc opere breviter exposuimus, ad extremum ejus vitæ tempus transgrediemur.

## CAPUT XL.

*Quod cum trinis decennalibus tres filios Cæsares creavisset, dedicationem martyrii Hierosolymis celebravit.*

Annus jam imperii illius tricesimus peragebatur. Tres autem ejus filii variis temporibus consortes imperii fuerant renuntiati. Primus, qui patrii erat cognominis, decimo circiter paterni imperii anno, hunc honorem sortitus. Secundus, avi sui nomen referens, circa parentis sui vicennalia Cæsar est declaratus. Tertius, Constans, qui præsentiam et stabilitatem suo nomine designat, tricesimo circiter paterni principatus anno ad hoc fastigium est evectus. Ita cum ad quamdam Trinitatis similitudinem tres filios Deo amabiles sustulisset, eosdemque singulis decenniis ad consortium imperii cooptasset, tempus deinceps tricennalium suorum opportunissimum esse existimavit quo summo omnium Regi gratias ageret. Et ipse quidem optimum factu esse judicabat, si ejus martyrii quod singulari studio ac magnificentia Hierosolymis construxerat, dedicationem celebraret.

## CAPUT XLI.

*Quod inter hæc synodum Tyri haberi constituit, ob quasdam in Ægypto controversias.*

Verum invidus Dæmon bonorum omnium inimicus, instar densissimæ cujusdam nubis splendidissimis solis radiis sese opponentis, hujus celebritatis nitorem turbare conatus est; ecclesiarum Ægypti statum contentionibus suis iterum concutiens. Sedenim Deo charus Imperator collectam rursus plurimorum antistitum synodum, velut divi-

num quemdam exercitum in prælium educens, malevolo dæmoni objecit : episcopis ex universa Ægypto, et Libya, Asia item et Europa convenire jussis, primum quidem ad dirimendam controversiam, exinde vero ad supradicti martyrii dedicationem. Proinde mandavit iis ut obiter in civitate quæ totius Phœnices caput est, controversias dissolverent : neque enim fas esse ut cum mutua animorum dissensione ad divinum cultum accederent ; cum divina lex vetet ne dissentientes antequam compositis inter se controversiis pacem atque amicitiam pepigerint, dona sua offerant Deo. Hæc salutaria Servatoris nostri documenta Imperator assidua cogitatione volvens, cum omni animorum consensione et concordia propositum opus aggredi monuit, per litteras quæ sic se habent :

## CAPUT XLII.

*Epistola Constantini ad synodum Tyri congregatam.*

« Victor Constantinus Maximus Augustus, sanctæ synodo congregatæ in urbe Tyro.

» Congruum plane et prosperitati temporum nostrorum consentaneum erat, ut Ecclesia Catholica expers seditionis esset, et Christi famuli ab omni nunc probro vacui essent ac liberi. Sed quoniam nonnulli improbæ contentionis stimulis agitati, ne dicam vitam professione sua indignam agentes, cuncta turbare conantur ; quod malum quavis calamitate gravius mihi videtur : idcirco vos sponte, ut aiunt, currentes adhortor ut absque ulla dilatione in unum coëuntes, synodum constituatis, et ope vestra indigentibus subveniatis, fratribus periclitantibus medicinam adhibeatis, dissidentia inter se membra ad concordiam revocetis, delicta denique dum tempus adhuc patitur corrigatis; quo

scilicet tot ac tantis provinciis per vos restituatur concordia, quam, proh scelus! paucorum hominum arrogantia evertit. Id porro summo omnium Domino ac Deo acceptum esse, mihique præ omnibus votis optabile; vobis postremo ipsis, si quidem concordiam restitueritis, honorificum imprimis et gloriosum, inter omnes constare arbitror. Nolite ergo cunctari; sed alacritatem animi vestri magis ac magis intendentes, date operam ut præsentes dissensiones convenienti sententia terminetis, cum omni, ut par est, sinceritate ac fide, quam Servator ille quem colimus in omni negotio tantumnon inclamans a nobis præcipue flagitat in unum convenientes. Cæterum quantum ad religionem nostram pertinet, nihil quod mearum partium sit vobis deerit; cuncta siquidem quæ litteris vestris significastis, a me impleta sunt. Scripsi ad quos voluistis episcopos, ut venientes communi vobiscum cura ac sollicitudine fungerentur. Misi etiam Dionysium ex-consulari, qui et episcopos illos qui vobiscum adesse debent commoneat, et omnium quæ gerentur, maxime vero modestiæ, inspector sit. Si quis vero, quod minime arbitramur, præceptum nostrum etiamnum violare præsumens, adesse renuerit, mittetur quamprimum a nobis aliquis qui imperiali auctoritate hominem in exilium pellens, docebit Imperatoris sanctionibus pro veritate editis minime esse repugnandum. Quod superest, vestræ sanctitatis erit providere ut nec odio, nec gratia, sed juxta ecclesiasticas et Apostolicas regulas, delictis et iis qui per errorem contigerunt, conveniens remedium exquiratis: quo et Ecclesiam omni probro liberetis, et meas curas levetis, et pacis amœnitate turbatis nunc ecclesiis restituta, vobis ipsis maximam gloriam comparetis. Divinitas vos servet, fratres charissimi. »

# CAPUT XLIII.

*Quomodo ad dedicationem ecclesiæ Hierosolymorum, episcopi ex omnibus provinciis convenere.*

Cum hæc præcepta executioni mandarentur, alius ab Imperatore nuntius supervenit, qui oblatis Imperialibus litteris, synodum hortatus est ut nulla interposita mora omnes quamprimum Hierosolyma properarent. Cuncti igitur ex Phœnicum provincia digredientes, publico cursu contendere eo quo jussum erat cœpere : totusque ille locus maximo Dei cœtu tandem refertus fuit, cum ex universis provinciis insignes episcopi Hierosolymis in unum convenissent. Nam et Macedones primæ apud se sedis episcopum miserant; et Pannonii ac Mœsi ex tyronibus Dei lectissimum florem ac præcipuum gentis suæ decus direxerant. Aderat etiam episcoporum Persidis ornamentum, vir sanctus et in divinis Scripturis apprime exercitatus. Bithyni quoque et Thraces præsentia sua conventum ornabant. Nec deerant ex Ciliciæ episcopis clarissimi quique. Ex Cappadocia item qui doctrina et eloquentia præstabant, in medio consessu enituerunt. Adhæc Syria omnis, Mesopotamia, Phœnice, Arabia et Palæstina ipsa, Ægyptus quoque et Libya, et qui Thebaïdem incolunt, omnes in unum congregati magnum illum Dei chorum implebant. Quos ex omnibus provinciis innumerabilis hominum multitudo sequebatur. Aderat porro his omnibus regalis cujusdam apparitionis obsequium; et ex Imperii palatio missi quidam spectatæ probitatis viri, qui sumptibus ab Imperatore subministratis festivitatem illustrarent.

## CAPUT XLIV.

*Quomodo per Marianum notarium excepti sint, et pecuniæ pauperibus erogatæ : et de donariis ecclesiæ.*

His autem omnibus præerat vir Imperatori comprimis utilis, fide, religione et sacrarum Litterarum peritia conspicuus : qui cum tyrannicis temporibus pro pietatis defensione multis confessionibus inclaruisset, non immerito harum rerum dispositionem sibi commissam accepit. Hic igitur omni cum sinceritate Imperatoris jussibus obsecutus, episcoporum quidem cœtum singulari comitate et magnificentissimis epulis atque conviviis honorifice excepit. Egentibus vero ac nudis, et pauperum utriusque sexus infinitæ multitudini, cibi ac reliquarum rerum inopia laboranti, magnam pecuniæ vim et plurimas vestes distribuit. Postremo basilicam omnem regalibus donariis magnifice exornavit. Et hic quidem hujusmodi functus est ministerio.

## CAPUT XLV.

*Episcoporum in conventibus sermones, et ipsius qui hæc scripsit Eusebii.*

At sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi Imperatoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant, et martyrii magnificentiam oratione persequebantur. Alii sacris theologiæ dogmatibus ad præsentem celebritatem accommodatis, spirituale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos et mysticos sensus in lu-

cem proferentes. Qui vero ad hæc aspirare non poterant, incruentis sacrificiis et mysticis immolationibus Deum placabant, pro pace communi, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore tot bonorum auctore, ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes. Ibi nos quoque, quibus majora quam pro meritis nostris bona contigerant, variis sermobus publice habitis solemnitatem decoravimus; nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enarrantes; nunc Propheticorum oraculorum sensus apte et accommodate ad præsentes figuras atque imagines interpretantes. Hoc modo dedicationis solemnitas ipsis Imperatoris tricennalibus summa cum hilaritate celebrata est.

## CAPUT XLVI.

*Quod descriptionem martyrii et orationem de tricennalibus coram ipso Imperatore postea recitavit.*

Cæterum qualis forma basilicæ Servatoris, qualis sacræ speluncæ species sit, quanta operis venustas et elegantia, quot denique donaria partim ex auro et argento, partim ex gemmis fabrefacta, peculiari opere executi, librum illum Imperatori nuncupavimus. Quem quidem librum opportune ad calcem hujus operis edituri sumus[1], adjuncta etiam oratione illa de tricennalibus, quam paulo post profecti Constantinopolim coram ipso Imperatore recitavimus, secundo tum in palatio summum omnium Deum ac Dominum laudibus prædicantes. Quam cum audiret Deo amabilis Imperator, gestire præ gaudio videbatur. Atque id ipse finita oratione confessus est, cum episcopos qui aderant convivio exciperet, omnique eos genere honoris afficeret.

[1] Opus deperditum.

## CAPUT XLVII.


*Quod Nicæna quidem synodus vicennalibus Constantini, dedicatio vero basilicæ Hierosolymitanæ contigit tricennalibus.*

Hanc secundam synodum, omnium quas quidem novimus maximam, Imperator Hierosolymis congregavit, post primam illam quam in urbe Bithyniæ nobilissima collegerat. Sed illa quidem triumphalis erat, in Imperii vicennalibus preces ac vota pro victoria de hostibus parta in urbe victoriæ cognomine persolvens : hæc vero tricennalium festivitatem ornavit, cum Imperator Deo omnium bonorum auctori martyrium, velut quoddam pacis donarium, in ipso Servatoris nostri monumento dedicaret.

## CAPUT XLVIII.

*Quomodo immodicas cujusdam laudes ægre tulerit.*

His omnibus confectis, cum Imperatoris virtus cunctorum sermonibus prædicaretur, quidam ex numero sacerdotum illum coram beatum pronuntiare non est veritus; quippe qui tum in hac vita summum totius orbis Romani imperium consequi meruisset, tum in futuro ævo una cum Filio Dei esset regnaturus. At ille, hujusmodi voces ægre admodum passus, hominem admonuit ne his verbis uti præsumeret, sed potius supplex Deo vota faceret ut tam in hac quam in futura vita censeri inter famulos Dei mereretur.






## CAPUT XLIX.

*Nuptiæ Constantii Cæsaris, ejus filii.*

Absoluto jam tricesimo imperii anno, secundi filii nuptias celebravit, cum majoris natu nuptias dudum antea celebravisset. Epula igitur et convivia præbebantur, Imperatore ipso filium sponsum deducente, et magnifico apparatu seorsum virorum, seorsum mulierum cœtum excipiente. Sed et munera splendidissima civitatibus ac populis divisa.

## CAPUT L.

*Legatio et munera ab Indis missa.*

Eodem tempore Indorum qui ad orientem solem incolunt legati advenere, dona afferentes; varias videlicet gemmas exquisiti fulgoris ac pretii, feras quoque forma atque indole penitus a nostris discrepantes. Quæ omnia Imperatori offerentes, testabantur ad ipsum usque Oceanum imperium ejus extendi, gentisque Indorum principes ac regulos pictis tabulis et statuis in honorem ejus erectis, imperatorem ac regem se illum agnoscere profiteri. Ac in ipso quidem principatus ejus exordio, primi omnium Britanni, ad occidentalem Oceanum positi, sese illius ditioni subjecerunt : nunc vero ad orientem solem incolentes, idem fecere.

## CAPUT LI.

*Quomodo Constantinus, diviso in tres filios Imperio, eos et regnandi arte et pietatis officiis instituit.*

Cum igitur utrumque terminum orbis terrarum sub po-

testatem suam redegisset, totius Imperii summam, velut paternam quamdam hæreditatem necessitudinibus suis dispertiens, in tres filios divisit : et avitam quidem sortem maximo natu ; alteri vero Orientis imperium ; mediam inter has portionem regni, tertio filio tribuit. Jam vero cum optimam liberis suis hæreditatem, et ad animæ salutem imprimis utilem parare vellet, pietatis semina eorum mentibus inspersit, partim divinis documentis ipse eos imbuens, partim magistros eis apponens compertæ religionis viros. Sæcularium quoque disciplinarum peritissimos doctores iisdem præfecit : alii bellicæ artis scientia, alii civilium rerum præceptis eos informabant, alii denique juris prudentia. Porro singulis tributus erat regalis apparatus, scutarii, hastati, protectores, et legiones ac numeri militares eorumque rectores, centuriones, tribuni ac duces ; ii quos pater in rebus bellicis exercitatissimos, et præcipua erga filios fide ac benevolentia præditos esse cognoverat.

## CAPUT LII.

*Quomodo eos virilem ætatem ingressos, pietatem docuerit.*

Porro dum infirma adhuc ætate Cæsares essent, ministri et consiliarii iis adjuncti rempublicam gubernabant : verum ubi ad virilem ætatem pervenissent, solius patris magisterium eis suffecit. Qui nunc præsentes privatis admonitionibus ad æmulationem sui provocabat, exemplum pietatis suæ ad imitandum ipsis proponens : nunc absentibus Imperatoria præcepta per litteras suggerebat, quorum primum illud et maximum erat, ut Dei summi omnium regis notitiam cultumque divitiis omnibus ipsique etiam imperio anteferrent. Tandem vero ut per seipsos quæ utilia essent reipublicæ agerent, eis permisit ; et ante omnia id diserte

præcepit, ut Ecclesiæ Dei curam gererent, seque palam Christianos profiterentur. Atque hoc quidem modo filios instituebat. Illi vero non tam paternis monitis quam sua sponte incitati, præcepta parentis sui alacritate animi superarunt; quippe qui divinæ religionis observantiam semper præ oculis haberent, et sanctos Ecclesiæ ritus in ipso palatio cum universis domesticis custodirent. Nam et hoc paternæ providentiæ opus fuerat, ut non alios domesticos et contubernales filiis suis, quam Christianos traderet. Primorum quoque numerorum rectores, quibus reipublicæ cura commissa fuerat, Dei cultores erant : quippe hominibus fidem in Deum professis, tanquam firmissimis quibusdam muris confidebat. Cum beatissimus princeps hæc quoque ita constituisset, Deus bonorum omnium dispensator, utpote cunctis reipublicæ negotiis optime ab Imperatore dispositis, opportunum tempus eamdem adesse statuens quo ad meliorem sortem transferretur, fatalem ejus vitæ finem imposuit.

## CAPUT LIII.

*Quod cum duobus ac triginta annis regnaverit, et plusquam sexaginta annis vixerit, integra semper fuit valetudine.*

Ac imperii quidem curriculum duobus et triginta annis explevit, exceptis mensibus ac diebus paucis : vitæ vero spatium duplo fere longius fuit. Qua in ætate, corpus ei ab omni morbo et labe vacuum, expers cujuslibet vitii, et quovis juvenili corpore firmius constitit, et tum decorum aspectu, tum ad quidvis agendum viribus pollens : adeo ut militaribus exercitationibus proluderet, equitaret, ambularet, dimicaret, tropæa de hostibus victis erigeret, et incruentas illas more suo victorias reportaret.

## CAPUT LIV.

*De iis qui eximia ejus humanitate ad avaritiam et pietatis simulationem abusi sunt.*

Animus similiter ad summum humanæ perfectionis culmen pervenerat; quippe qui omnibus præclaris dotibus ornatus esset, præcipue vero humanitate. Quam tamen multi reprehendebant, ob exuberantem malitiam improborum, qui nequitiam suam Imperatoris ascribebant patientiæ. Certe hæc duo vitia illis temporibus maxime invaluisse nos quoque ipsi conspeximus, violentiam scilicet pessimorum hominum et insatiabili cupiditate flagrantium, qui universos fere mortales infestabant; et fraudulentam simulationem eorum qui callide in Ecclesiam irrepebant, et Christianorum nomen falso ac specie tenus præferebant. Verum insita Imperatori humanitas ac bonitas, et fidei morumque sinceritas, eo ipsum adduxit ut crederet fictæ in speciem pietati hominum illorum qui pro Christianis habebantur, et qui sinceram erga ipsum benevolentiam callida mente simulabant. Quibus ille cum semetipse credidisset, interdum fortasse in ea quæ parum decora essent impegit, maligni Dæmonis invidia hanc velut maculam reliquis ejus laudibus aspergente.

## CAPUT LV.

*Qualiter ad ultimum usque vitæ diem orationes scripsit.*

Verum illos divina justitia non multo post merito supplicio affecit. Imperator vero tanta sermonum scientia animum instruxerat, ut ad ultimum usque diem vitæ orationes conscriberet more solito, et conciones haberet, et divina

documenta auditoribus insinuaret; leges item ferret assidue, nunc de civilibus negotiis, nunc de re militari; cuncta denique ad commodum atque utilitatem humani generis excogitaret. Illud vero haudquaquam silentio prætereundum est, quod cum extremus vitæ dies ipsi jam impenderet, funebrem quamdam orationem in consueto auditorio recitavit; cumque sermonem longius produxisset, in ea disseruit de animorum immortalitate, deque his qui vitam pie traduxissent, et de bonis quæ amicis Dei apud ipsum Deum recondita essent : contra vero quem finem essent habituri illi qui contrariam vivendi rationem instituissent, multis rationibus evidenter astruxit, interitum et cladem impiorum describens : quod quidem cum graviter et serio affirmaret, proximos et familiares suos perstringere videbatur; adeo ut quemdam ex illis vana sapientiæ opinione inflatis interrogaverit quid sentiret de iis quæ dicta essent : at ille verissima esse cuncta testatus est, et quamvis invitus, disputationes adversus multorum numinum cultum magnopere laudavit. Hujusmodi conciones ad familiares suos ante mortem cum habuisset, viam sibi ipse complanare ad meliorem vitam videbatur.

## CAPUT LVI.

*Quomodo ad bellum Persicum proficiscens, episcopos sibi adjunxit, et tentorium in speciem Ecclesiæ paravit.*

Illud quoque neutiquam prætereundum est, quod circa hæc tempora cum de motu barbarorum ad orientem solem degentium nuntius allatus esset, hanc adhuc de illis victoriam superesse sibi testatus, Persis bellum inferre statuit. Quod cum facere decrevisset, militares copias undique excivit : et cum episcopis quos circa se habebat, de profec-

tione consilium communicavit; provida mente prospiciens viros ad divinum cultum necessarios secum assidue versari oportere. Illi vero, libenti animo secuturos se esse affirmarunt, nec ab illo discessuros, sed continuis apud Deum supplicationibus militaturos una cum illo et pugnaturos. Quo ille nuntio vehementer delectatus, viam illis qua proficiscerentur descripsit. Deinde tabernaculum in speciem ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit, in quo preces ad Deum victoriæ auctorem una cum episcopis fundere decreverat.

## CAPUT LVII.

*Quomodo, susceptis Persarum legatis, festo Paschæ die cum aliis pernoctavit.*

Interea Persæ, cum Imperatorem bellum parare comperissent, et cum illo congredi vehementer reformidarent, missis legatis pacem ab eo postulaverunt. Itaque Imperator pacis amantissimus, Persarum legatione benigne suscepta, pacem et amicitiam cum eis libenter pepigit. Aderat jam magna Paschalis festi solemnitas : in qua Imperator vota Deo persolvens, una cum cæteris pernoctavit.

## CAPUT LVIII.

*De constructione martyrii Apostolorum Constantinopoli.*

Posthæc in memoriam Apostolorum martyrium ædificare cœpit in urbe sibi cognomine : cumque templum omne in immensam altitudinem extulisset, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens. Porro cameram lacunaribus minutis-

simi operis obducens, totam auro imbracteavit. Et supra quidem, æs tegularum loco impositum, universo ædificio munimentum adversus imbres præbebat : quod itidem auro plurimo superfusum resplendebat, adeo ut procul spectantium oculos fulgore præstingueret, solis radiis æris objectu repercussis. Totum vero solarium reticulatis quibusdam anaglyphis ex ære et auro fabrefactis erat circumdatum.

## CAPUT LIX.

*Descriptio ejusdem martyrii.*

Ac templum quidem ipsum maximo Imperatoris studio hunc in modum exornabatur. Circa ipsum templum ingens erat area, libero ac patente desuper cœlo. Cujus ad quatuor latera porticus erant sibi invicem conjunctæ, quæ aream in medio sitam una cum ipso templo circumcingebant. Præterea basilicæ, lavacra, diversoria, et alia plurima habitacula ad usum eorum qui locum custodiebant, porticibus applicita, earum longitudinem æquabant.

## CAPUT LX.

*Quod etiam in eo templo sepulcrum sibi ædificavit.*

Hæc omnia dedicavit Imperator eo consilio, ut Apostolorum Servatoris nostri memoriam posteris in perpetuum commendaret. Sed et aliud quidpiam in mente habens, ædem illam construxit ; quod initio quidem obscurum, tandem vero omnibus sub finem innotuit. Quippe ipse hunc sibi locum post mortem designaverat; incredibili fidei alacritate prospiciens ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur, quo scilicet

precationum quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cum igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas in honorem ac memoriam Apostolici collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrinque Apostolorum capsas dispositas habebat. Atque id in eo loco ubi corpus ipsius post mortem decenter deponendum esset, solertissime providit. His ille diu antea sagaci mente dispositis, ædem Apostolis consecravit; pro certo sibi persuadens horum memoriam non parum utilitatis animæ suæ esse allaturam. Nec vero Deus eum voto atque expectatione sua frustratus est : nam cum primas Paschalis festi exercitationes obiisset, ipsumque Servatoris nostri diem, tum sibi tum aliis omnibus lætum atque hilarem reddidisset, his illum rebus intentum, et in hujusmodi operibus perstantem usque ad exitum vitæ, Deus cujus auxilio cuncta hæc gerebat, opportune tandem eum ad meliorem sortem transferrre dignatus est.

## CAPUT LXI.

*Imperatoris ægritudo, et orationes Helenopoli. Item de ejus baptismo.*

Principio quidem inæqualis corporis intemperies, posthæc morbus eum invasit. Itaque ad aquas calidas civitatis suæ progressus, inde Helenopolim delatus est, urbem matris suæ nomine appellatam : ibique in templo martyrum diu commoratus, supplicationes et preces obtulit Deo. Cumque extremum vitæ diem sibi jam imminere sentiret, tempus tandem adesse existimavit quo totius vitæ delicta expiaret; firmissime credens quæcumque humanitus peccavisset, arcanorum verborum efficacia et salutari lavacro penitus esse delenda. Hæc cum apud se reputasset, genu flexo humi

procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso martyrio : quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere. Hinc ad suburbana Nicomediæ digressus, convocatis episcopis, sic ad eos verba fecit :

## CAPUT LXII.

*Quibus verbis Constantinus postulavit ab episcopis ut baptismum sibi conferrent.*

« Hoc erat tempus quod jamdudum sperabam, cum incredibili cupiditate arderem votisque omnibus desiderarem salutem in Deo consequi. Jam tempus est ut signum illud quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus est ut salutaris signaculi participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum lavacrum suscepisse memoratur; sed Deus, qui optime novit ea quæ nobis utilia sunt, hoc in loco nobis idipsum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. Nam si quidem Deus, vitæ mortisque arbiter, hic me diutius vitam agere voluerit; idque semel decretum est, ut in posterum una cum populo Dei permiscear, et in Ecclesiam ascitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam, eas vivendi leges mihi præscripturum me esse spondeo quæ sint Deo dignæ. » Hæc cum dixisset, illi solemni ritu divinas cæremonias peregerunt; injunctisque ei quæcumque necessaria erant, sacrorum mysteriorum participem eum fecere. Solus igitur ex omnibus qui unquam fuerunt imperatoribus Constantinus, in Christi martyriis renatus et consummatus est; et divino donatus signaculo, exultavit spiritu renovatusque est, ac divina luce repletus. Et animo quidem maximam capiebat

voluptatem ob fidei excellentiam; evidentissimam autem divinæ potentiæ magnitudinem attonitus mirabatur. Postquam omnia rite impleta sunt, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, et candidissimo in lecto recubuit; nec purpuram contingere amplius voluit.

## CAPUT LXIII.

*Quomodo post baptismum Deum laudavit.*

Posthæc sublata altius voce, precabundus gratias egit Deo; et finita precatione hæc subjecit: « Nunc me revera beatum esse, nunc immortali vita dignum, nunc divinæ compotem lucis factum esse cognosco. » Miseros quoque et infelices esse aiebat, qui tantis bonis privarentur. Cumque tribuni ac duces militarium copiarum introgressi, vicem suam dolerent quod orbos ipsos relinqueret, et longiorem ipsi vitam comprecarentur; his etiam respondens, nunc demum veram se vitam adeptum esse dixit, seque unum optime nosse quantorum bonorum particeps factus fuisset; proinde properare se, et profectionem ad Deum suum nulla tergiversatione differre. Singula deinde pro arbitrio suo disposuit. Ac Romanis quidem regiam urbem incolentibus annua quædam munera legavit; suis autem liberis imperium velut paternam hæreditatem reliquit: cuncta prout ipsi videbatur constituens.

## CAPUT LXIV.

*Constantini mors die festo Pentecostes, circa meridiem.*

Porro hæc omnia gerebantur in maxima illa solemnitate venerandæ et sacratissimæ Pentecostes, quæ septenario

hebdomadum numero decorata, unitate obsignatur; in qua et communis Servatoris ascensum in cœlos, et sancti Spiritus in terras descensum contigisse sacræ Litteræ testantur. In ea igitur solemnitate Imperator hæc quæ diximus consecutus, ultima tandem die, quam si quis omnium festivitatum maximam vocet haudquaquam meo judicio aberraverit, circa meridiem migravit ad Dominum; mortalibus quidem partem sui mortalem relinquens, eam vero animæ partem quæ intelligentia et amore Dei prædita erat Deo suo conjungens. Hic Constantino exitus vitæ fuit. Sed pergamus ad reliqua.

## CAPUT LXV.

*Militum et tribunorum planctus.*

Et protectores quidem omnisque stipatorum turba, confestim discerptis vestibus pronos se in terram abjicientes caput solo illidebant, ejulatus et lamenta cum planctu et clamoribus edentes; eumque dominum atque Imperatorem, nec ut dominum sed ut parentem piissimi liberi inclamantes. Tribuni vero et centuriones servatorem, præsidem, bene meritum prædicabant. Reliqui exercitus tanquam greges quidam, cum omni modestia ac reverentia optimum pastorem desiderabant. Plebs quoque per universam civitatem discurrebat, intimum animi sui dolorem vociferatione et clamoribus abunde significans. Multi præ dolore attonitis similes videbantur, singulis hanc propriam calamitatem reputantibus, seque ipsos plangentibus, utpote communi omnium bono ex hac vita sublato.

## CAPUT LXVI.

*Quomodo funus Nicomedia Constantinopolim deductum est in palatium.*

Posthæc milites sublatum e lecto corpus in arca aurea deposuerunt, eamque purpurea obtectam veste Constantinopolim deportarunt, atque in præcipuo imperialis palatii cubiculo sublimem collocaverunt. Dehinc aurea super candelabra luminibus undique accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebatur, et quale in nullo unquam mortalium ab ipso orbis conditu visum in terris fuerat : quippe in medio conclavi regalis palatii, funus Imperatoris in arca aurea sublime jacens, regiis insignibus, purpura scilicet ac diademate exornatum, multi circumdantes noctu atque interdiu vigiles custodiebant.

## CAPUT LXVII.

*Quomodo etiam post mortem a comitibus et reliquis, perinde ac vivus, honoratus est.*

Cæterum totius exercitus duces, comites quoque et reliqui judices ac magistratus, qui etiam antea Imperatorem adorare soliti erant, pristini moris observantiam nullatenus mutantes, statis horis ingrediebantur; et Imperatorem in arca depositum, perinde ac vivum et spirantem, genu flexo post obitum salutabant. Post primores autem illos, idem deinceps et senatores et honorati omnes introëuntes fecere. Innumerabilis deinde vulgi multitudo cum pueris ac mulieribus ad hujus rei spectaculum accessit. Atque hæc longi temporis spatio assidue gesta sunt; cum militares funus ad hunc modum jacere et custodiri decrevissent, donec Impe-

ratoris filii eo advenientes, ipsi paternum funus honoris causa prosequerentur. Solus denique etiam post mortem imperavit Princeps beatissimus; cunctaque more solito administrata sunt, quasi adhuc in vivis esset. Qui honos uni illi post hominum memoriam a Deo concessus est : quippe cum solus ille præ cæteris imperatoribus Deum omnium regem Christumque ejus Filium variis cujusque generis actibus honorasset, jure merito his honoribus solus affectus est; idque illi tribuere dignatus est summus omnium Deus, ut cadaver ejus in terris imperium obtineret. Quo quidem indicio iis qui non plane stupidi atque hebetes essent, perspicue significavit Deus animam illius perpetuo et immortali imperio frui. Et hæc quidem gesta sunt in hunc modum.

## CAPUT LXVIII.

*Quomodo exercitus judicio, filii ejus Augusti sunt nuncupati.*

Interea tribuni lectos quosdam ex militaribus numeris, qui fidei ac benevolentiæ causa olim Principi accepti fuissent, ad Cæsares mittunt, cuncta eis quæ gesta erant nuntiaturos. Et hæc quidem illi tunc egerunt. Omnes vero ubicumque exercitus, quasi divino quodam spiritu incitati, simul atque de Imperatoris morte nuntiatum est, uno consensu decreverunt, prorsus quasi maximus Imperator adhuc superesset, neminem se præter ejus liberos imperii Romani principem habituros. Nec multo post, eosdem non Cæsares appellari voluerunt, sed Augustos; quod nomen summi imperii velut quoddam insigne est. Et exercitus quidem suffragia sua atque acclamationes sibi mutuo per litteras significarunt : et unanimis legionum consensus, uno eodemque temporis momento cunctis ubicumque agentibus innotuit.

## CAPUT LXIX.

*Romæ luctus ob mortem Constantini, et imagines ei decretæ.*

At in urbe regia senatus populusque Romanus, comperta Imperatoris morte, gravissimum hunc nuntium et quavis calamitate acerbiorem rati, nullum luctui modum fecere : quippe balnea et fora rerum venalium clausa; publica item spectacula, et quæcumque alia vitæ oblectamenta homines in otio degentes consectari solent, remota. Et qui prius deliciis diffluxerant, mœsti tunc per vias incedebant. Omnes Imperatorem beatum, Deo charum, et prorsus imperio dignissimum prædicabant. Neque hæc voce tantum nuda declarabant, sed imaginibus dedicatis mortuum perinde ac superstitem honorabant : in quibus cum cœli similitudinem expressissent in tabula, ipsum supra cœlestes fornices in æthereo domicilio requiescentem pinxere. Quinetiam ipsi liberos ejus imperatores atque Augustos solos sine cujusquam alterius consortio nuncupabant; magnisque clamoribus postulabant ut Imperatoris sui funus apud se haberent, et in regia urbe deponeret.

## CAPUT LXX.

*Quomodo funus Constantinopoli depositum sit a Constantio.*

Hunc Principi a Deo honorato etiam Romani honorem exhibuerunt. At secundus ex filiis ad patris funus cum advenisset, in urbem patri cognominem illud devexit, ipse exequias præcedens. Præibant per catervas et agmina dispositi numeri militares. Pone sequebatur innumerabilis hominum multitudo. Hastati vero et scutarii ipsum Impera-

toris corpus medii cingebant. Postquam ad Apostolorum Servatoris nostri ecclesiam perventum est, arcam illic deposuerunt. Hunc in modum novus imperator Constantius, tum adventu suo, tum reliquis officiis patri honorem exhibens, justa ut par erat persolvit.

## CAPUT LXXI.

*Missa in Apostolorum martyrio celebrata in exequiis Constantini.*

Ubi vero ille cum militaribus numeris abcessit, ministri Dei cum turbis et tota fidelium plebe, in medium prodiere, et divini cultus cæremonias precationibus peregerunt. Ac beatus quidem Princeps alto in suggestu jacens, laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus una cum sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lacrymis, pro Imperatoris anima preces offerebant Deo; gratissimum pio Principi officium exhibentes. Porro in hoc etiam Deus prolixam erga famulum suum benevolentiam declaravit; quippe qui charissimis ac germanis ejus filiis paterni Imperii successionem tribuerit, et quod maxime ambierat, locum juxta Apostolorum memoriam ei concesserit; ut scilicet beatissimæ illius animæ tabernaculum Apostolici nominis atque honoris consortio frueretur, et populo Dei in ecclesia sociaretur, divinisque cæremoniis ac mystico sacrificio, et sanctarum precum communione potiri mereretur; ipse vero post mortem imperium retinens, quasi redivivus universum orbem gubernans, Victor Maximus Augustus, suo adhuc nomine rempublicam regeret.

## CAPUT LXXII.

*De Phœnice ave.*

Non quemadmodum avis illa Ægyptia quæ, cum ejus generis unica sit, super aromatum cumulo emori dicitur, seipsam quasi victimam immolans, moxque ex ipsis favillis renasci, et pennis in altum subvecta, eadem qua prius specie cerni; sed potius exemplo Servatoris sui, qui instar tritici sati ex uno semine in multa sese diffundens, ope ac benedictione Dei spicam protulit, et universum terrarum orbem fructibus suis implevit : ad hunc modum beatissimus Princeps per successionem liberorum multiplex factus est ex uno; adeo ut passim in omnibus provinciis imagines ei simul cum filiis honoris causa statuantur, et familiare nomen Constantini etiam post ejus obitum usurpetur.

## CAPUT LXXIII.

*Quomodo in nummis Constantinum velut in cœlum ascendentem expresserint.*

Quinetiam nummi hujusmodi forma signati sunt, anteriore quidem parte beatum Principem obtecto capite præferentes, altera vero parte in quadrijugo curru aurigæ instar sedentem, et porrecta ipsi cœlitus dextra ad superos assumptum.

## CAPUT LXXIV.

*Quod cum Deum coluisset, merito etiam a Deo honoratus est.*

Hæc miracula summus omnium Deus in Constantino, qui solus ex omnibus retro imperatoribus Christianum se

palam professus fuerat, nostris oculis proponens, satis superque declaravit quantum interesset inter eos qui ipsum Christumque ipsius colere meruissent, atque inter illos qui contrariam sectam ac sententiam amplexi essent. Qui cum Ecclesiæ Dei bellum intulissent, Deum sibi hostem atque inimicum reddiderunt. Ac profecto uniuscujusque illorum interitus quantum erga eos esset divini Numinis odium certissimo argumento declaravit : quemadmodum Constantini obitu, Dei erga ipsum benevolentiæ quædam quasi pignora omnibus manifesto apparuerunt.

## CAPUT LXXV.

*Quod Constantinus superiores omnes imperatores pietate superavit.*

Qui cum solus ex Romanis imperatoribus Deum omnium regem excellenti quadam pietate coluisset, solusque doctrinam Christi universis ore libero prædicasset; cumque Ecclesiam Dei honore et gloria in tantum auxisset quantum antea nemo, et errorem hominum plures colentium deos solus evertisset, omnesque hujusmodi superstitionis ritus ac modos confutasset : solus quoque tum in hac vita, tum post mortem, ea consequi meruit qualia nullus unquam nec apud Græcos nec apud barbaros adeptus esse perhibetur. Sed neque apud priscos illos Romanos, ab ultimis usque temporibus, quisquam recenseri potest qui cum hoc nostro sit comparandus.

CONSTANTINI IMPERATORIS

# ORATIO

QUAM INSCRIPSIT

# AD SANCTORUM COETUM.



## CAPUT I.

*Procemium mentionem facit Paschæ, et quod Christus, cum multa in omnes homines beneficia contulisset, ab iisdem male mulctatus est.*

Splendidius solito solis ac diei jubar, primordium quidem resurrectionis, corporum vero jampridem dissolutorum nova reparatio, fundamentum promissionis, via ducens ad æternam vitam; dies videlicet Passionis nunc agitur, doctores charissimi et reliqui omnes amici; vosque multo reliquis feliciores credentium populi, qui ipsum religionis auctorem Deum religiose colitis, et tum interiore sensu, tum linguis ac vocibus, juxta sacrorum Oraculorum præscripta, ipsum sine intermissione laudatis. Tu vero, natura omnium parens, quid hujusmodi unquam ad hominum utilitatem contulisti? aut potius quod usquam est opificium tuum? siquidem ille omnium auctor tuæ substantiæ opifex fuit. Hic enim est qui te ornavit : quippe ornamentum naturæ est, vita cum natura apte consentiens. Invaluit autem postea id quod prorsus naturæ contrarium est, ut Deum omnium auctorem nemo congruo cultu veneraretur, cunctaque non divini Numinis providentia, sed casu

quodam ac temere geri putarentur. Et quamvis Prophetæ divino Spiritu afflati idipsum diserte annuntiarent, quorum sermonibus fides adhiberi debuerat; tamen iniqua impietas modis omnibus repugnabat : ipsam quidem veritatis lucem odio prosequens, impenetrabiles autem tenebras erroris amplectens. Neque vero vis ac sævitia abfuit, præsertim cum temerariarum impetum vulgi principum auctoritas adjuvaret, aut, ut verius dicam, ipsi se importuni furoris duces præberent. Itaque hæc vivendi ratio plurium ætatum usu confirmata, illorum temporum hominibus plurimas invexit calamitates. Verum ubi primum Servatoris nostri præsentia illuxit, statim pro injustitia æquitas, pro gravissima tempestate serenitas oborta est; et quæcumque a Prophetis prædicta fuerant impleta sunt. Postquam enim idem ille Servator noster ad Patris sui sublatus est domicilium, toto terrarum orbe continentiæ ac modestiæ radiis illustrato, Ecclesiam suam quasi sacrum quoddam virtutis templum in terris constituit, idque æternum et incorruptum; in quo tum summo Deo ac Patri debitus, tum ipsi quoque conveniens cultus rite exhiberetur. Sed quid posthæc vesana gentium malitia machinata est? Christi beneficia ac dona projicere, et Ecclesiam Dei ad salutem omnium constitutam evertere studuit, ac suam superstitionem in ejus locum substituere. Iterum seditiones, iterum pugnæ et bella, iterum morositas et luxuriosus vitæ apparatus, et cupiditas divitiarum : quæ quidem præter naturam in hominibus existens (quod proprium est malitiæ) nunc spe fucata oblectat, nunc timore percellit. Sed hæc quidem, ut æquitas postulat, humi jaceat, a virtute devicta, et præ pœnitentia seipsa disrumpens atque dilacerans. Nobis vero ea quæ divinæ doctrinæ conveniunt, impræsentiarum dicenda sunt.

## CAPUT II.

*Allocutio ad Ecclesiam et auditores, ut ignoscant et emendent, si quid minus recte dixerit.*

Audi ergo, castitatis ac virginitatis compos nauclere, tuque infirmæ ac rudis ætatis nutrix Ecclesia, cui veritas et clementia curæ est, ex cujus perenni fonte salutaris defluit rivus. Vos quoque qui sincere Deum colitis, eamque ob causam illi curæ estis, faventes audite; nec tam ad verba ipsa quam ad rerum quæ dicuntur veritatem, animum intendite; nec me dicentem, sed devotionis religiosum officium spectate. Quæ enim gratia et utilitas fuerit orationis, nisi dicentis animus antea fuerit exploratus? Magna quidem fortasse præsumo : verum insitus mihi erga Deum amor, audaciæ causa est; quippe qui vim affert pudori. Proinde vos qui divinorum mysteriorum scientia præ ceteris instructi estis, auxilio mihi adesse velim; ut si quid forte in dicendo peccare contigerit, ipsi mea sectantes vestigia corrigatis : nec consummatam quamdam doctrinam a me expectetis, sed potius fidei meæ conatum benigne approbetis. Cæterum Patris ac Filii singulare auxilium nobis in præsentia aspiret, ea dicentibus quæ jusserit ac menti nostræ suggesserit. Si quis enim aut rhetoricam aut aliam quamcumque artem professus, sperat se absque ope divini Numinis opus suum cumulate posse perficere, is cum eo quod suscepit opere rudis atque imperfectus deprehenditur. Quibus vero divini Numinis semel aspiravit auxilium, ii neutiquam cessare ac torpere debent. Proinde longioris procemii veniam a vobis deprecati, caput ac summam instituti nostri aggredi tentabimus.

## CAPUT III.

*Quod Deus pater est Verbi, et omnium rerum opifex; et quod nullomodo res possint consistere, si diversæ essent earum causæ.*

Bonum illud quod omnia appetunt, cum suapte natura semper Deus sit, ortum non habet, ac proinde nec principium : ipse vero omnium quæ gignuntur principium est. Qui autem ex ipso processit, rursus cum ipso conjungitur atque unitur : quippe eum disjunctio atque conjunctio non locorum spatiis, sed intellectu duntaxat in illo perficiatur. Neque enim ullo paternorum viscerum damno fœtus ille constitit, sicut ea quæ ex semine nascuntur; sed divinæ providentiæ dispositione editus est Servator, qui huic aspectabili mundo, et cunctis quæ in eo fabricatæ sunt rebus atque operibus præsideret. Omnibus igitur quæ mundi complexu continentur, subsistendi ac vivendi hinc suppetit causa. Hinc anima, hinc sensus omnis, et facultates quibus ea quæ a sensibus significata sunt consummantur. Quidnam igitur hæc concludit oratio? unum scilicet esse omnium præsidem, cunctaque ejus unius dominio subjacere, tam cœlestia quam terrena, naturalia quoque et organica corpora. Nam si harum rerum quæ innumerabiles sunt dominium non penes unum, sed penes multos resideret, sortitio ac divisio elementorum, ut est in veteribus fabulis, invidia ac plus habendi cupiditas, omni virium nisu superare contendens, consonam omnium rerum concordiam perturbaret; singulis videlicet eam quam sortiti essent portionem diversa ratione administrantibus. Verum ex eo quod universus hic mundus uno semper eodemque modo se habet, satis convincitur non sine providentia id geri, nec fortuito casu id contigisse. Quis vero universæ materiæ opificem unquam agnovisset? Cuinam

primo, cuinam postremo allegandæ essent preces et supplicationes? Qui fieri posset ut unum eorum colere aggressus, in reliquos impius non essem? An si forte quidpiam ad vitam hanc necessarium postulavero, ei quidem deo qui mihi opem tulerit gratias acturus sum, illi vero qui mihi adversatus fuerit conviciaturus? quem vero obsecraturus sum ut mihi calamitatis causam aperiat, meque ea liberet? Ponamus per oracula ac vaticinia nobis datum esse responsum; hæc vero non esse sita in ipsorum potestate, sed ad alium deum pertinere. Quæ igitur misericordia, quæ Dei erga hominem providentia? Nisi forte aliquis ex illis paulo humanior, adversus alterum qui nulla erga homines benevolentia affectus est violentius commotus opem tulerit. Iræ porro et simultates et convicia, omnium denique rerum perturbatio ex eo sequerentur; dum suas quisque partes minime ageret, et præ cupiditate suis rebus non contentus, alienas invaderet. Quid postea? Certe hæc cœlestium discordia, inferioribus ac terrenis rebus perniciem allatura esset; tempestatum ordine ac vicissitudine, et fructuum qui singulis anni temporibus provenire solent, utilitate penitus sublata; sublata etiam die, et quæ diem excipit nocturna quiete. Sed de his satis. Redeamus nunc ad eas rationes quæ refutari nullatenus possunt.

## CAPUT IV.

*De errore eorum qui simulacra venerantur.*

Quidquid principium habuit, finem quoque habeat necesse est : porro temporale principium, generatio appellatur; quæ vero ex generatione oriuntur, omnia sunt corruptioni obnoxia : adhæc, formam ipsam ac speciem delet temporis longinquitas. Quonam igitur modo qui ex cor-

ruptibili generatione orti sunt, immortales esse possent? Cæterum hujusmodi quædam imperitæ multudinis opinio invaluit, apud superos nuptias fieri solere, et liberos procreari. Quod si qui gignuntur immortales sunt, semperque gignuntur novi, genus illud exuberet necesse est. Hac autem accessione facta, quod tandem cœlum, quæ terra, tantum deorum examen superveniens capere possit? Quid autem dicemus de iis hominibus qui fratres deos cum sororibus deabus matrimonii fœdere conjungunt, et adulteria atque obscenitates iisdem objiciunt? Illud quoque fidenter asserimus, honores et cultum qui ipsis ab hominibus tribuitur, impudicitia ac libidine plenum esse. Enimvero peritissimus aliquis statuarius, postquam formam futuri operis prius mente complexus est, opus ex præceptis artis excudit; ac paulo post, velut sui oblitus, proprio operi blanditur, idque pro immortali deo colit : cum tamen ipsæ statuæ illius parens atque artifex se mortalem esse fateatur. Illorum porro immortalium sepulcra et arcas ipsimet ostendunt, et mortuos divinis honoribus afficiunt; ignorantes scilicet id quod revera beatum et immortale est, iis quos mortales tribuunt honoribus non indigere. Nam quod sola intelligentia cerni et cogitatione comprehendi potest, nec formam qua dignoscatur requirit, nec figuram admittit tanquam imaginem et similitudinem. Verum hæc omnia mortuorum causa fiunt : revera enim homines fuerunt, corporibus præditi dum viverent.

## CAPUT V.

*Quod Christus Filius Dei cuncta condidit, et certum vitæ spatium singulis constituit.*

Sed cur verum Deum laudaturus, impuris verbis linguam

polluo? Prius igitur amaram illam potionem pura obducta potione diluere constitui. Purus autem potus hauritur ex perenni fonte virtutum illius quem celebramus Dei. Equidem mei privati officii esse duco, Christum tum vitæ sanctimonia, tum gratiarum actione, quæ pro multis et maximis beneficiis ei a nobis debetur, prædicare. Hunc ergo hujus universi constituisse principia, et hominum creationem certa lege ac ratione dimensum excogitasse dico : et illos quidem recens in lucem editos, statim in beatum quemdam locum, et floribus omnique fructuum copia refertum transtulit; et boni malique imperitos initio esse voluit. Tandem vero convenientem animalibus ratione præditis sedem in terra constituit; ac tunc demum bonorum malorumque notitiam iisdem, utpote ratione præditis, aperuit. Tunc etiam humanum genus jussit augeri, totumque illud spatium quod salubre et morborum expers Oceani ambitu terminatur, habitari cœptum. Cum autem humanum genus ita cresceret, artes ad hujus vitæ usum necessariæ repertæ sunt. Sed et bruta animalia perinde crevere, cum in unoquoque genere propria quædam vis ac virtus a natura insita deprehenderetur : in mansuetis quidem mite ingenium et obsequens homini; in feris vero robur ac velocitas, et naturalis quædam providentia qua se ex periculis eripiant. Ac mansuetorum quidem animalium omnium curam ac tutelam Deus hominibus attribuit; adversus feras veluti certamen quoddam instituit. Posthæc avium genus formavit, numero quidem copiosum, natura vero ac specie multiplex, insigni colorum varietate, et naturali quadam musicæ scientia præditum. Cætera item quæ totius mundi ambitu continentur cum pulcherrime distinxisset, cunctisque fatalem vitæ terminum definiisset, universi fabricam omnibus ornamentis decoratam absolvit.

## CAPUT VI.

*De fato; et quod falsa sunt quæ de eo dicuntur : idque ostenditur tum ex legibus humanis, tum ex rebus creatis, quæ non temere sed ordine moventur; hoc facto declarantes Creatoris præceptum.*

Verum plerique homines minus prudentes, hujus rerum omnium distinctionis atque ornatus causam naturæ tribuunt; alii fato vel fortuito casui assignant, hujusmodi rerum potestatem fato ascribentes. Neque intelligunt se, cum fatum nominant, nomen quidem proferre, sed nullum actum nullamque substantiam designare. Quid enim ipsum per se fatum esse possit, cum natura omnia procreaverit? aut quid censebimus esse naturam, si lex fati violari non potest? Sed et ex eo quod fatalis lex esse dicitur, cum omnis lex opus sit alicujus legislatoris, satis apparet fatum ipsum, si quidem lex est, Dei opus atque inventum esse. Cuncta igitur Deo subjecta sunt, nec quidquam est ejus potentiæ expers. Cæterum fatum Dei voluntatem esse ac censeri, minime improbamus. Sed quonam modo justitia, temperantia et reliquæ virtutes fato existunt? undenam vero contraria iisdem vitia, injustitia scilicet atque intemperantia? nam malitia quidem ex voluntate nascitur; virtus vero nihil aliud est quam recta actio ad mores spectans. Quæ autem ex bono animi proposito recte, vel quæ secus fiunt, si alium atque alium exitum sortiuntur prout fato aut fortunæ visum est; jus omne, et suum cuique tribuere, quomodo ex fato erit? Jam vero leges orationes ad virtutem hortantes et a vitiis deterrentes; laus item ac vituperatio; supplicia quoque et cuncta quibus homines ab improbitate revocantur et ad virtutem incitantur, quomodo ex fortuna ac temerario casu, ac non potius ex justitia quæ Dei providentis pro-

pria est, proficisci dicantur? Etenim ille hominibus ea tribuit quæ merentur propter hanc aut illam vivendi rationem : ingruente interdum pestilentia, seditione, sterilitate; interdum ubertate frugum succedente; cunctisque his rebus tantum non edita voce diserte significantibus, hujusmodi omnia nostræ vivendi rationi aptissime convenire : quippe divina substantia hominum quidem probitate delectatur, omnem vero aversatur impietatem; et sicut animum de se modice sentientem amplectitur, ita audaciam et arrogantiam altius quam animali convenit sese efferentem, odio habet. Quarum rerum probationes, licet admodum perspicuæ sint et ante oculos positæ, tunc tamen manifestius elucent quoties in nosmetipsos descendentes, mente in se collecta et quasi congregata, causam eorum expendimus. Quocirca vitam modeste ac placide instituere debemus, nec supra naturæ nostræ conditionem animum attollere; verum id reputare, adesse semper nobis omnium actuum inspectorem Deum. Verum alia quoque ratione expendamus utrum omnium rerum ordinatio ac dispositio, fortuito ac temerario casu constitisse recte dicatur : num igitur sidera ac cœlestia corpora, terram quoque et aquam ét ignem et aërem, ventos ac temporum vicissitudinem, æstatis atque hiemis tempestivos recursus; num, inquam, hæc omnia temere ac fortuito contigisse potius quam creata fuisse credendum est? Quidam certe penitus mente capti, pleraque horum ab hominibus ad suum usum excogitata esse dicunt. Certe cum natura plurimas opes copiose suppeditet, concedamus, si placet, in rebus terrenis et corruptioni obnoxiis hanc sententiam ratione non carere : quid res immortales atque immutabiles? suntne hominum inventa? Istorum enim et aliorum ejusmodi omnium, quæ a nostris sensibus semota sola intelligentia comprehendi possunt, non homo animal materia concretum, sed intelligibilis et

æterna Dei substantia procreatrix est. Quinetiam ordinationis illius ratio opus est Providentiæ; quod dies solis radiis illustratus resplendet, et eodem occidente succedit nox; cumque successerit, non prorsus obscura relinquitur, ob astrorum chorum. Jam quid dicemus de luna? quæ cum a sole plurimum recesserit, ex adverso ipsi opposita, pleno orbe completur; minuitur vero, quoties propius ei conjungitur. An non hæc intelligentiam Dei solertiamque declarant? Adhæc solis opportunus calor qui maturitatem fructibus confert, ventorum flatus qui ad anni temperiem plurimum valent, imbrium refrigeratio, et admirabilis concentus quo hæc omnia certa lege ac ratione gubernantur; denique ordo ille perpetuus planetarum, statis temporibus ad eumdem locum recurrentium, numquid non manifeste testantur jussionem Dei, et perfectum obsequium astrorum, legi divinæ obtemperantium? Præterea montium supercilia, et vallium concavi recessus, et camporum late patentium æquabilis planities, utrum absque Dei providentia existere videntur? Quarum rerum non aspectus modo pergratus est, sed etiam usus longe jucundissimus. Jam aquarum ac terræ spatia atque dissidia, partim ad agriculturam idonea, partim ad ea quibus caremus ex peregrinis regionibus subvehenda, nonne accuratam et exactam divini Numinis providentiam apertissime demonstrant? Montes enim aquam in se continent : quam ubi subjecta planities excepit, ejusque irrigatione agros abunde recreavit, id quod residuum est effudit in mare; mare vero transmittit Oceano. Et audemus adhuc nihilominus affirmare, hæc omnia casu ac temere fieri; cum tamen nullomodo designemus qua specie aut forma præditus sit casus, res quæ nec intelligentia nec sensu subsistit, sed solum est inanis sonus nominis sine re, auribus nostris circumstrepens.

## CAPUT VII.

*Quod in rebus quas intelligentia assequi non possumus, Creatoris sapientiam prædicare debemus, nec casum aut aliam præter Deum causam existimare.*

Est enim revera casus, vox ficta ab hominibus nulla ratione ac prudentia præditis, sed cui cum causam ipsam intelligentia assequi nequeant, præ mentis suæ imbecillitate existimant hæc omnia quorum rationem afferre non valent, absque ulla ratione esse disposita. Sunt certe quædam admirabili natura prædita, quorum certa veritatis comprehensio in obscuro latet; cujusmodi sunt aquæ suapte natura calidæ. Nam causam quidem tanti ignis nemo facile dixerit : est autem mirabile ignem illum aqua frigida undique circumseptum, suum tamen nativum calorem nequaquam amittere. Atque hæc rara admodum et paucissima in toto terrarum orbe reperiuntur; quo scilicet, ut equidem censeo, divinæ Providentiæ vis ac virtus ab hominibus facile cognosci possit : quæ duas res maxime inter se contrarias, frigus nimirum et calorem, ex una eademque radice manare præcepit. Sunt quidem multa ac prope innumerabilia, quæ Deus ad solatium et oblectationem hominibus donavit; sed præcipue oleæ fructus ac vitis : quarum hæc ad animos recreandos atque exhilarandos vim habet; illa vero non solum ad voluptatem, verumetiam ad corporum curationem apta est. Summam quoque admirationem meretur continuus ác perennis fluminum cursus, diu noctuque perlabentium, et perpetuæ æternæque vitæ quamdam referentium similitudinem. Noctis item ac diei continua vicissitudo est perinde mirabilis.

## CAPUT VIII.

*Quod quæ ad usum necessaria sunt, Deus copiose suppeditat hominibus; quæ vero ad voluptatem faciunt, modice subministrat: utrumque ad utilitatem nostram dispensans.*

Atque hæc omnia dicta sint a nobis, ut constet nihil absque ratione et intelligentia factum fuisse; ipsam vero rationem ac providentiam, Dei opus esse. Qui quidem auri etiam et argenti ærisque ac reliquorum metallorum diversas species convenienti modo ac mensura produxit : ea siquidem quorum multiplex ac varius usus erat futurus, copiose suppeditari jussit; quæ vero ad oblectationem duntaxat et luxum faciunt, liberaliter simul ac modice, et medio quodam modo inter parcimoniam et profusam largitionem. Nam si earum rerum quæ ad ornatum factæ sunt eadem copia concessa fuisset, metallarii, præ nimia cupiditate, ea quidem quæ ad agriculturam et ad domorum ac navium constructionem utilia sunt, æs videlicet ac ferrum, congerere insuper haberent; ea vero quæ ad delicias et inanem ac superfluum divitiarum luxum pertinent, omni studio consectarentur. Ac propterea in auri argentique metallis inveniendis longe plus difficultatis ac laboris esse aiunt, quam in reliquis omnibus; ut vehementissimæ cupiditati labor quoque vehementissimus objiciatur. Quot insuper alia divinæ providentiæ opera licet enumerare, quæ in omnibus rebus quas nobis copiose largita est, vitam hominum ad modestiam cæterasque virtutes manifeste impellit, et ab importunis cupiditatibus abducit! Quarum omnium rerum rationem investigare, majus quiddam est quam quod ab homine perfici possit : quo enim modo veritatem accurate assequi valeat caduci atque infirmi animalis intel-

ligentia? quo pacto Dei ab initio voluntatem comprehendere?

## CAPUT IX.

*De philosophis, qui, cum omnia scire voluissent, opinionibus lapsi sunt; et nonnulli discrimen vitæ subierunt. Item de doctrina Platonis.*

Quamobrem ea aggredi debemus quæ fieri possint, et quæ naturæ nostræ modum non excedant. Etenim probabilitas quæ in dialogis ac disputationibus reperitur, plerosque nostrum a veritate abducere solet. Quod quidem multis contigit philosophis, dum in disserendo et in pervestiganda rerum natura ingenium exercent : nam quoties miraculorum magnitudo inquisitionem ipsorum longe transcendit, variis argumentandi modis veritatem involvunt; unde fit ut contraria sentiant, et alter alterius dogmata impugnet; idque cum sapientes videri velint. Ex quo populorum gravissimi motus, et principum acerba judicia adversus ipsos extiterunt, dum mores atque instituta majorum ab illis convelli putant : ac sæpenumero exitium ipsorum inde est consecutum. Socrates certe disserendi scientia elatus, cum rationes quæ infirmiores erant valentiores efficeret, et in contradicendo assidue luderet, tribulium ac civium suorum invidia interfectus est. Sed et Pythagoras, qui temperantiam ac silentium consectari se præ ceteris profitebatur, mendacii convictus est : quæ enim ipse olim prædicta a Prophetis acceperat dum in Ægypto versaretur, ea tanquam sibi privatim a Deo patefacta Italis prædixit. Plato denique, qui reliquos omnes morum lenitate superavit, et qui hominum mentes a sensibus ad res intelligibiles eodemque semper in statu permanentes primus abduxit, et ad sublimia oculos attollere assuefecit, primum quidem Deum

supra omnem substantiam esse docuit, recte omnino; huic alterum subjecit, et duas substantias numero distinxit, cum una sit utriusque perfectio, et secundi Dei substantia ex primo proficiscatur deo : hic enim opifex est et moderator universorum, ac proinde omnia transcendit; ille vero qui secundus ab eo est, mandatis ejus inserviens, omnium rerum constitutionem ad eum tanquam ad causam refert. Itaque, juxta accuratissimam philosophandi rationem, unus fuerit qui omnium rerum curam gerit, et qui universis consulit, Deus scilicet sermo, a quo exornata sunt cuncta : qui cum vere sit Deus, idem etiam est Filius Dei. Quod enim aliud nomen præter filii appellationem ei quispiam imponens, non simul summo scelere sese obstrinxerit? quippe ille qui est omnium pater, merito etiam sermonis sui pater existimatur. Et hactenus quidem Plato recte sensit. Verum in his quæ sequuntur multum a vero aberrasse deprehenditur, dum et plures inducit deos, et diversas singulis formas attribuit. Quod quidem majoris adhuc erroris ansam præbuit imperitis hominibus, qui ipsam quidem summi Dei providentiam nequaquam considerant, imagines vero ad hominum et animalium quorumdam similitudinem a seipsis fictas venerantur. Atque ita contigit ut excellens ingenium, atque doctrina summa omnium laude dignissima, hujusmodi erroribus permista atque involuta, minus pura sinceraque esset. Idem porro mihi videtur seipsum reprehendens, sermonem illum corrigere, dum diserte affirmat animum ratione præditum, Dei spiritum esse : cuncta enim in duo genera distribuit, intelligibile scilicet ac sensibile; quorum illud simplex atque incompositum, hoc ex corporum compage conflatum est; et illud quidem intellectu percipitur, hoc vero opinione cum sensu conjuncta comprehenditur. Itaque illud divini spiritus particeps, utpote ab omni concretione et materia segregatum,

æternum est vitamque obtinet sempiternam : illud vero quod sensibile est, cum eadem omnino ratione dissolvatur qua fuerat ante compactum, expers est sempiternæ vitæ. Sunt vero prorsus admiratione digna quæ idem postea docet, eos qui recte vixerint, id est animos bonorum ac sanctorum virorum, simul atque ex corpore discesserint, in pulcherrimis cœli regionibus consecrari. Quæ quidem non solum admiratione digna, sed etiam utilia sunt imprimis : quis enim ejus sermonibus fidem adhibens, et hujusmodi felicitatem expectans, vitam non optime instituat, et justitiam quidem ac temperantiam non consectetur, improbitatem vero aversetur? Consequenter etiam his subjunxit, improborum hominum animos Acherontis ac Pyriphlegetontis fluctibus jactatos, velut fractæ navis reliquias hac et illac ferri.

## CAPUT X.

*De iis qui non solum sacræ Scripturæ, sed etiam philosophorum dogmata respuunt; et quod vel in omnibus fides poëtis adhibenda est, vel in nullo.*

Sunt tamen nonnulli adeo mente capti atque corrupti, ut cum hæc legerint, nec curent nec timore ullo percellantur, sed, perinde ac si fabulas quasdam audirent, spernant ac derideant; ac sermonis quidem ornatum et ubertatem laudibus prosequuntur, dogmatum vero aversantur severitatem. Iidem tamen poëtarum fabulis fidem habent, et omnem Græciam atque barbariam vanis fictisque sermonibus replent : nam poëtæ quidem aiunt homines quosdam deorum filios post mortem animas judicare, eosque quasi inspectores ac censores apud inferos constituunt, judicia eorum ac severitatem celebrantes. Iidem vero poëtæ deorum pugnas et quædam inter eos belli jura commemorant : fata

quoque eorumdem canunt; et alios quidem natura acerbos, alios vero ab omni rerum humanarum cura alienos esse, quosdam etiam ex illis morosos affirmant. Quinetiam deos inducunt filiorum suorum cædem lamentantes, quippe qui non solum extraneis, sed ne suis quidem suppetias ferre possint. Sed et humanis perturbationibus obnoxios eosdem fingunt, dum prælia eorum et vulnera, gaudia item ac gemitus narrant. Hæc illi cum dicunt, videntur fide digni : cum enim divino quodam motu impulsi, versus facere aggrediantur, par est ut illis fidem adhibeamus, in iis quæ divino spiritu incitati pronuntiant. Sed et deorum ac dæmonum calamitates referunt : certe illorum calamitates omnino cum veritate consentiunt. At enim, dicet aliquis poëtis mentiri licere; id enim proprium esse poëticæ, ut audientium animos demulceat; veritatem vero esse, quoties ea quæ dicuntur non alio se habent quam quo dicuntur modo. Sit hoc proprium poëticæ, interdum veritatem abscondere; hi vero qui mentiuntur nunquam frustra et gratis id faciunt : aut enim quæstus et cupiditatis causa mentiuntur, aut cujuspiam crimini sibi conscii, metu periculi quod leges ipsis intentant, veritatem obtegunt. Atqui facile poterant, meo quidem judicio, nihil de divina natura præter veritatem dicentes, ab impio mendacio abstinere.

## CAPUT XI.

*De corporali Domini adventu, qualis et cur fuerit.*

Porro quisquis optima vivendi ratione ac disciplina indignus est, sibique ipse conscius vitæ male et nequiter transactæ; is tandem resipiscat, et perpurgata mentis acie ad divinum respiciat Numen, pristinam vivendi rationem detestatus : contentus tamen esse debet si vel provecta jam

ætate sapientiam assequatur. At nobis nulla quidem ab hominibus profecta doctrina adjumento unquam fuit; sed quæcumque in hominum vita ac moribus laudem merentur judicio sapientum, Dei dona sunt ac munera. Cæterum adversus venenata illa tela quæ a malo dæmone fabricantur, non infirmum habeo scutum quod opponam, scientiam videlicet earum rerum quæ acceptæ sunt Deo : qua quidem ex scientia ac disciplina ea seligens quæ ad præsentem sermonem accommodata sunt, summum omnium Parentem laudare aggrediar. Tu vero devotionis nostræ proposito favens adesto, Servator omnium Christe, et sermonem de potentia tua institutum exorna, laudandi nobis modum rationemque præscribens. Nemo porro existimet auditurum se orationem eximia quadam verborum elegantia excultam : quippe compertum habeo eam orationem quæ mollis sit et ad voluptatem ac lenocinium comparata, prudentibus viris displicere; cum is qui dicit plausum potius quam modestam disserendi rationem consectatur. Quidam impii ac dementes homines aiunt Christum nostrum merito supplicio damnatum fuisse, et eum qui vitæ auctor est viventibus vita esse privatum. Ac eos quidem qui semel pietati nuntium remiserunt, nec timore ullo aut pudore scelerum suorum affici decreverunt, ita sentire minime mirandum est : illud vero omnem excedit amentiam, quod sibi ipsis persuasisse videntur Deum immortalem vim ab hominibus passum esse, non autem a sua ipsius benignitate et erga homines benevolentia. Nec animadvertunt magnitudinem animi ac patientiam nec contumelia mutari, nec conviciis de statu suo dimoveri; sed furorem eorum qui ipsam hostiliter invadunt, consilio et celsitudine animi frangere. Statuerat quidem divina clementia injustitiam e medio tollere, modestiam vero et æquitatem promovere. Ac propterea sapientissimis hominibus in unum congregatis, pul-

cherrimam atque utilissimam humano generi doctrinam instituit, ut viri boni ac beati providentiam ipsius in hujus mundi rebus administrandis æmularentur. Quo quidem bono quodnam majus dici potest, ubi Deus justitiæ leges præscribit, eosque qui discipuli ipsius esse meruerint similes efficit sibi; ut tradita ac diffusa in omnes virtute, sempiterna felicitas hominibus comparetur? Hæc est præclara victoria, hæc vera potentia, hoc opus maximum Deoque convenientissimum; omnium scilicet populorum correctio, atque ad meliorem frugem conversio. Ac nos quidem hujus triumphi gloriam cum laudibus et acclamationibus tibi, o Servator omnium, deferimus. Tu vero, improba ac detestanda blasphemia, quæ mendaciis et fama pervulgatisque sermonibus efferri et gloriari soles; tu, inquam, juvenes decipis, adolescentes et viros qui puerili quodam ingenio præditi sunt blanda persuasione in fraudem inducis, a veri Numinis cultu eos abducens, et simulacra constituens quæ adorent et quibus preces allegent; adeo ut decepti, suæ ipsorum vecordiæ mercedem recipiant : Christum enim omnium bonorum auctorem, qui et Deus est et Dei Filius, calumniantur. An non, quæso, hic Deus a modestissimis ac sapientissimis gentibus ac populis jure merito colitur? qui cum omnem potentiam nactus sit, propositi sui semper tenax, de insita sibi clementia nihil imminuit. Abite igitur, impii (id enim vobis licet, quandoquidem sceleri vestro nulla nunc pœna irrogatur); abite, inquam, ad victimarum cædes et convivia, festosque dies et compotationes : in quibus religionis specie voluptatibus et intemperantiæ indulgetis; et sacra quidem a vobis celebrari simulatis, re autem vera libidines vestras expletis. Neque enim quidquam boni nostis, ac ne primum quidem summi Dei mandatum : qui et humano generi leges vivendi præscribit, Filioque in mandatis dedit ut vitam hominum moresque formaret; quo vide-

licet hi qui recte ac modeste vixerint, alteram vitam beatam ac felicem Filii sui judicio consequantur. Exposui decretum Dei de hominum vita, idque non ignoratione aberrans ut multi, nec opinione aut conjectura ductus. Sed fortasse dixerit aliquis : Undenam hæc Filii appellatio, aut quæ ratio gignendi; siquidem unus ac solus est Deus, idemque ab omni commixtione et coïtu prorsus alienus? Sciendum vero est duplicem esse gignendi rationem, alteram ex partu quæ omnibus nota est, alteram ex causa sempiterna. Cujus quidem generationis modum ac rationem, divina favente providentia, is inter homines videt qui Deo charus fuerit : sapiens enim quivis ordinationis universi causam intelligit : porro cum nihil sit quod causam non habeat, ante omnia quæ existunt causa eorum substiterit necesse est : cum igitur mundus et cuncta quæ in mundo sunt existant, cumque eorum extet conservatio, necesse est ut ante omnia quæ sunt Servator extiterit. Adeo ut Christus ipse omnium rerum causa sit, et conservatio sit effectus : quemadmodum Pater quidem Filii causa est, Filius vero causatum. Et ipsum quidem Christum ante omnia extitisse, jam abunde probavimus : at quomodo in terras descendit et ad homines venit? Consilium quidem ipsum, sicut Prophetæ prædixerant, profectum est ex cura ac sollicitudine quam pro universis rebus gerebat : opifex enim operum suorum curam gerat necesse est. Cum vero ad terrenum corpus accessurus esset, et inter homines, necessitate sic exigente, aliquandiu moraturus, novam quamdam nascendi rationem commentus est sibi : nam absque nuptiis fuit conceptio, et castæ virginitatis puerperium, et puella Dei mater, et æternæ naturæ temporale principium, et intelligibilis substantiæ sensus, et incorporei splendoris materia. Cuncta igitur quæ tunc visa sunt, his fuere consentanea. Splendidissima columba ex arca Noë devolans, in sinum virginis descendit. Consenta-

nea item sunt reliqua, quæ illibatum illum et omni castitate puriorem, ipsaque adeo continentia præstantiorem hymenæum sunt consecuta. Mirabilis ab ipsis incunabulis sapientia Dei; et Jordanis qui aquas ad baptismum præbebat, cum reverentia illum suscipiens : adhæc regalis unctio cum omnium rerum scientia conjuncta : doctrina item ac potentia quæ res admirabiles perpetravit, et insanabiles morbos curavit : mira denique celeritas in hominum precibus exaudiendis; et generaliter tota ejus vita hominum utilitati inserviens : prædicatio vero quæ non prudentiam, sed sapientiam insinuaret; auditoribus non civiles virtutes, sed viam quæ ad intelligibilem mundum perducit, addiscentibus; ejusque naturæ quæ semper uno eodemque in statu permanet, contemplationem, et summi Patris notionem assidua exercitatione scrutantibus. Jam beneficia haudquaquam mediocria : pro cæcitate, visus; pro virium ac nervorum resolutione, firma corporis valetudo; pro morte denique, vita iterum restituta. Prætereo res ad victum necessarias in solitudine large suppeditatas, et paucissimos cibos maximæ hominum multitudini longo temporis spatio sufficientes. Hanc tibi gratiarum actionem prout possumus persolvimus, Christe, Deus ac Servator, magni Patris summa providentia, qui et a malis liberas, et doctrinam beatissimam tradis. Neque enim hæc a me dicuntur ut laudes tuas celebrem, sed ut gratias agam : nam quis unquam inter homines te pro dignitate laudaverit? Tu quippe es qui ex nihilo res creasse diceris, et lucem eis accendisse, et confusam elementorum molem ordine ac ratione distinxisse. Tuæ clementiæ hoc præcipuum munus est, quod homines bona indole præditos divinæ ac beatæ vitæ æmulatores reddidisti, ac providisti ut illi optimarum rerum mercatores effecti, sapientiam ac felicitatem suam pluribus aliis impertirent, ipsique immortalem fructum virtutis perciperent,

liberati quidem intemperantia, clementiæ vero participes; et misericordiam quidem præ oculis habentes, fidei vero promissa sperantes; verecundiam denique et omne genus virtutis amplectentes, loco injustitiæ quam prior mortalium vita moribus humanis infuderat, ut ab eo qui omnium rerum curam ac providentiam gerit excinderetur. Nullus enim alius tantorum malorum, et injustitiæ quæ illa ætate invaluerat, medicus idoneus inveniri potuisset : igitur Providentia ad terras usque perveniens, cuncta quæ per contumeliam et intemperantiam incomposita erant, nullo negotio restituit; idque non clam et occulte : sciebat enim quosdam esse homines qui virtutem ipsius ac potentiam mentis acie contemplarentur; alios vero, utpote brutis animantibus persimiles, magis sensibus inhærere. Ideo palam et aperte, ne quis sive bonus sive improbus dubitare posset, beatitudinem et admirabilem curationem omnium oculis subjecit : mortuis quidem vitam denuo restituens; eos vero qui sensibus orbati essent, pristinum usum sensuum recuperare præcipiens. Mare vero solidum reddidisse, et in media tempestate tranquillitatem oriri jussisse; ac postremo cum admiranda opera edidisset, et homines ab incredulitate ad robustissimam fidem traduxisset, in cœlum evolavisse; cujus tandem, nisi Dei et supremæ cujusdam potentiæ, opus fuit? Sed neque tempus illud quod passioni proximum fuit, admirandis illis spectaculis caruit; tunc cum noctis caligo diurnum splendorem obscurans, solem penitus abscondit. Quippe omnes ubique populos terror pervaserat, mundi exitum advenisse jam credentes, et in pristinum chaos cujusmodi ante orbem conditum fuit cuncta reditura esse. Requirebatur causa tantæ calamitatis, et quod tantum scelus adversus Dei numen ab hominibus admissum fuisset : donec Deus placida animi magnitudine contumelias impiorum despiciens, cuncta restituisset, et

consueto siderum cursu cœlum omne exornavisset. Itaque totius mundi facies, quæ luctu ac mœrore quodammodo confusa fuerat, pristinum denuo splendorem recuperavit.

## CAPUT XII.

*De his qui hoc mysterium non cognoverunt; et quod voluntaria eorum ignoratio est: et quanta bona eos maneant qui illud cognoverunt, ac præsertim eos qui in confessione mortui sunt.*

Sed dicet aliquis ex iis quibus solemne est impie loqui, Deum voluntatem hominum meliorem ac placidiorem facere potuisse. Quænam, rogo, melior via, quæ ratio efficacior ad improbos homines emendandos, quam ut Deus ipse eos coram compellaret? An non ille præsens et omnium conspectui subjectus, eos ad modestiam informavit? Quod si Dei præsentis præceptio nihil profuit, quid absentis et inauditi prodesse potuisset? Quod igitur obstaculum fuit beatissimæ illius prædicationi? Hominum feritas atque sævitia. Quoties enim ea quæ recte utiliterque præcepta sunt infenso animo excipimus, tunc mentis nostræ acies quibusdam quasi tenebris obscuratur. Quid quod voluptati illis erat præcepta negligere, et legi quæ ferebatur fastidiosas aures præbere? Nisi enim neglexissent, dignam certe audientia sua mercedem erant relaturi, non in hac tantum, verum etiam in futura vita; quæ vere vita est existimanda. Eorum enim qui præceptis Dei paruerunt merces est immortalis et æterna vita: ad quam ii demum aspirare possunt qui Deum cognoverint, et qui suam ipsorum vitam, velut perpetuum quoddam exemplar, ad imitandum proposuerint iis qui ad optimi cujusque æmulationem vitam suam formare instituerunt. Quippe idcirco doctrina sapientibus tradita est, ut quod isti præceperint, a soladibus pura mente sedulo cus-

todiatur, atque ita sincera ac firma mandati divini observatio perseveret. Ex hujusmodi enim observatione, et ex intemerata fide sinceraque erga Deum pietate, nascitur mortis contemptus. Stat ergo hujusmodi animus obnixe contra sæculi procellas, invicto divinæ virtutis robore munitus ad martyrium; cumque gravissimos terrores generose superaverit, corona donatur ab eo ipso cui testimonium constanter perhibuit. Nec tamen propterea gloriatur; novit enim Dei munus esse, quod et tormenta sustinuerit, et divina præcepta alacriter impleverit. Porro hujusmodi vitam excipit immortalis memoria et gloria sempiterna; idque jure optimo, siquidem martyris tum vita ipsa plena modestiæ ac religiosæ divinorum mandatorum observantiæ deprehenditur, tum mors plena fortitudinis ac generosæ indolis. Proinde hymni psalmique et laudes inspectori omnium Deo posthæc canuntur. Et ejusmodi quoddam gratiarum actionis sacrificium in memoriam illorum peragitur, quod ab omni sanguine et violentia vacuum est. Sed nec odor thuris requiritur, nec accensus rogus; sed purum duntaxat lumen, quantum satis sit ad eos qui Deum precantur illustrandos. Sobria quoque convivia celebrantur a multis, tum ad mendicorum, tum ad eorum qui patria et bonis exciderunt inopiam sublevandam. Quæ si quis importuna esse existimet, is contra divinam et sacrosanctam disciplinam sapere videtur.

## CAPUT XIII.

*Quod necessaria sit differentia in rebus creatis; et quod ad bonum malumque propensio ex voluntate hominum oritur : ideoque necessarium est judicium Dei.*

Quidam vero etiam in hoc Deum reprehendere juvenili audacia præsumunt. Qua de causa, inquiunt, non unam

eamdemque omnium naturam atque indolem fabricavit, sed multa diversa, adeoque contraria indole prædita nasci voluit? ex quo dissimilitudo morum ac voluntatum inter homines orta est. Satius quidem fortassis fuisset ut quod spectat ad observationem mandatorum Dei, et accuratam ejus contemplationem, et ad confirmationem fidei singulorum, omnes homines unius atque ejusdem moris fuissent : verum absurdum plane ad ridiculum est id optare, ut omnes homines iisdem sint moribus præditi; neque animadvertere aliam mundi totius, aliam earum rerum quæ in mundo sunt ordinationem esse; nec res naturales ejusdem substantiæ esse ac morales; nec corporis affectus eosdem esse cum affectibus animi. Etenim universum hunc mundum longo intervallo superat anima rationalis; tanto beatior terrenis et corruptioni obnoxiis animantibus, quanto augustior est atque divinior : necnon divinæ bonitàtis particeps hominum genus. Nec tamen omnes homines promiscue ac sine ullo discrimine participes sunt divinæ bonitatis; sed ii soli qui divinam naturam scrutati sunt, et qui hoc præcipuum vitæ institutum ac studium sibi proposuerunt, rerum divinarum cognitionem.

## CAPUT XIV.

*Quod creatura immenso spatio distat a substantia increata; et quod homo per virtutem proxime ad Deum accedit.*

Porro ea quæ orta sunt cum æternis comparare, summæ profecto dementiæ est; hæc enim neque principium habent neque finem : illa vero cum orta sint et genita, cumque existendi ac vivendi certo tempore principium acceperint, exitum quoque habeant necesse est. Ea vero quæ genita sunt, quomodo comparari unquam possint cum eo qui ipsa gigni

præcepit? nam si hæc illi æqualia sunt, præceptum quo ea gigni jussit non posset ipsi merito convenire. Sed ne cœlestia quidem jure cum illo conferantur, quemadmodum nec sensibilis mundus cum intelligibili, nec imagines cum exemplari. At confusio et permixtio omnium rerum, nonne prorsus ridicula res est? cum divinæ naturæ dignitas obtegatur, si homines ac bestiæ comparentur cum Deo. Cupiditas vero potentiæ quæ æmula sit et æqualis potentiæ divinæ, an non est hominum prorsus amentium, et a modesta ac proba vivendi ratione alienorum? Nam si quidem ad divinam beatitudinem omnino aspiramus, vitam juxta Dei mandata instituere debemus : sic enim postquam juxta legem a Deo constitutam vixerimus, fato superiores in immortalibus æternisque sedibus ævum degemus. Quippe hæc sola in homine vis est par divinæ potentiæ, sincerus ac minime fucatus Dei cultus, et conversio ad ipsum, et eorum quæ Deo accepta sunt contemplatio atque meditatio; nec in terram pronum atque abjectum esse, sed ad sublimia ac cœlestia, quoad fieri potest, mentem nostram erigere : ex hujusmodi enim studio victoria nobis paratur instar multorum bonorum. Causa igitur dissimilitudinis rerum, tum in dignitatis, tum in potentiæ distantia posita, hanc habet rationem. Cui libenter quidem acquiescunt quicumque sapiunt, et maximas gratias agunt : stulti vero ingratos sese exhibentes, debitum arrogantiæ suæ supplicium ferunt.

## CAPUT XV.

*Quæ præcepta tradiderit, et quæ miracula patraverit, et quantopere subditis profuerit Servator.*

Cæterum Dei Filius omnes homines ad virtutem cohortatur, Patris mandatorum doctorem se præbens prudenti-

bus. Nisi forte per summam imprudentiam ignoramus eum utilitatis nostræ causa, id est propter omnium felicitatem, terras peragrasse; et optimis illius temporis viris ad se convocatis, utilissimam doctrinam, velut quoddam modestæ vitæ pharmacum, tradidisse : fidem atque justitiam eos docendo, adversus infesti Dæmonis invidiam, qui rudes atque imperitos allicere ac decipere solet. Igitur ille ægros quidem invisit, infirmos vero malis quibus oppressi erant levavit. Iis etiam qui ad summam inopiam atque egestatem redacti essent, solatium præbuit. Idem modestiam ac civilitatem animi cum ratione conjunctam præcipue laudavit, jussitque ut omnem injuriam et contumeliam forti ac patienti animo ferremus, docens nos hujusmodi esse Patris sui visitationem; adeo ut qui casus omnes generose perferrent, ii semper victoriam reportarent. Hoc enim summum robur esse affirmabat, constantiam animi conjunctam cum philosophia, quæ nihil aliud est quam veritatis bonique cognitio, assuefaciens homines qui divitias bonis artibus comparatas possident, eas ut pauperibus humaniter impertiant. Dominationem vero omnino prohibet; palam denuntians se, sicut ad humiles juvandos advenit, ita et iis qui humiles despexerint gratificari destiturum. Hujusmodi igitur experimento cum subditorum sibi populorum fidem explorasset, eos non modo contemptores gravissimarum ac formidabilium rerum, sed etiam spei in ipsum ac fiduciæ genuinos discipulos effecit. Quinetiam unum ex sodalibus suis, qui iracundia vehementius exarserat, verbis objurgans repressit : invaserat tum ille districto gladio nescio quem, ut Servatori opem ferret : at Servator quiescere illum et gladium dimittere præcepit; graviter hominem objurgans, quod ipsius præsidio ac patrocinio diffidisset. Hancque diserte legem tulit, eum qui ferire alterum esset aggressus, aut qui ferientem lædere conatus fuisset, et generaliter qui-

cumque gladio uteretur, violenta morte esse periturum. Hæc est revera cœlestis sapientia, injuriam pati malle quam facere; et quoties necessitas exegerit, eo animo esse, ut damnum accipiamus potius quam inferamus. Cum enim maximum malum sit injuriam facere, non is qui patitur, sed is potius qui facit injuriam gravissimo afficitur supplicio. Ei porro qui Deo subjectus sit integrum est, nec facere injuriam nec pati; dummodo confidat patrocinio Dei, qui præsens ipsi adest, et auxilium affert, ne quis eorum qui ipsi parent ullo afficiatur incommodo. Quomodo vero ipse sibi succurrere conaretur? prælium enim futurum esset inter duos; anceps vero atque incerta victoria. Atqui nemo unquam sana mente præditus, res incertas certis anteponit. Quonam autem modo de præsentia et auxilio Dei dubitaturus sit is qui tot pericula expertus est, et qui ex omnibus semper discriminibus solo Dei nutu facillime evasit; qui per mare quod Servatoris mandato constratum erat, et transeuntibus populis solidam præbebat viam, ambulavit? Hæc enim certissima ac firmissima, ut opinor, basis est fidei; hoc fundamentum fiduciæ, cum admirabiles hasce res et incredibiles Dei providentis jussu perfici videmus. Hinc etiam fit ut cum quis in periculum calamitatis inciderit, nequaquam illum pœniteat fidei suæ; utque spem in Deo firmam atque inconcussam retineat. Qui quidem habitus ubi semel animo inhæsit, Deus in interiori cogitatione sedem habet. Hic autem cum invictus sit, animus quoque ille qui invictum in interiori cogitatione possidet, ab ingruentibus periculis nunquam vinci poterit. Præterea istud ipsum ex Dei victoria didicimus : qui omnes homines providentia sua complexus, cum ab impiis et iniquis contumeliose acceptus fuisset, nullo ex passione percepto damno, triumphum maximum et immortalem coronam devicta improbitate est assecutus; quippe qui et propositum providentiæ suæ ac bo-

nevolentiæ erga justos, ad exitum perduxerit, et impiorum injustorumque hominum crudelitatem conculcaverit.

## CAPUT XVI.

*Quod Christi adventus prædictus sit a Prophetis; et quod ad simulacrorum et urbium simulacra colentium eversionem ordinatus fuerit.*

Cæterum et passio illius jamdudum prænuntiata fuerat a Prophetis, et corporalis ejusdem nativitas. Prædictum quoque fuerat tempus ipsum Incarnationis, quo injustitiæ et intemperantiæ exorta germina, quæ justis actibus et moribus nocent, e medio tollerentur; utque universus orbis prudentiæ ac modestiæ particeps fieret, lege scilicet quæ a Servatore promulgata est in omnium fere mortalium mentibus prævalente; ac divini quidem Numinis cultu confirmato, dæmonum vero superstitione deleta. Quæ quidem superstitio non modo brutorum animalium, verum etiam humanorum corporum immolationes invexerat, et scelerata ararum piacula; quippe cum juxta leges Assyriorum et Ægyptiorum, æreis ac figlinis simulacris innocentes homines mactarentur : unde et mercedem tali religione dignam retulerunt. « Memphis, *inquit,* et Babylon vastabitur; » et utraque deserta relinquetur cum diis patriis[1]. » Atque hæc ego non auditione accepta commemoro, sed quæ ipsemet præsens vidi; miserandæ harum urbium sortis spectator factus. Jacet deserta Memphis, illa potentissimi quondam regis Pharaonis sedes, quem superbia elatum Moses jussu Dei percussit : et exercitum illius multarum et maximarum gentium victorem, armis probe instructum ac munitum, non telorum ac jaculorum missilibus, sed pura duntaxat precatione et quieta supplicatione delevit.

[1] Isaias.

## CAPUT XVII.

*De sapientia Mosis, quam Gentilium sapientes æmulati sunt; item de Daniele et de tribus pueris.*

Nullus porro beatior unquam illo populo fuit aut futurus esset, nisi mentes suas a divino Spiritu abstraxisset. Mosem vero quis est qui pro merito laudare possit? qui, cum cònfusam antea Judæorum multitudinem in certos ordines digessisset, eorumque animos obsequio et verecundia exornasset, pro servitute quidem libertatem eis reddidit, pro mœstitia vero hilaritatem; qui eorumdem animos tantopere erexit, ut ob insperatam rerum suarum in melius mutationem, et ob prosperos successus atque victorias, fastu quodam et insolentia efferrentur; qui reliquos omnes qui ipsum ætate præcesserant, sapientia usque adeo superavit, ut qui a Gentilibus plurimum celebrantur seu sapientes seu philosophi, sapientiæ illius æmulatores extiterint: Pythagoras certe sapientiam ejus æmulatus, modestiæ causa tantopere celebratus est, ut Plato, vir modestissimus, abstinentiam illius velut exemplum sibi ad imitandum proponeret. Daniel quoque, is qui futura prædixit et qui summæ cujusdam magnitudinis animi specimen edidit, morumque et totius vitæ sanctitate excelluit, qualem et quam asperam tyranni illius qui tum in Syria dominabatur, sævitiam superavit? Nomen huic erat Nabuchodonosor; cujus stirpe omni funditus deleta, ingens illa et formidabilis potentia ad Persas translata est. Erant in ore omnium, sicut in hunc usque diem multis hominum sermonibus celebrantur, opes regis illius; et circa illicitam religionem importuna sedulitas, et ad fabricanda deorum simulacra ingens copia cujusque generis metallorum; templorum item culmina cœ-

lum ipsum, ut ita dicam, contingentia; formidabiles denique religionis leges, et ad sævitiam comparatæ. Verum hæc omnia ob sinceram in Deum pietatem Daniel contemnens, importunum illud tyranni studium gravissimi cujusdam mali causam fore prædixit. Nec tamen tyranno persuasit: opum quippe affluentia maximo impedimento est ad recte sentiendum. Tandem vero mentis suæ feritatem rex declaravit, justum atque insontem feris bestiis laniandum objici jubens. Fratrum item illorum in martyrio subeundo consensio, generosa fuit imprimis: quos posteri deinceps imitati, ingentem gloriam ob fidem erga Servatorem retulerunt. Qui ab igne et fornace cæterisque cruciatibus ad consumenda ipsorum corpora comparatis nullatenus læsi, inclusas undique in fornace flammas, castorum corporum objectu contactuque propulerunt. Porro Assyriorum imperio Dei ultione et fulminum jactibus exciso, Daniel divina providentia ad Cambysem Persarum regem se contulit. Hic vero etiam illum vexavit invidia, et exitiales magorum insidiæ, et multorum maximorumque discriminum continua successio. Quibus omnibus, adjuvante Christi providentia, facillime liberatus, in omni genere virtutis spectatus enituit: nam cum ter quotidie preces ad Deum funderet, magnaque et insolita memorabilium operum miracula ederet, magi, invidia adducti, hanc precum efficaciam calumniari cœperunt; tantam vim hominis admodum periculosam esse, regis auribus insusurrantes: eique tandem persuaserunt ut vir ille, qui tot ac tantorum bonorum reipublicæ Persarum auctor fuisset, immanibus leonibus devorandus objiceretur. Damnatus igitur Daniel, non periturus, sed ad sempiternam gloriam, in foveam conjectus est: cumque in medio ferarum versaretur, leniores eas ac mansuetiores ipsis a quibus fuerat in foveam contrusus, expertus est; omnes enim illas bestias, licet suapte natura rabidas, precatio mo-

destiæ ac temperantiæ auxilium ferens, mansuefecit. Quæ cum accepisset Cambyses (neque enim fieri poterat ut tam stupenda divinæ potentiæ miracula occultarentur), rerum quæ nuntiatæ fuerant admiratione perculsus est; subiitque eum pœnitentia quod magorum calumniis adeo faciles aures præbuisset. Nihilominus tamen ipse ejus rei spectator esse voluit : cumque Danielem quidem vidisset sublatis in altum manibus Christum laudantem, leones vero submissos et hominis vestigia quodammodo adorantes, confestim magos qui ipsi illud persuaserant, leonibus objici jussit. At bestiæ quæ paulo ante Danielem palpaverant, statim in magos impetum fecerunt, omnesque eos pro naturæ suæ feritate discerpserunt.

## CAPUT XVIII.

*De Sibylla Erythræa, quæ in acrostichide carminum quibus vaticinata est, Dominum et passionem designat. Est autem acrostichis hæc :* Jesus Christus, Dei Filius, Servator, Crux.

Libet etiam aliud testimonium de Christi divinitate ab extraneis desumptum commemorare. Sic enim ii qui probris illum ac maledictis incessere solent, illum Deum Deique Filium esse cognoscent, si quidem suorum sermonibus fidem velint adhibere. Sibylla igitur Erythræa, quæ sexta post diluvium ætate se vixisse dicit, sacerdos fuit Apollinis : quæ coronam capite gestans non secus ac deus ille quem colebat, et tripodem cui serpens circumvolutus erat custodiens, oracula edebat interrogantibus : a stultis parentibus huic cultui mancipata, ex quo nihil honestum ac probum, sed furor pudoris expers ingeneratur. Cujusmodi sunt ea quæ de Daphne memorantur. Hæc igitur cum aliquando in adyta importunæ superstitionis irrupisset, di-

vino plane spiritu impulsa, cuncta quæ eventura erant de Deo vaticinari versibus cœpit; primis versuum elementis (quod genus acrostichis vocatur) historiam adventus Jesu Christi apertissime declarans. Est autem acrostichis ejusmodi Jesus Christus, Dei Filius, Servator, Crux. Versus autem hi sunt.

Iudicii signum tellus sudore madescet.
E cœlo tunc Rex veniet per sæcla futurus,
Scilicet ut totum præsens dijudicet orbem.
Visurique Deum infidi sunt atque fideles,
Sublimem in carne humana, sanctaque caterva
Cinctum, completo qui tempore judicet omnes.
Horrida tunc tellus dumis silvescet acutis.
Rejicient simulacra homines aurique metalla.
Inferni portas facto simul impete rumpent
Squallentes manes, et pura luce fruentur.
Tetros atque bonos index tum flamma probabit.
Voce latens facinus quod gessit quisque loquetur,
Subdolaque humani pandentur pectoris antra.
Dentum stridor erit, gemitusque et luctus ubique.
Et sol astrorumque choros percurrere cœlum
Insimul absistent : lunæ quoque flamma peribit.
Fundo cernentur valles consurgere ab imo.
In terris nihil excelsum spectare licebit.
Lataque planities montes æquabit; et æquor
Intactum rate stabit, adustaque fulmine tellus.
Una deficiet flagrans cum fontibus amnis.
Stridula de cœlo fundet tuba flebile carmen,
Supremum exitium lamentans, fataque mundi.
Et subito stygium chaos apparebit hiatu :
Reges divinum stabunt cuncti ante tribunal.
Vndaque sulphureæ descendet ab æthere flammæ.
Ac cuncti in terris homines mirabile signum
Tunc cernent oculis, sanctis optabile signum.
Omnibus id justis vitæ est melioris origo :
Rursus vesani dolor atque offensio mundi,

Collustrans undis bisseno in fonte fideles.
Regnabit late pascentis ferrea virga.
Unus et æternus Deus, hic Servator et idem
Xhristus, pro nobis passus, quem carmina signant.

Et hæc quidem divino, ut credibile est, afflatu a virgine prædicta sunt. Ego vero illam eo nomine beatam judico, quod Deus vatem illam ac nuntiam suæ erga nos providentiæ delegit.

## CAPUT XIX.

*Quod hæc de Christo vaticinatio a nemine Christianorum conficta est, sed ab Erythræa Sibylla conscripta; cujus libros Cicero ante adventum Christi latinis versibus reddidit : et quod Virgilius ejus mentionem facit, simulque partus Virginei; obscure celebrans mysterium metu potentiorum.*

Multi tamen huic prædictioni fidem derogant, quamvis Sibyllam Erythræam revera vatem fuisse fateantur. Suspicantur autem a quodam ex nostræ religionis hominibus, poëticæ artis non ignaro, eos versus esse confictos, et falso ac supposititio titulo Sibyllæ ascribi; cum sententias contineant vitæ humanæ admodum utiles, quibus et voluptatum effrænata licentia comprimitur, et via sternitur ad modestiam ac temperantiam. Sed veritas ipsa in propatulo est omnibus; cum hominum nostrorum diligentia temporum seriem adeo accurate collegerit, ut jam nemo suspicari possit post adventum et condemnationem Christi carmen illud esse compositum, falsoque divulgari, quasi Sybylla hos versus diu ante vaticinando profuderit. Quippe inter omnes constat Ciceronem, cum hoc carmen legisset, latino sermone illud interpretatum esse, ac suis operibus inseruisse : hunc postea Antonius summa rerum potitus interfecit : Antonius vero posthæc superatus est ab Augusto,

qui sex et quinquaginta annis imperium obtinuit : huic deinde successit Tiberius; quo tempore Servatoris adventus orbi illuxit, et sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit, et nova quædam populi fœtura ac successio instituta est, de qua princeps Latinorum poëtarum sensisse mihi videtur cum dicit :

> Jam nova progenies cœlo demittitur alto [1].

Et rursus in alio Bucolicorum loco :

> Sicelides Musæ, paulo majora canamus [2].

Quid hoc apertius ? Addit enim :

> Ultima Cumæi venit jam carminis ætas [3];

Cumæam scilicet Sibyllam intelligens. Nec his contentus, ulterius progressus est; quasi necessitas ipsa testimonium ejus requireret. Quid igitur dicit :

> Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo :
> Jam redit et virgo; redeunt Saturnia regna [4].

Quænam ergo est virgo illa quæ redit ? nonne illa quæ plena et gravida fuit Spiritu sancto ? Quid autem obstat quominus ea quæ Spiritu divino prægnans est, puella semper et virgo permaneat ? Redibit etiam obtabilis Rex, et orbem terrarum adventu suo sublevabit. Sic enim addit poëta :

> Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
> Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
> Casta fave, Lucina [5].
> Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
> Irrita perpetua solvent formidine terras [6].

Quæ quidem aperte simul et obscure per allegoriam dicta esse intelligimus : nam iis quidem qui versuum vim ac sententiam altius scrutantur, divinitatem Christi oculis quodammodo subjiciunt. Ne vero quisquam ex regiæ urbis pri-

[1] Virg. Bucol. Eclog. IV, 7. — [2] Ibid. 1. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5, 6.
[5] Ibid. 8, 10. — [6] Ibid. 13, 14.

moribus poëtam criminari posset quod contra patrias leges scribere esset ausus, et traditas olim a majoribus de diis opiniones everteret, veritatem de industria occultat; norat enim, ut equidem censeo, beatum et salutare Servatoris nostri mysterium : itaque ut immanem hominum crudelitatem evitaret, audientium animos ad inolitam ipsis consuetudinem deduxit, aitque recens nato altaria ac templa esse extruenda, et sacra facienda. Cætera quoque consentanea subjunxit, in gratiam eorum qui ita sentirent; ait enim :

## CAPUT XX.

*Alii versus Virgilii Maronis de Christo, eorumque interpretatio : in quibus ostenditur obscure, ut poëtis moris est, indicatum esse mysterium.*

Ille deum vitam accipiet, divisque videbit
Permistos heroas, et ipse videbitur illis[1] :

justis scilicet.

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, Puer, nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho[2].

Vir porro admirabilis et omni doctrinæ genere excultus, cum cognitam haberet illorum temporum crudelitatem, hæc addidit :

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera; nec magnos metuent armenta leones[3].

Vera utique dicens; neque enim palatii proceres formidatura erat fides.

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni

[1] Virgil. Bucol. Eclog. IV, 15, 16. — [2] Ibid. 17, 20. — [3] Ibid. 21, 22.

Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum[1].

Quibus nihil verius, nihil Servatoris virtuti convenientius dici potest : ipsa enim Dei cunabula divini Spiritus vis tanquam flagrantissimos quosdam flores novellæ obtulit genti. Occidit vero serpens, et venenum serpentis sublatum est; ejus scilicet serpentis qui primos homines in fraudem primus induxit, eorumque animos ab innata temperantia ad voluptatum traduxit illecebras : ut malum quod ipsorum capitibus incumbebat, minime intelligerent. Etenim ante Servatoris nostri in terras adventum, serpens ille mentes hominum ignoratione immortalis justorum vitæ obcæcatas, ac nulla bonorum spe fultas subverterat : post passionem vero Domini nostri, cum corpus illud quod acceperat, a sanctissimæ animæ societate aliquanto tempore divulsum fuisset, patefacta est hominibus resurrectionis fides; et si quæ labes humanorum scelerum remanserat, sacrosancto lavacro penitus abstersa est. Tunc demum subditos suos bono animo Christus esse jubet, et ex veneranda et illustri sua resurrectione, similia sperare. Jure ergo dictum est occidisse omnium venenatorum genus. Occidit etiam mors ipsa, et resurrectio confirmata est. Occidit quoque Assyriorum genus, qui fidei in Deum principes atque auctores extiterant. Amomum vero ubique nasciturum cum dicit, multitudinem Christianorum sic appellat : quæ, non secus ac innumerabiles rami amœnissimis floribus ornati, et modico rore irrigati, ex una radice pullulat. Docte igitur hæc a te dicta sunt, o Maro, poëtarum sapientissime. Sed et reliqua cum his consentiunt.

At simul heroüm laudes, et facta Parentis
Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus[2].

Per laudes heroüm intelligit opera justorum virorum; per

[1] Virgil. Bucol. Eclog. IV, 23, 25. — [2] Ibid. 26, 27.

Parentis virtutes, constitutionem mundi, et mansuram perpetuo constructionem. Fortasse etiam intelligit leges quibus Deo amabilis Ecclesia utitur; ex justitiæ ac temperantiæ præceptis vitam instituens. Admiratione quoque digna est vitæ hominum inter bonos malosque medio quodam gradu consistentium ad sublimiora promotio, cum tamen ejusmodi vita repentinam mutationem non admittat.

Molli paulatim flavescet campus arista[1].

Id est, fructus divinæ legis ad hominum utilitatem producetur.

Incultisque rubens pendebit sentibus uva[2].

Quæ quidem in injusta ac depravata hominum vita minime cernebantur.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella[3].

Hominum illius temporis stuporem ac duritiem mentis designat : ac fortasse etiam innuit eos qui Dei causa labores pertulerint, tolerantiæ suæ suavem fructum esse percepturos.

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis :
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas : erunt etiam altera bella :
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles[4].

Recte, vates sapientissime; poëticam quippe licentiam quo usque decebat provexisti. Neque enim tibi propositum erat oracula fundere, cum propheta non esses. Obstabat etiam, credo, præsens periculum, quod eorum capitibus qui institutas a majoribus cæremonias confutare vellent imminebat. Provide itaque et tuto, quantum fieri poterat, veritatem exponens intelligentibus, dum causam confert in turres

[1] Virgil. Bucol. Eclog. IV, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Ib. 30. — [4] Ib 31, 36.

ac bella, quæ in hominum vita etiamnum cernuntur, describit Servatorem ad Trojanum bellum proficiscentem. Per Trojam vero, orbem universum intelligit. Christus enim adversus oppositas nequissimorum dæmonum acies bellum gessit, partim providentiæ suæ arbitrio, partim summi Patris mandato in terras missus. Sed quid postea idem poëta dicit?

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas[1];

id est, postquam virilem ætatem ingressus, cuncta quæ humanam vitam infestant mala sustuleris, et universum orbem terrarum pacis legibus composueris,

Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces : omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Nec varios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Aggredere o magnos, aderit jam tempus, honores,
Chara Deum soboles, magnum Jovis incrementum.
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.
Aspice, venturo lætentur ut omnia sæclo.
O mihi tam longe maneat pars ultima vitæ,
Spiritus, et quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis atque huic pater adsit.
Pan etiam Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum[2].

Aspice, inquit, nutantis mundi et omnium elementorum lætitiam.

[1] Virg. Bucol. Eclog. IV, 37. — [2] Ibid. 38, 59.

# CAPUT XXI.

*Quod de nudo ac simplici homine dici hæc non possunt, et quod infideles ob divini cultus ignorantiam, ne ortus quidem sui causam norunt.*

Hæc fortasse aliquis ex numero eorum qui prudentia minus valent, de hominis ortu dici existimaverit. Verum quæ ratio est ut hominis filio in lucem edito, nec aratrum ac sementem tellus, nec vitis falcem et reliquam culturam desideret? quomodo hæc de hominis prole dicta esse intelligantur? Est enim natura divinæ voluntatis ministra, non humanis famulans jussionibus. Adde quod omnium elementorum lætitia adventum Dei, non hominis cujuspiam conceptum designat. Jam vero quod poëta vitam sibi diutius prorogari optat, id plane argumentum est Deum invocantis : vitam enim et salutem nobis ab Deo postulare, non ab homine solemus. Et Erythræa quidem Sibylla Deum sic affatur. Cur mihi, inquit, Domine, vaticinandi necessitatem imponis, ac non potius sublimem raptam e terra, ad diem usque beatissimi adventus tui servas? Virgilius vero post versus quos supra retulimus, hæc subjungit.

Incipe, parve Puer, risu cognoscere matrem.
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve Puer : cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est[1].

Quomodo enim parentes ei arrisissent? Etenim pater illius Deus expers qualitatis vis est. Et figura quidem ipse omni caret, in aliorum tamen circumscriptione existit; nec humano præditus est corpore. Tori quoque expertem esse Spiritum divinum quis ignorat? quod enim desiderium, quæ

[1] Virgil. Bucol. Eclog. IV, 60, 63.

cupiditas inesse posset in affectu summi boni, cujus desiderio reliqua omnia dicuntur? quid omnino sapientiæ potest esse commune cum voluptate? Verum sic loqui liceat illis qui humanam quamdam Christi generationem sibi fingunt, neque operam dant ut animum suum ab omni impio facinore ac sermone integrum servent. Te hic, pietas, appello; tuum subsidium ad ea quæ dicuntur imploro, quæ nihil aliud es quam lex castimoniæ et sanctitatis, omnium bonorum maxime optabile, sanctissimæ spei magistra, immortalitatis certa promissio. Te veneror, o pietas atque clementia : tibi pro beneficio curationis tuæ qua opus habebamus, gratias debemus. At vulgus hominum tui auxilii expers, præ insito quo adversus te flagrat odio, Deum ipsum aversatur; nec intelligit suæ ipsius ac reliquorum impiorum vitæ causam, ex divini Numinis cultu atque obsequio pendere : totus enim mundus et quæcumque in mundo continentur, illius est possessio.

## CAPUT XXII.

*Gratiarum actio Imperatoris, qua victorias et reliqua bona sua Christo accepta fert; et confutatio Maximini tyranni, qui persecutionis crudelitate Christianæ religionis gloriam auxerat.*

Equidem meam felicitatem meaque omnia pietati accepta refero. Testes sunt rerum eventus qui ex voto mihi responderunt; testes sunt pugnæ atque victoriæ, et tropæa de hostibus parta. Scit, et laudibus ea celebrat urbs Roma : idem sentit populus urbis mihi charissimæ, licet falsa spe deceptus indignum sua majestate principem elegerit, qui mox convenientem sceleribus suis exitum sortitus est. Verum ea nunc commemorare nefas esse arbitror, mihi præsertim qui te, pietas, alloquor, et qui curam omnem ac diligentiam adhibeo ut te castis sermonibus bonisque verbis

compellem. Dicam tamen aliquid quod nec turpe nec indecorum videbitur. Bellum inexpiabile, plenum amentiæ et inauditæ crudelitatis, adversus te, pietas, et adversus omnes sanctissimas ecclesias tuas a tyrannis gerebatur; nec deerant in urbe Roma, qui tantis malis et plublica calamitate lætarentur : erat et campus ad prælium constitutus. Tum vero tu in medium progressa, temetipsam ultro tradidisti, fide in Deum fulta atque innixa. At crudelitas hominum impiorum, cum instar flammæ obvia quæque depasta esset, admirabilem quamdam et celeberrimam tibi gloriam conciliavit : hinc enim stupor ac veneratio tui spectatores ipsos invasit. Ac tortores quidem ac carnifices, in cruciandis piorum corporibus defessos, et ad inopiam consilii redactos cernere licebat; vincula autem resoluta, laxatos equuleos, et restinctas quæ admovebantur flammas; contra vero invictam constantiam ac libertatem piorum, qui ne tantulum quidem de gradu suo dimovebantur. Talia igitur aggressus quid profecisti, omnium hominum impiissime? quæ malum causa fuit furoris tui? Dices fortasse in honorem deorum hæc a te gesta : at quorum deorum? aut quam notionem divina dignam natura animo concepisti? Deosne perinde atque te iracundos esse existimabas? Quod si tales erant, eorum potius consilium mirari oportebat, quam impudentibus mandatis quibus justos viros injuste trucidari jubebant, obtemperare. Sed forte dices te ob instituta majorum, et propter hominum opinionem ista gessisse. Ignosco : sunt enim instituta illa his quæ a te geruntur simillima, et ex unius ejusdemque imperitiæ fonte manantia. Existimasti forsan eximiam quamdam inesse vim atque virtutem in simulacris a fabris et artificibus humana effigie formatis : idcirco igitur ea colebas, summam adhibens curam ac sollicitudinem ne sordibus inquinarentur. Magni scilicet ac præcipui dii hominum cura indigent!

## CAPUT XXIII.

*De Christianorum institutis; et quod Deus diligit eos qui virtutem sectantur; et quod judicium ac retributionem sperare oportet.*

Confer, si placet, religionem nostram, cum tuis ritibus. Nonne apud nos quidem germana concordia et perpetua humanitas? Nonne apud nos reprehensio culpæ est ejusmodi quæ correctionem afferat, non perniciem; et curatio quæ ad salutem proficiat, non ad crudelitatem? Nonne apud nos sincera fides, primum quidem erga Deum, deinde vero erga naturalem hominum societatem? Nonne apud nos misericordia erga eos quos fortunæ calamitas oppresserit? Nonne vita simplex, nullo simulationis fuco occultam tegens improbitatem; et veri atque unius Dei cuncta moderantis cognitio? Hæc est vera pietas, hæc integra atque incorrupta religio : hæc sapientissima vivendi ratio; quam qui amplexi sunt, tanquam angusta quadam via ad æternam vitam tendunt. Nemo enim qui hujusmodi vivendi rationem inierit, et qui animum habeat ab omni corporis labe purgatum, moritur omnino; sed functionem sibi a Deo indictam implere, potius quam mori, dicendus est. Is namque qui Deum confessus est, nec contumeliæ cedit nec iracundiæ; sed forti animo necessitatem sustinens, tolerantiæ suæ experimentum velut viaticum quoddam habet ad conciliandam sibi divini Numinis clementiam. Neque enim dubium est quin Deus homines virtute præditos amplectatur; quippe absurdissimum esset, tam præpotentes quam inferioris loci homines, adversus eos a quibus observantur aut beneficiis afficiuntur, grato animo esse, et vicissim illos beneficiis afficere; eum vero qui omnium summus sit, et qui omnibus imperet, ipsumque sit summum bonum,

negligentem in referenda gratia esse. Qui in omni vita nos ubique comitatur, et qui præsto nobis adest, quotiescumque boni aliquid agimus. Et illico quidem fortitudinis et obedientiæ causa nos collaudans remuneratur; plenam tamen ac perfectam solutionem in aliud tempus differt. Tunc enim totius vitæ nostræ summa ad calculos revocabitur : ac si quidem cuncta recte se habuerint, æternæ vitæ merces sequetur; improbi vero debito supplicio afficiendi sunt.

## CAPUT XXIV.

*De Decii, Valeriani et Aureliani calamitoso vitæ exitu ob persecutionem Ecclesiarum.*

Te nunc interrogo, Deci, qui justorum laboribus olim insultabas, qui Ecclesiam odio prosequebaris, qui viros summa vitæ sanctitate præditos supplicio affecisti : quid rerum nunc agis post hanc vitam? quantis et quam difficilibus ærumnis premeris! Tuam certe infelicitatem satis superque declaravit illud temporis spatium quod inter vitam ac mortem tuam intercessit, cum tu in campis Scythicis una cum omni exercitu prostratus, imperium Romanum tantopere ubique celebratum, Gothorum contemptui ac ludibrio exposuisti. Tu quoque, Valeriane, cum eamdem crudelitatem in famulos Dei declarasses, justum Dei judicium omnium oculis subjecisti, captus ab hostibus et in vinculis circumductus cum chlamyde purpurea et reliquo imperiali cultu; tandem vero a Sapore Persarum rege detracta tibi cute condiri jussus, sempiternum calamitatis tuæ tropæum spectandum præbuisti. Tu item, Aureliane, fax omnium vitiorum; quam præsenti et perspicua divini Numinis vindicta, dum furore percitus Thraciam percurreres,

in medio viæ publicæ cæsus, sulcos aggeris publici impio sanguine complevisti!

## CAPUT XXV.

*De Diocletiano, qui turpiter Imperio se abdicavit, et qui ob Ecclesiarum persecutionem fulmine perculsus est.*

Diocletianus vero post cruentam persecutionis sævitiam, suametipse sententia damnatus, ob vitium insaniæ vili quodam clausus domicilio pœnas dedit. Quid igitur illi profuit bellum Deo nostro intulisse? ut scilicet fulminis ictum assidue metuens, reliquam deinceps vitam exigeret. Testatur hæc urbs Nicomedia; nec silent hi qui rem oculis viderunt, quorum ex numero etiam ipse sum. Vastabatur palatium, et Diocletiani ipsius conclave, fulmine ac cœlesti quodam incendio illud depascente. Ac eventus quidem earum rerum a prudentibus viris prædictus fuerat: neque enim tacere poterant, nec gemitum suum in tanta rerum indignitate occultabant; sed palam et aperte ipsi inter se summa cum libertate hos sermones jactabant: Quis hic furor? quæ tanta potentiæ insolentia, ut homines Deo bellum inferre audeant, et sanctissimam justissimamque religionem contumelia afficere; utque tantæ multitudinis, adeoque hominum æquissimorum, sine ulla ipsorum culpa, cædem atque exitium machinari non dubitent? O præclarum magistrum modestiæ omnium subditorum! o præclarum institutorem curæ ac sollicitudinis quam milites pro civibus suis gerant! pectora tribulium suorum perfodiebant hi, qui nunquam in acie terga hostium viderant. Tandem vero divini Numinis providentia, tam impiorum facinorum pœnas ab illis exegit; nec tamen sine damno reipublicæ. Tot porro tantæque factæ sunt cædes nostrorum,

ut si tantæ unquam factæ essent barbarorum strages, sufsecturum id fuerit ad perpetuam nobis pacem comparandam. Totus enim ille supra memorati imperatoris exercitus, cum in potestatem venisset hominis ignavi qui imperium Romanum per vim rapuerat, Deo tandem urbi Romanæ libertatem restituente, multis et maximis præliis penitus extinctus est. Sed et voces Deum adjutorem inclamantium tunc cum opprimerentur, et innatam sibi libertatem omnibus votis optarent; laudes item post malorum depulsionem, cum gratiarum actione Deo persolutæ, cum libertas et contractuum æquitas ipsis reddita esset; an non singularem Dei providentiam, et paternam adversus homines charitatem modis omnibus declarant?

## CAPUT XXVI.

*Quod Deus causa fuit pietatis Imperatoris; et quod eventus prosperos a Deo poscere, eique acceptos ferre debemus; secus autem gesta, negligentiæ nostræ imputare.*

Meam porro operam cum laudant, quæ ex divini Numinis instinctu sumpsit exordium, an non aperte confirmant fortium facinorum meorum Deum auctorem fuisse? Ita certe. Dei enim proprium est optima quæque agere; hominum vero, obsequi. Illud porro optimum ac præstantissimum ministerium est, cum quis antequam manum operi admoveat, sedulo prospicit ut cuncta quam tutissime gerantur. Norunt quidem omnes mortales, harum manuum sanctissimum ministerium Deo deberi cum pura ac sincera fide; et precibus ac supplicationibus cum manuum opera conjunctis, quidquid actum est pro hominum utilitate, feliciter esse confectum: quippe cum tantum utilitatis et privatim et publice in omnes redundaverit, quantum quisque


tum sibi tum necessariis suis optaverat. Pugnas etiam viderunt, et spectatores fuerunt prælii, cum divina providentia victoriam populo largita est; animadverterunt faventem precibus nostris atque aspirantem Deum. Quippe invicta res est justa precatio; nec unquam voto suo excidit qui sancte Deo supplicasset. Neque enim locus repulsæ relinquitur, nisi quoties vacillaverit fides. Etenim Deus semper propitius adest, hominum probitatem benigno excipiens vultu. Quamobrem interdum quidem labi humanum est; humanorum vero lapsuum nequaquam auctor est Deus. Quicumque ergo pietatem consectantur, gratias omnium Servatori, pro nostra suaque ipsorum salute, et pro reipublicæ prospero statu agere debent; sanctisque precibus et continuis supplicationibus Christum nobis propitium reddere, ut beneficia sua perpetua esse velit. Hic enim auxiliator invictus, et propugnator est justorum. Idem judex optimus, antesignanus immortalitatis, et vitæ æternæ largitor.

EUSEBII PAMPHILI

# EPISTOLÆ TRES.


(INTERPRETE A. B. CAILLAU,

EX NOTIS J. BOIVINI AD HISTORIAM BYZANTINAM GREGORÆ.)



## EPISTOLA PRIMA.

## AD CONSTANTIAM AUGUSTAM.



### ARGUMENTUM.

Cum Eusebius, muliere quadam duas imagines Christi et Pauli circumferente, illas, propter scandali metum, e publico sustulisset, Constantia ab eo petierat ut vel ipsas vel ipsarum quamdam delineationem ad se transmittere vellet. Cui ita respondet Eusebius, ut vix catholicus videatur; quod patebit ex epistola sequenti in concilio Nicæno partim allata, sed nondum integre in Latinam linguam translata. Hæc autem, Græce a J. Boivino ex selectis manuscriptis promulgata, sic Latine vertitur :

.....Quia vero de quadam imagine quasi Christi scripsisti, hanc volens ad te a nobis mitti, quam dicis et quantam illam quam perhibes Christi imaginem? non video unde in tale desiderium fueris prolapsa, ut Salvatoris nostri effigiem delineari jusseris : quam Christi figuram postulas? utrum veram et incommutabilem, et natura characteres suos præferer' m; an istam quam pro nobis suscepit, for-

mæ servilis specie circumamictus? Verbum [enim] Dei et ipse Deus, « formam servi accipiens in similitudine carnis » peccati peccatum damnavit[1], » juxta divini Apostoli effatum. Sic nos ex odio veteri et servitute diabolica pretioso sanguine redemptos in libertatem vindicavit. Duobus [ergo] illi adhærentibus formis, de forma quidem Dei nec minime te sollicitam puto, cum ab ipso didiceris quod neque « Patrem quis novit nisi Filius, neque ipsum Filium novit » quis » aliquando digne, « nisi solus » qui eum genuit « Pater[2]; »........ utique servi formam quæris, et hujus quo propter nos amictus est corpusculi. Sed et hoc gloria divinitatis sursum evocatum didicimus, et « absorptum esse » mortale a vita[3] (1). » Nec mirandum forte, si jam illud in cœlos assumptum aliud videatur, cum adhuc inter homines degens, Deus Verbum selectis [Discipulorum] quibusdam regalis sui fulgoris visum tanquam futuri pignus, super humanam naturam in monte monstraverit, ita « ut vultus » ejus sicut sol, vestimenta autem sicut lux splenduerint[4]. » Quis igitur tantæ dignitatis et gloriæ vibrantes præfulgentesque splendores mortuis et inanimatis coloribus umbraticisque lineis exarare potuisset? quandoquidem nec hoc modo visum in monte intueri sustinuerunt inclyti Discipuli, qui et in faciem ceciderunt, impares se tanto spectaculo confitentes. Si tunc ergo ejus in carne forma tanta virtute invaluit, inhabitante in se divinitate mutata, quid oportet dicere cum, mortalitate exutus, et corruptione abstersus, speciem servilis formæ suscepta Domini et Dei gloria commutavit (2); post tantam de morte victoriam, post talem ad cœlos regressum, post illam in regio throno ad dexteram Patris sessionem, post hanc denique in Patris mirabili et ineffabili gremio requiem, qua ascendenti illi restituta, cœlestes Virtutes collaudabant, dicentes : « Tollite portas,

[1] Phil. II, 7. — [2] Matth. XI, 27. — [3] 2 Cor. V, 4. — [4] Matth. XVII, 2.

» principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introi» bit Rex gloriæ[1]. » Huc ergo quasi introducta servilis forma tota omnino in ipsius lumen transmutatur, lumen quod nec dici nec narrari potest lumen quod ipsum decet Verbum Deum, lumen quod « nec oculus vidit, nec auris audi» vit, *nec* in cor hominis ascendit[2]. » Quis igitur impossibilia poterit assequi ? quomodo tam admirabilis et incomprehensibilis formæ, si jam formam appellare oportet divinam ejus spiritualemque substantiam, similitudem quis valebit exprimere, nisi infidelium populorum ritu dissimiles ab eo figuras quis velit exarare, sicut pictor ab exemplari in pingendo dissentiens. Et illi quidem, cum idola faciant, sive cujusdam ut putant dei, sive alicujus ut aiunt ex heroïbus, sive alterius quemcumque informare et delineare voluerint, nihil simile aut proximum effingendi capaces, monstruose exaratis visibilibus figuris, quasi umbratico colore depingunt. Quod justa non sint ista, omnino et tu nobiscum consentis : nisi forte non hujus transmutatæ in Deum formæ, sed mortalis istius ante transmutationem corpusculi imaginem a nobis postulari dixeris. Num te solam latet illa Scriptura qua Deus Lege prohibet « ullam facere similitudinem, sive » eorum quæ in cœlo sunt, sive eorum quæ in terra deor» sum[3] ? » num hoc aliquando in Ecclesia factum vel ipsa [vidisti] vel ab alio audisti ? nonne hæc in reliquam terram exterminata fuerunt et procul ab Ecclesiis relegata, solisque nobis non licere talia facere ab omnibus conclamatum est ?.... Nescio enim quomodo quædam mulier forsitan obvia occurrens, et duas imagines portans quasi philosophorum, verbum proferre ausa est, quasi essent Pauli et Salvatoris : unde vel illas sumpserit, vel hoc nomine vocare didicerit, explicare non valeo. Veritus ergo ne sive ipsa sive alii scandalizarentur, sublatam illam servavi apud me,

[1] Psal. xxiii, 7. — [2] 1 Cor. ii, 9. — [3] Deut. v, 8.

non bene erga alios agi ratus si talia in publicum portarentur, ne forte idololatrarum ritu Deum nostrum in imagine circumferre videremur. Paulum nos omnes docentem audio, quod minime carnalibus inniti debeamus : « Si enim, » *inquit*, Christum secundum carnem cognovimus, sed » nunc ita minime cognoscimus[1]. » Fertur Simonem magum ab impiis hæreticis adoratum fuisse super inanimata tabula depictum; vidimus et ipsi Manæ cognomen a Manichæis imagini propugnatum : nobis autem talia adimuntur. Deum igitur Dominum Salvatorem nostrum confitentes, sicut Deum intueri nos præparamus, diligenter corda nostra mundantes, ut mundati ipsum videre possimus : « Beati » enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt[2]. » Quod si hæc non sufficiant, si futuro facie ad faciem intuitu et contemplatione imagines Salvatoris nostri pluris faciatis, quem meliorem ipso Verbo Deo pictorem habebimus?

[1] 2 Cor. v, 16. — [2] Matth. v, 8.

# EPISTOLA SECUNDA.

# AD ALEXANDRUM ALEXANDRINUM.

## FRAGMENTUM.

(EX LABBÆO, CONCIL. NICÆN. II, ACT. VI.)

.......Calumniantur eos [Arium et ejus asseclas] litteræ tuæ, tanquam dicentes quia Filius ex non existentibus factus est, sicut unus ex omnibus. At illi protulerunt epistolam quam ad te fecerant, in qua fidem suam exponentes, ipsis verbis hæc confitebantur : «Legis videlicet ac Prophetarum, et novi Testamenti Deum genuisse Filium unigenitum ante tempora æterna, per quem et omnia et sæcula fecit ; genuisse autem eum non conjectura, sed veritate, ac subjecisse propriæ voluntati inconvertibilem et incommutabilem, creaturam Dei perfectam (3), sed non sicut unam ex creaturis. » Porro epistola tua calumniatur eos tanquam dicentes, Qui Filius factus est sicut unum omnium ; cum hoc non dixerint, sed clare definierint, quia non sicut unum ex creaturis. Nota ergo, si non protinus eis iterum occasio detur ad reprehendendum et detrahendum movendi quidquid voluerint. Iterum eos accusabas dixisse, Quia qui est eum qui non erat genuit. Miror autem si possit quis aliter dicere : si enim unus est qui est, profecto ex ipso factum est omne quod est cum ipso : si vero non solus ipse qui est, sed et Filius erat qui est ; quomodo eum qui erat is qui est gignebat ? taliter enim utique duo essent qui existerent.

# EPISTOLA TERTIA.

## AD EUPHRASIONEM EPISCOPUM.

### FRAGMENTUM.

(EX EODEM, IBIDEM.)

......Non enim simul cum Patre Filium fuisse fatemur ; verumtamen ipse Filius Dei, qui magis omnia liquido novit, alium se a Patre et minorem atque inferiorem sciens, admodum pie hoc etiam nos docet dicens : « Pater qui mi» sit me major me est[1]. »

Et post alia :

Nam et ipse quidem Filius Deus est, sed non verus Deus (4).

[1] Joan. XIV, 28.

# S. JACOBUS,

## NISIBENUS EPISCOPUS.



# SERMONES OCTODECIM;

CUM

## SERMONE UNICO.

# S. JACOBUS,

## NISIBENUS EPISCOPUS.

(CIRCA AN. 350.)

SYRIACUS.

S. Jacobus cognomine Nisibenus, propter nativitatis et episcopatus locum, ex anachoreta pontifex, imo et juxta Gennadium « unus ex numero sub Ma» ximino persecutore confessorum » (catal. Vir. illustr. c. I); qui juxta Nicephorum (Hist. lib. VIII, c. XIV), « propter christianam constanter obitam » confessionem stigmata et notas in carne circum» ferebat, » non modo virtutum, sed et miraculorum gratia illustris evasit. Nam cum pauperes quidam, mendacio pecuniam captantes, ab illo peterent unde pauperis alterius mortem fingentis sepulturæ consulerent, « ille annuit rogantibus, Deoque preces of» ferens tanquam pro mortuo, rogavit ut ei remit» teret quæ in vita peccarat, eumque in justorum » cœtum admitteret : quæ cum ab eo dicerentur, » evolavit illius anima qui mortem simulabat. » (Theodoret. Hist. relig. c. 1.) Illis autem pœnitentibus rogantibusque veniam, libentissime condonans, novo miraculo vitam miraculo ereptam restituit. (Id. ibid.)

An. 325 concilio Nicæno interfuit, ubi pro defensione fidei viriliter dimicavit. Cum autem an. 336

Constantinus plurimum contenderet ut *Arius in communionem Ecclesiæ admitteretur S. Alexandro Constantinopolis episcopo adjutor factus, precibus jejuniisque per septem dies cum fideli plebe communicatis, Ario subitam infamemque necem, Ecclesiæ vero nobilem triumphum obtinuit.

Sapor, Persarum rex, tribus vicibus, annis scilicet 338, 346 et 350 Nisiben obsidione cinxit; sed precibus Sancti expulsus, recedere coactus est. In ultima vero oppugnatione hæc mirabilia recensentur, quod dejectis fluminis impetu mænibus nova mænia opponere curaverit, et turrim, agente S. Ephræm, conscendens ut hostibus malediceret, nihil aliud quam muscas imprecatus, omnem Saporis virtutem infregerit.

Admirandam magnitudine basilicam, ut in S. Millii vita narratur, Nisibi construxit, « ad cujus im» pensas ille Abiadan descendens non modicam beato » Jacobo fili serici quantitatem transmisit. » (Bibl. Orient. Assemanni tom. I, p. 186.) « Moritur hic vir » Constantii temporibus, et juxta præceptum pa» tris ejus Constantini juxta muros Nisibe sepelitur, » ob custodiam videlicet civitatis : quod secundum » fidem Constantini evenit; nam post multos annos » ingressus Julianus Nisiben, et vel gloriæ sepulti in» videns, vel fidei Constantini, cujus ob id domum » persequebatur, jussit efferri de civitate sacri cor» poris reliquias; et post paucos menses, consulendæ » scilicet reipublicæ causa, Jovianus imperator tra» didit barbaris civitatem. » (Gennad. de Vir. illustr. c. I.) Hinc ad annum circiter 350 mors ejus referenda.

S. Jacobus Nisibenus a S. Hieronymo inter Ecclesiasticos scriptores non deputatur, quia nondum a

Syriaco in Græcum sermonem ejus opera fuerant translata. Versio illius Sermonum ne Gennadii quidem temporibus prodierat, qui tamen viginti sex libros nunquam Græcæ fidei redditos, sive de rebus ad pietatem pertinentibus, sive de Persarum persecutione disserentes memorat. Habentur autem 1° *nonnullæ Epistolæ;* 2° XVIII *Orationes de diversis,* in quibus S. Ephræm longe inferior deprehenditur; 3° *Sermo unicus,* quem nonnulli S. Jacobo abjudicant, licet illi tribuendus non inepte videatur. Non deerit tamen legentibus utilitas, ut infra videbitur.

1° *Epistolæ S. Jacobi* prodierunt in Biblioth. Oriental. Assemani tom. I, p. 552, 632.

2° *Orationes* XVIII in publicum emisit M. Nicolaüs Antonelli, ecclesiæ Lateranensis canonicus, Armeniace et Latine anno 1756 ex manuscripto Venetiano : cui accedit Sermo unicus.

Vide ejusdem *fragmenta* gallice versa tum apud D. de La Mennais *Doctrine chrétienne,* tom. III et IV; tum apud D. Guillon, tom. XIX, p. 461 et seqq. in-8°, Paris. 1828.

# S. PATRIS NOSTRI JACOBI,

## EPISCOPI NISIBENI,

# SERMONES.

(INTERPRETE NICOLAO ANTONELLO, BASILICÆ LATERANENSIS CANONICO.)

# EPISTOLA

## S. GREGORII NOSTRI ILLUMINATORIS

## AD S. JACOBUM, NISIBENUM.

Misi ad te, charissime, quæstiones aliquas, de quibus te consulere mihi necesse fuit; tu autem audire me ne renuas. Multa enim sunt quæ mecum animo reputans, inde motus sum ut ad te scriberem, quo mihi consilia intelligentiæ et sapientiæ tuæ aperires, consideratis iis quæ ego e Litteris sanctis percepi, ut quod mihi deest per te suppleatur, et esuries mea saturetur doctrina tua, et ardor sitis meæ refrigeretur fonte aquarum tuarum. Quamvis multa essent de quibus necessarium mihi erat ut te interrogarem, quæque apud me diligenter servantur, ut cum ad te venero me de illis edoceas ac persuadeas; ante omnia tamen mihi opus est ut scribas et instruas me de fide nostra, nempe : qualis sit, quodnam ejus fundamentum, quomodo ejus

ædificium excitetur, quibus rebus firmetur, et quibus operibus indigeat ut perficiatur. Ego vero ita credidi : quod unus sit Deus, qui a principio creavit cœlum et terram, et mundum hunc ornavit opificio suo, hominemque fecit juxta similitudinem imaginis formæ suæ. Ipse suscepit sacrificium Abel; et ipse transtulit Henoch a morte ad vitam, quia ei placuit; et ipse eripuit Noë propter ejus integritatem; et elegit Abraham propter ejus fidem; et ipse sermocinatus est cum Moyse propter ejus mansuetudinem et humilitatem; et per omnes Prophetas ipse locutus est; et ipse demum misit Jesum in hunc mundum. De omnibus hisce rebus ego ita credens precor te, frater, ut mihi rescribas, et doceas quæ opera huic fidei nostræ necessaria sint, quietumque animum meum reddas.


# S. JACOBI NISIBENI

# RESPONSIO

## AD EPISTOLAM S. GREGORII ILLUMINATORIS.

Litteras quas mihi misisti accepi, utque eas perlegi, summa lætitia affectus sum, quia mecum cogitationes tuas ad inquirendum communicasti. Quodcumque autem a me postulasti, gratis mihi datum est. Nam « qui accipiunt gra- » tis accipiunt; et qui id quod habuerit alteri ab eo petenti » negaverit, id quod ipse aliis subtrahit auferetur ab eo[1]. » Siquidem qui gratis accipit, conveniens est ut et gratis det proximo suo. Quæ autem a me sciscitatus es, sicut percepi, secundum tenuitatem meam de iis ad te scribam; quæ autem adhuc non rogasti, orationibus petam a Deo, ut deinceps possim tibi significare. Audi me, charissime, et resera mihi oculos cordis tui et cogitationes spirituales mentis tuæ, ut totum id quod tibi dicam intelligas.

[1] Matth. x, 8.






# SERMO PRIMUS.

## DE FIDE.

I. Fides multis rebus componitur et coalescit, multisque circumlita coloribus exornatur. Ædificio similis est, quia multa spe construitur ac perficitur. Non te latet quod in fundamentis ædificii ingentes lapides ponuntur, et deinde lapidibus coaptatum omne quod superædificatur, erigitur usque ad totius operis consummationem. Ita omnis fidei nostræ firmum et verum fundamentum[1] est Dominus noster Jesus Christus ; et super hanc petram stabilitur fides, et super fidem ædificium usque ad ejus consummationem : fundamentum autem idem ipse est ac principium totius ædificii. Itaque cum aliquis accessit ad fidem, ille collocatus est super firmam petram, « quæ est ipse Domi-» nus noster Jesus Christus[2]. » Ædificia vero a fluctibus non commoventur, et vehementium ventorum vi non quatiuntur, et aquarum multitudine non subvertuntur, quæ super firmam petram fundata sunt. Vocans autem Christum petram, non dixi aliquid a me ex cogitatum ; sed Prophetæ prius eum petram vocaverunt.

II. Audi nunc de ea fide quæ posita est supra firmam petram. Primum credit homo, et cum credit diligit, et cum diligit sperat, et cum sperat justificatur, et cum justificatur ædificatur, et cum ædificatur erigitur, et totum ædificium ad complementum usque et perfectionem adducitur. Et deinde homo ille fit domus, et templum, et habitaculum Christi, sicut et dixit Jeremias propheta : « Tem-

[1] 1 Cor. III, 11. — [2] Id. x, 4.

» plum Dei, templum Domini; templum vos estis Domini, » si placitas ei feceritis vias vestras et opera[1]. » Et rursus dicit Propheta : « Habitabo in eis et ibo ad eos[2]. » Et beatus Apostolus inquit : « Vos autem templum estis Dei, et » Spiritus Dei habitavit in vobis[3]. » Et Dominus noster dixit Discipulis : « Vos in me, et ego in vobis sum[4]. » Fit igitur ille domus Dei, et templum habitationis Domini.

III. Post hæc incipit homo accurare omnia quibus opus est ei qui in illius ædificio inhabitat : non secus ac si princeps aliquis aut illustris et spectabilis vir domum haberet quæ destinata esset ut rex in ea habitaret; profecto necessarium esse duceret ut omni regali apparatu omnique regis cultu instrueretur, qui honori ac regiæ dignitati conveniens esset. In ea enim domo quæ vacua est et omnibus bonis destituta, rex non inhabitat, quia oportet ut regia domus omni cultu ornata sit, nullaque res desit. Si itaque deficere aliquid inveniatur in domo in qua rex commoraturus est, morte mulctatur custos domus, quia non paravit ea quæ ad regium cultum pertinebant.

IV. Ita et homo ille, qui sit domus et templum atque habitaculum Christi, attendat quid necessarium sit ad obsequium et cultum Christi, qui habitat in eo. Primum extruat necesse est ædificium supra primam petram, hoc est, in Christo Jesu, super quam petram posita est fides : super fidem autem excitatur et erigitur ædificium. Requiruntur autem ad ædificati templi perfectionem jejunia cum sanctitate, quæ fide firmatur; opus est et oratione, quæ fide sit acceptabilis; dilectio quoque necessaria est, quæ fide quidem innititur, perficitur autem eleemosynarum largitione, quæ fide distribuuntur. Indiget præterea homo ille mansuetudine cum humilitate, et hæc fide fundantur; custodiat opus est virginitatem, et hæc fide amatur; ut asciscat

[1] Jerem. VII, 4, 5. — [2] Ezech. XLIII, 9. — [3] 1 Corinth. III, 17; VI, 19. 2 Cor. VI, 16. — [4] Joan. VI, 56; XV, 4.

sibi puritatem, et hæc fide ornatur; ut quærat sapientiam, et hæc fide invenitur; ut studeat dilectioni proximi, quæ fide augetur : necessaria est etiam bonorum operum copia, et hæc fide paratur. Ad hæc, oportet ut amplectatur patientiam, quæ fide perficitur; amet pacem, quæ fide innotescit; quærat concordiam, quæ fide connectitur; curet modestiam, quæ fide servatur. Hæc omnia requiruntur a fide, quæ posita est supra firmam ac stabilem petram, quæ est idem ipse Jesus Christus; et talia opera conveniunt regi Christo, qui habitat in hominibus qui ex hisce operibus ædificantur.

V. Forte tecum ipse dicis : Si Christus fundamentum est, quomodo in ædificio quod super eo extructum est ipse habitare potest? Sed hæc duo nobis manifestat Apostolus, dicens : « Ego ut sapiens architectus fundamentum po- » sui[1]. » Et ibi explicat quodnam sit illud fundamentum, inquiens : « Fundamentutum aliud nemo potest ponere, » præter id quod positum est, quod est Christus Jesus[2]. » Quod vero Christus habitet in hujusmodi ædificio juxta ea quæ paulo supra a me scripta sunt, idem Apostolus cum Jeremia, qui vocat « homines templa, et Deum qui in eis » habitat[3], » nos docet, inquiens : « Spiritus Dei habitat in » vobis[4]. » Et Dominus noster dicit : « Ego et Pater unum » sumus[5]. » Hinc igitur firmum probatumque remanet quod dictum est, nempe quod Christus habitat in hominibus qui credunt, et quod simul ipse est fundamentum, quia super eum ædificantur et eriguntur ædificia.

VI. Sed redeo ad id quod paulo ante dixi, nempe quod Verbum Christus vocatus est lapis seu petra, per Prophetas. David primum : « Lapidem, *inquit,* quem reprobaverunt » ædificantes, hic factus est in caput anguli[6]. » Quando autem reprobaverunt ædificantes lapidem hunc, qui est ipse

[1] 1 Cor. III, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Jerem. VII, 3, 4. — [4] 1 Cor. III, 16. — [5] Joan. X, 30. — [6] Psalm. CXVII, 22.

Christus Jesus? Utique coram Pilato clamantes : « Non erit » iste rex noster[1]. » Rursus denuo in parabola hominis nobilis qui abierat ut regnum acciperet regnaretque super eos, illi autem miserunt legationem post illum dicentes : « Non erit » iste rex super nos[2]. » Atque ita illi lapidem reprobaverunt. Quomodo autem ipse est caput anguli ædificii? Fuit nimirum caput anguli ædificii Gentium. Sed quinam sunt ædificantes, quorum ædificatio super eum erigi et consistere non potuit? Profecto sunt sacerdotes et Scribæ, qui minime ut oportebat ædificaverunt, sed destruendo destruebant quidquid ipse ædificabat. Sicut et scripsit Ezechiel propheta : « Quoniam ipse ædificabat parietem, et illi liniebant eum ut » corrueret[3]. » Et iterum scriptum est : « Quæsivi in eis vi- » rum unum ruinam reficientem, et stantem super ruinam » omnis terræ, ne disperderem eam; et non inveni[4]. » Item Isaias jam ante vaticinatus erat de hoc lapide, inquiens : « Sic » dicit Dominus : Ecce mittam in fundamento Sion lapidem » angularem, pretiosum in capite ædificii fundamenti : om- » nis qui crediderit in eum, non timebit[5]. » Et alibi Scriptura inquit : « Et qui ceciderit super lapidem, confringetur; » et super quem ceciderit ille, conteret eum[6]. » Cecidit super eum populus domus Israël, et facta est ruina ipsius in sæcula temporum; « Et cecidit lapis super statuam, et con- » trivit eam[7], » credideruntque in illum gentes, nec amplius timebunt.

VII. Insuper indicavit etiam Scriptura de lapide isto, quod sit lapis fundamenti, et simul caput anguli. Sed si in fundamento positus est lapis, quomodo ille est caput anguli? Dominus noster cum venit, fidem suam posuit in terra instar fundamenti; ascendit autem super omnes cœlos, perinde ac caput anguli totius ædificii; et ex lapidibus

[1] Joan. XIX, 14. — [2] Luc. XIX, 14. — [3] Ezech. XIII, 10 et 11. — [4] Idem, XXII, 30. — [5] Isai. XXVIII, 16. — [6] Matth. XXI, 44. — [7] Dan. II, 34.

perfectum consummatumque est omne ædificium inferius et superius. Quod de fide dixi, nempe Verbum posuisse fidem suam in terra, id jam ante de Christo prædixit David dicens : « Fides de terra germinabit[1] : » quod vero desuper sit, rursus ait : « Justitia de cœlis apparuit[2]. » Idcirco de isto lapide, qui est Christus, dixit Daniel : « Videbam quo-» niam lapis abcindebatur de monte sine manu hominis, » et percutiebat statuam, et illam proterebat, et ab eo im-» plebatur omnis terra[3]. » Ita autem multo ante prænuntiatum est de Christo, fore ut omnis ab eo impleretur terra, quoniam Christi fide impleti sunt omnes termini terræ, sicut etiam David affirmat : « In omnem terram exivit sonus » evangelizationis Christi[4]. » Et Apostolis, cum misit eos, Christus dixit : « Exite per omnes gentes, et credent[5]. » Item de hoc lapide Zacharias asseruit, ipsum esse Christum, inquiens : « Vidi ego lapidem æqualitatis[6] : » quippe a principio æqualis Patri erat. Et de charitate, qua veluti e montis sublimitate abcissus de cœlis venit in hunc mundum, ipse ait : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis in-» vicem[7] : » et iterum : « Amicos et electos quidem vocavi » vos[8]. » Beatus autem Apostolus : « Misertus est, *inquit,* » nobis Deus in dilectione Filii sui ; vere quidem dilexit nos » Christus, et tradidit semetipsum pro nobis[9]. »

VIII. Latius vero quæ ad hunc lapidem attinent explicans Propheta : « Ecce, *ait,* ego aperio super hunc lapidem » septem oculos, qui aperti sunt super lapidem[10]. » Profecto Spiritus Dei venit, et requievit super hunc lapidem cum septem donis, quemadmodum dixit Isaias propheta : « Veniet, et requiescet super eum Spiritus Dei, sapientiæ

[1] Psal. LXXXIV, 12. — [2] Ibid. *N. B.* Juxta versionem Syriacam, cujus nationis erat S. Jacobus. — [3] Dan. II, 34. — [5] Psalm. XVIII, 5. — [5] Matth. XXVIII, 19. — [6] Zach. IV, 7. — [7] Joan. XV, 12. — [8] Ibidem. — [9] Rom. V, 8. Ephes. V, 2. Galat. II, 20. — [10] Zach. III, 9.

» et scientiæ, consilii et fortitudinis, principatus, et pieta-
» tis, et timoris Dei[1]. » Hi septem oculi sunt qui aperti sunt super lapidem, et hi sunt oculi Domini qui respiciunt terram. Id autem ideo de Christo dictum est, quia ipse datus est in lucem omnium gentium, sicut ait Isaias propheta : « Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque in ex-
» tremum terræ[2]. » Et David : « Lucerna, *inquit*, pedibus
» meis verbum tuum, et lumen semitis meis[3]. » Verbum autem et sermo Domini Christus est ; quemadmodum scriptum est in principio Evangelii Domini nostri secundum Joannem : « In principio erat Verbum[4]. » Et de luce ibidem ipsemet Joannes testatus est, inquiens : « Et lux in
» tenebris luxit, et tenebræ eam non comprehenderunt[5]. » Quid autem hoc est, nisi quod Christus luxit luce sua in medio populi domus Israël; populus autem Israël non comprehendit lucem Christi, quia non credidit in eum, sicut scriptum est : « In propria venit, et sui eum non rece-
» perunt[6]. » Et ipse Dominus noster vocavit eos tenebras, dicens Discipulis suis : « Quod dico vobis in tenebris, dicite
» in lumine. In gentibus lucebit lux vestra[7]. » Illæ enim receperunt Evangelium Christi, qui datus est in lucem gentium. Dicit etiam Apostolis suis : « Vos estis lux mun-
» di[8]. » Iterum : « Sic luceat lux vestra coram hominibus,
» ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem ves-
» trum, qui in cœlis est[9]. » Et iterum significans de seipso, quod sit lux vera, ita Discipulis suis : « Ambulate, *inquit*,
» dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehen-
» dant[10]. » Et rursus dicit eis : « Credite in lucem, ut filii
» lucis sitis[11]. » Et iterum : « Ego sum lux mundi[12]. » Tum etiam : « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub mo-

[1] Isai. XI, 2. — [2] Idem, XLIX, 6. — [3] Psal. CXVIII, 105. — [4] Joan. I, 1. — [5] Ibid. 5. — [6] Ibid. 11. — [7] Matth. X, 27. — [8] Id. V. 14. — [9] Ibid. 16. — [10] Joan. XII, 35. — [11] Ibid. 36. — [12] Id. VIII, 12.

» dio, vel sub lecto, vel operit eam vase; sed ponit eam su-
» per candelabrum, ut quilibet videat lumen lucernæ[1]. »
Lucerna autem accensa ipse Christus est, sicut etiam David affirmat : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et
» lumen semitis meis[2]. » Et iterum Osea propheta : « Ac-
» cendite vobis lucernam, et quærite Dominum[3]. » Dominus etiam noster inquit : « Mulier quæ habet drachmas
» decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit
» lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter drach-
» mam quam perdidit[4]? » Quænam vero mulier illa est, nisi Israëliticus populus, cui datum est Testamentum decem præceptorum? Ille autem perdidit primum illud præceptum, de quo Deus eum commonuit dicens : « Ego sum Do-
» minus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum[5]. »
Cum autem hoc primum præceptum illi perdidissent, nullum eorum quæ post illud sequebantur implere potuerunt, quia novem alia præcepta a primo illo pendebant, et fieri non poterat ut adorarent idolum Baal, et novem alia præcepta servarent; quoniam perdiderunt primum præceptum, perinde ac mulier quæ drachmam unam ex illis decem amisit. Ecce igitur Propheta monet eos dicens : « Accendite
» vobis lucernam, et quærite Dominum[6]. » Propheta etiam Isaias : « Quærite, *ait*, Dominum dum inveniri potest, in-
» vocate eum dum prope est; derelinquat impius viam
» suam, et vir iniquus cogitationes suas[7]. » Accensa fuit lucerna, et illi per eam non quæsiverunt Deum suum; ejusque lux in tenebris illis luxit, et tenebræ eam non vicerunt; et fuit lucerna posita super candelabrum, et qui intus in domo erant non viderunt ejus lumen. Quid autem hoc est quod dicitur, Lucerna posita fuit super candela-

[1] Luc. VIII, 16; XI 33. Matth. v, 15. Marc. IV, 21. — [2] Psal. CXVIII, 105. — [3] Ose. x, 12. — [4] Luc. XV, 8. — [5] Exod. XX, 2. Deut. v, 6. — [6] Osee, x, 12. — [7] Isai. LV, 6 et 7.

brum, et qui in domo erant lucem non viderunt? Crucifixo ibi Christo Domino, mox tota domus tenebris operta est super illos; cum enim crucifixissent eum, lux illis obscurata est, luxitque inter gentes : quippe ab hora sexta, qua cruci affixerunt eum, usque ad horam nonam, tenebræ factæ sunt per universam terram Israëlitarum, et sol occidit meridiano tempore, et obtenebrata est terra in die plenæ lucis, sicut scriptum est a Zacharia propheta : « Erit in die » illa, *dicit Dominus,* extinguam solem tempore meridia» no, et obtenebrabitur terra in die plenæ lucis[1]. »

IX. Sed revertar ad ea quæ a principio dicere institui de fide, super eam scilicet ædificari omnia opera bona, et hinc in altum exurgere atque extolli ædificium. Quod autem de hujusmodi ædificio dixi, non alienum aliquid a sanctis Scripturis attuli : nam Apostolus scripsit in Epistola prima ad Corinthios : « Ego ut sapiens architectus funda» mentum posui, et unusquisque ædificat super hoc funda» mentum. Est qui ædificat aurum, et argentum, et lapides » pretiosos; et est qui ædificat lignum, fœnum, stipulam; » et in novissima die igne examinantur ædificia[2]. » Aurum, et argentum, et lapides pretiosi servantur in medio ignis; et lignum, fœnum, stipula accenduntur, inflammantur et igne comburuntur. At quidnam sunt aurum, argentum et lapides pretiosi quibus construuntur ædificia, nisi bona opera fidei, quæ servantur in medio ignis? nam in firmis ac probis ædificiis inhabitat Christus, et ipse conservat ea in medio ignis. Videamus et intelligamus id ex trium puerorum exemplo, quod ideo nobis exhibuit Deus in hoc mundo, ut ex eo prævideantur et prænoscantur, certæque apud nos sint promissiones futuri sæculi : percipiamus, inquam, id ex tribus illis pueris justis qui immissi fuerunt in ignem, et non sunt combusti, Anania, Azaria et

[1] Zach. XIV, 6, 7. — [2] I Cor. III, 10.

Misaël[1]. Eos igitur ignis non combussit, quia construxerunt ædificia proba et firma, contempseruntque mandatum quod præceperat Nabuchodonosor rex, et non adoraverunt statuam auream quam fecerat. In illos autem qui transgressi sunt præceptum quod fecerat Dominus Deus, illico accensus est et exarsit ignis, atque eos interemit, et exusti sunt sine misericordia. Combusti etiam sunt Sodomitæ instar ligni, fœni et stipulæ[2]. Item combusti sunt Nadab et Abiu, quoniam præceptum transgressi sunt[3]. Item combusti sunt ducenti et quinquaginta viri qui offerebant incensa[4]. Similiter combusti sunt duo principes, et centum viri cum eis, quia accesserunt ad montem ubi Elias inhabitans sedebat; ipse autem igneo curru in cœlos ascendit[5]. Tum etiam combusti sunt viri obtrectatores, quia foderunt foveam viris justis[6]. Itaque igne examinantur justi perinde ac aurum, et argentum, et lapides pretiosi; iniqui autem comburuntur igne instar ligni, fœni et stipulæ; fiunt enim ignis pabulum, sicut etiam dixit Isaias : « In igne dijudicat » Dominus, et in eo examinat omnem carnem[7]. » Et iterum ait : « Egredientur, et videbunt cadavera virorum ini- » quorum et prævaricatorum, quoniam vermis eorum non » moritur, et ignis non extinguitur; et erunt illi in exem- » plum et documentum omni carni[8]. » De hujusmodi ædificio, ejusque fundamento, hæc quoque declaravit nobis Apostolus dicens : « Fundamentum aliud nemo potest po- » nere præter id quod positum est, quod est Christus Je- » sus[9]. » Et de fide, quæ spei est conjuncta cum charitate, illud etiam docuit : « Hæc tria sunt quæ stant et manent, » fides, spes et charitas. » Et insuper de fide exposuit nobis, quod ipsa prima est quæ ponitur in fundamento.

[1] Dan. III, 22, 91, 92 et 93. — [2] Gen. XIX, 24, 25. — [3] Levit. X, 1; XVI, 1. Num. III, 4; XXVI, 61. — [4] Idem, XVI, 35. — [5] 4 Reg. I, 10; II, 12. — [6] Num. XVI, 47, 49. — [7] Isai. LXVI, 16. — [8] Ibid. 24. — [9] 1 Cor. III, 11.

X. Et quidem sacrificium Abel propter fidem ejus fuit acceptum : Henoch, quia placuit fide sua, translatus est a morte in vitam : et Noë eadem fide ereptus est a diluvio aquarum : et Abraham propter fidem suam justificatus est, et reputata est fides ejus in justitiam : et Isaac eadem fide fuit dilectus : et Jacob fide sua conservatus est : et Joseph propter fidem suam tentatus est in aquis adversitatis, et ereptus est a tentatione, posuitque Deus testimonium cum illo, sicut et David dixit : « Testimonium posuit cum Jo- » seph[1]. » Item Moyses fide sua miras fecit virtutes. Etenim fide sua percussit et interfecit Ægyptios virga decem plagarum; et fide scidit et separavit mare, et trajecit populum suum; et fide immisit lignum in fontem amarum, et dulces factæ sunt aquæ; et fide fecit descendere manna in saturitatem populi sui; et fide extendit brachia sua, et vicit Amalech, sicut et scriptum est : « Fide stabant extensa » brachia Moysis usque ad occasum solis[2]. » Et fide ascendit ille in montem Synaï bis jejunans quadraginta dies : similiter eadem fide percussit et interfecit Sehon et Og, reges Amorrhæorum.

XI. Admirabile et magnum est, charissime, hoc miraculum quod fecit Moyses in mari Rubro, cum divisæ sunt aquæ per fidem. Etenim non secus ac montes excelsi, et murorum lapideorum instar compeditæ stabant aquæ in altis, et hinc et illinc in profundo maris mollis aquarum natura instar lapidis consistens manebat, et limitem non transibat; ita creaturæ mutaverunt naturam suam, et creaturæ ratione destitutæ obtemperaverunt; vehementes enim fluctus consurgentes subsistebant, et aspicientes quodammodo expectabant tempus ultionis, donec transiret Israëliticus populus, et quasi admirantes jussum præstolabantur. Tunc apparuerunt fundamenta æternalia et profunda abyssorum,

[1] Psal. LXXX, 5. — [2] Exod. XVII, 12.

quæ antea et ab initio firma et immota constiterant, illico exsiccata sunt. Elevaverunt portæ capita sua sursum, et sursum elevatæ sunt portæ æternales, et veniens intravit columna nubis et illuxit omnibus castris, et ingrediens transivit populus per fidem, et facta sunt judicia veritatis in Pharaone, et in exercitu, et in curribus, et in equis ejus. Ita et Josuë, filius Nave, fide divisit flumen Jordanis, et trajecit filios Israël, sicut et in diebus Moysis.

XII. Scito, charissime, fluvium Jordanem ter divisum esse; primo per Jesum filium Nave, secundo per Eliam, et deinde per Elisæum[1]. Siquidem sacra Scriptura nobis manifestum facit, ab ea parte trans Jordanem quæ est civitati Jericho ex adverso, elevatum esse Eliam in cœlum; ideoque cum Elisæus redivit, necesse est percussisse et divisisse Jordanem, eoque transmisso, filios prophetarum civitatis Jericho obviam illi exivisse. Populus etiam Israëliticus transivit flumen Jordanis in diebus Josuë filii Nave, et fide subvertit muros Jericho, qui corruerunt et eversi sunt sine labore. Insuper eadem fide Josuë superavit et interfecit unum supra triginta reges, et terram sorte divisit in hæreditatem filiis Israël. Fide etiam extendit manus suas in cœlum, et fecit stare solem in Gabaon, et lunam in campo Elonitarum, et steterunt compediti ad cursus suos[2]. Omnes quidem patres nostri justi fide cuncta effecerunt, et fide sua corroborati sunt[3]. Nam et beatus Apostolus testatus est de omnibus, quod fide convaluerunt : et Salomon dicit : « Multi vocati sunt viri misericordes; sed vir credens » ubi invenietur[4] ? » Et Job dixit : « Innocentiam ego a me » non expellam, et in veritate fidei meæ firmus stabo[5]. »

XIII. Et Dominus noster vivificans et vivificator omnibus qui accedebant ad eum ut sanarentur dicebat : Secun-

[1] 4 Reg. II, 11. — [2] Jos. X, 12. — [3] Hebr. XI, 34. — [4] Proverb. XX, 6 — [5] Job, XXVII, 5, 6.

dum fidem tuam erit tibi [1]. Et cum cæcus ad Jesum venit, ait illi : « Credis quod possim sanare te? » Respondit : « Etiam, Domine, credo [2]. » Et fides sua oculos ejus aperuit. Et viro cujus filius infirmabatur dixit Jesus : « Crede » tu, et vivet filius tuus. » Et respondit ei vir ille : « Credo, » Domine; adjuva incredulitatem meam [3]. » Ubi autem credidit, filius ejus sanatus est. Et item Centurio cum accessiset ad Jesum, secundum ejus fidem sanatus est puer ejus, quoniam dixit : « Dic tu verbo, et sanabitur puer meus [4]. » Et miratus est Dominus super ejus fidem, et secundum fidem suam factum est illi. Et archisynagogo deprecanti Dominum pro filia sua, Jesus ait : « Fidenter crede, et vivet fi- » lia tua [5]. » Et credidit ille, et vixit filia ejus, et surrexit. Et cum mortuus esset Lazarus, dixit Dominus noster Marthæ : « Si credideris tu, resurget frater tuus; » inquit Martha : « Etiam, Domine, credo ego [6]. » Et resuscitavit eum Dominus post quatuor dies. Et Simon, qui Petra vocatus est, propter fidem suam merito vocatus est petra. Et cum tradidit Dominus sacramentum baptismi Apostolis, ait illis : « Omnis qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; » qui vero non crediderit, condemnabitur [7]. » Iterum dixit Apostolis : « Si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, ni- » hil est quod non possitis facere [8]. » Et dum ibat et ambulabat Dominus noster super aquas fluctuum maris, Petrus ivit ad eum super aquas; cum vero hæsitavit in fide sua, cœpit mergi, et vocavit eum Dominus « modicæ fidei [9]. » Et Apostoli nihil aliud petierunt a Domino nisi hoc : « Ad- » auge nobis fidem ; » et dixit eis Dominus : « Si invenero in » vobis fidem, et montes movebuntur a facie vestra [10]. » Et insuper eos ita monuit : « Nolite hæsitare in fide vestra, ne

[1] Matth. IX, 28. — [2] Id. XX, 29. Marc. X, 46. Luc. XVIII, 35. — [3] Marc. IX, 22 et 23. — [4] Matth. VIII, 8. Luc. VII, 7. — [5] Marc. V, 36. Luc. VIII, 50. — [6] Joan. XI, 24, 25, 26, 27. — [7] Marc. XVI, 16. — [8] Matth. XXI, 21. Marc. XI, 22. — [9] Matth. XIV, 31. — [10] Luc. XVII, 5.

» forte mergamini in mundo [1]; » instar Simonis, qui cum hæsitare incohasset, cœpit mergi in medio maris. Et iterum dicit eis Dominus : « Hoc signum erit credentibus : » linguis novis loquentur, dæmonia ejicient, et super ægros » manus suas imponent, et bene habebunt [2]. »

XIV. Accedamus itaque, charissime, ad fidem, quia ejus virtutes multæ sunt : fides aliquos elevavit in cœlum, et vicit aquas diluvii, et multiplicavit partus sterilium, et ab ore gladii eripuit, et e fovea eduxit, et pauperes divites et magnos effecit, et salvavit persecutionem patientes, et fecit descendere ignem de cœlo, et divisit mare, et scidit petram, et dedit aquam ad potum sitientibus, et esurientes satiavit, et mortuos ad vitam revocavit, et ab inferis reduxit, et fluctus fecit quiescere, et sanavit infirmos, et vicit exercitus, et subvertit muros, et obturavit ora leonum, et extinxit flammam ignis, et humiliavit superbos, et exaltavit humiles. Hæ omnes virtutes factæ sunt per fidem.

XV. Fides autem hæc est, ut credat aliquis in Deum omnipotentem, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt; et fecit Adamum secundum similitudinem imaginis formæ suæ; et dedit legem Testamenti Moysi; et misit de Spiritu sancto in Prophetas; et demum misit Christum in mundum. Item ut aliquis credat in resurrectionem vitæ mortuorum, et ut credat in sacramentum lavacri : hæc est fides Ecclesiæ. Insuper necesse est ut abstineat homo ab observatione temporum, et a religione observante sabbatum, et a festivitatibus neomeniæ annuisque solemnitatibus, et a magia et astrologia præstigiisque magicis, et a maleficio, et a secta hæretica, et a perversis machinationibus, et a deceptoriis malignisque verbis,

[1] Nullibi in Evangeliis reperitur. Fortasse S. Jacobus respexit ad verba Marci XI, 23.

[2] Marc. XVI, 17.

et a blasphemia, et ab adulterio, a luxuria, et a coinquinatione cantuum; tum caveat ne falsum perhibeat testimonium, et ne sit bilinguis. Hæc sunt opera fidei quæ posita sunt super lapidem, qui est ipsemet Christus, et super eum extruuntur omnia ædificia.

XVI. Sunt quidem, charissime, multa alia dicenda de fide; sed pauca de multis scripsi in memoriam dilectionis tuæ, ut intelligas et facias intelligere, et credas et facias credere. Et cum legeris et docueris, eris in opere instar terræ fructiferæ, in qua ceciderunt semina bona et dedit fructum centesimum, sexagesimum et trigesimum[1]. Et cum iveris tu ad Dominum tuum, vocabit te bonum et strenuum servum, quia fide tua fructus multiplicati sunt, et intrabis tu in regnum Domini tui Jesu Christi.

---

# SERMO SECUNDUS.

## DE DILECTIONE.

I. Universa Lex et Prophetæ in duobus mandatis mira quadam conspiratione pendent, sicut Dominus et Salvator noster dixit[2]. Apud eum vero qui non vult ea mandata audire, Lex et Propheta inutiles et frustra sunt, et nihil ad eum hortandum, aut alliciendum, aut commonendum valent. Itaque Dominus noster, « In his duobus mandatis, » *ait,* universa Lex pendet et Prophetæ. » Disposuitque ut Lex et Prophetæ penderent in his duobus mandatis, nempe, ut « Diligat unusquisque Dominum Deum suum ex » tota anima sua, et ex tota virtute sua, et ex totis substan-

[1] Matth. xv, 21. Luc. xix, 17. — [2] Matth. xxii, 40.

» tiis suis; *et simul* diligat proximum suum sicut seipsum[1]. »

II. Nam si tu ipse ad examen venias duorum mandatorum in quibus pendet omnis vis Legis et Prophetarum, cognosces, si hæc insita essent in cordibus et in mentibus hominum, nec Lege nec Prophetis omnino indigerent, sicut scriptum est, quod « Lex justo non est posita, sed injustis[2]; » et quidem pro iniquis et impiis posita est Lex. Et si justitia veritatis stetisset et mansisset apud homines, non esset opus nobis Lege. E diverso, nisi Lex posita esset, virtus Dei non ostendisset in omnibus nationibus omnia mirabilia quæ manifestavit. Cum transgressus est primus homo mandatum, mors intravit in mundum, et virtus Dei manifestata est, quia omnes resurgent eo tempore quo tollet potestatem mortis. Propter iniquitatem quæ fuit in diebus Noë, apparuit virtus Dei in aquis diluvii. Et in Abraham, quia veritatis justitiam servavit, quæ erat ex ipsa Lege, antequam Lex posita esset, manifestata fuit virtus Dei per justitiam veritatis. Et ille cui Lex non erat posita, ostendit in semetipso opera Legis, et ejus justitiæ veritatis opus non fuit Lege : ita et Isaac et Jacob ejus filiis necesse non fuit ut Lex justitiæ poneretur, quia pater eorum præcepit eis ut operarentur justitiam et facerent æquitatem, sicut et scriptum est, et Dominus Deus dixit de Abraham : « Scio quod præcepturus » sit filiis et domesticis suis ut custodiant omnia præcepta » et mandata[3]. » Itidem Joseph custodivit justitiam veritatis, quæ erat ex Lege, et non consensit dominæ suæ; cogitavit enim in mente sua dicens : « Quomodo faciam hoc » enorme malum, et inveniar reus coram Deo[4]? » Et Moyses quoque custodivit justitiam veritatis, quæ erat præscripta in Lege, quando renuit et noluit vocari filius filiæ Pharaonis : propterea dignum fecit eum Dominus ut per eum

[1] Deut. vi, 5. Matth. loco citato. — [2] I Tim. I, 9. — [3] Genes. xviii, 19. — [4] Idem, xxxix, 9.

Legem daret populo suo. Omnibus igitur his qui ostenderunt in seipsis opera Legis, et justitiæ veritatis, non est posita Lex; quia ipsi revera fuerunt lex sibi ipsis.

III. Et cum advenissent tempora Legis, supperaddita illa fuit propter prævaricationem, apparuitque additamentum factum fuisse. Et quare factum est hoc additamentum? Non propter justitiam veritatis, sed propter vocationem gentium [1], quoniam priusquam esset Lex, et ante Legem fuit illa, hoc est, justitia; Lex autem data est tanquam quidam custos et pædagogus, donec veniret illud semen in quo benedicendæ erant omnes gentes. Nam verbum jurisjurandi quo pollicitus est Abrahæ, idem est ac fœdus seu Testamentum promissionis, cum a Domino dictum est ei : « In semine tuo benedicentur omnes gentes [2]. » Hoc verbum, inquam, est ipsum Testamentum, seu pactum promissionis, quæ quadringentis et triginta annis ante Legem facta est Abrahæ. Significabat autem quod gentes benedicendæ erant in Christo. Lex vero post quadringentos et triginta annos posita est. Nam eo tempore quo Abraham ratam accepit promissionem, erat octoginta quinque annorum [3]? Et ab illo tempore usque ad tempus quo ingressus est Jacob in terram Ægyptiorum, elapsi sunt anni quasi ducenti quinque; et a tempore ingressus Jacob in terram Ægyptiorum usque ad tempus exitus populi Israëlitarum e terra Ægyptiorum per Moysem, sunt anni quasi ducenti viginti quinque.

IV. Tempus autem quo habitaverunt filii Israël in terra Ægyptiorum, scriptum est fuisse quadringentorum triginta annorum. Cur autem, cum ducentos et viginti quinque annos habitaverint filii Israël in terra Ægyptiorum, ascripti eis sint quadringenti triginta anni [4]? Profecto, quia eo tempore quo dixit Deus : « Scito prænoscens quod pe-

[1] Galat. III, 19, 24. — [2] Genes. XXII, 18. — [3] Idem, XV, 16. — [4] Exod. XII, 40.

» regrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et » subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis [1], » et quo dictum est Abrahæ : « Sic erit tibi semen [2], » fide impressa sunt hæc verba in corde Abrahæ ; sicut et scriptum est : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad » justitiam [3]. » Sermo igitur ille subjectionis, quo ei prædictum est, In terra Ægypti subjicientur et servient, illico insitus est in corde Abrahæ, et tum cœpit ille mœreri in mente sua et dicere : Quomodo semen meum erit in subjectione servitutis ? factusque est animus Abrahæ servus inserviens in terra Ægypti. Ita Isaac et Jacob angebantur de ista servitute, et spiritus eorum fuit serviens in terra Ægypti : quoniam prædictio servitutis facta est semini Abrahæ, longe priusquam illi nascerentur ; præcessit enim verbum Domini nativitatem Isaac annis quindecim ; et prædictio servitutis prior est ingressu eorum in terram Ægypti ducentis quinque annis. Promissio igitur qua dictum est : « In » semine Abrahæ benedicentur omnes gentes [4], » prior est constitutione Legis quadringentis triginta annis. Promissiones autem non potuerunt impediri neque irritæ fieri a Lege ; sed Lex tanquam additamentum aliquod superaddita fuit verbo promissionis, donec tempus ejus venit et impletum est.

V. Reservatum est igitur verbum per mille septingentos nonaginta quatuor annos : nam ex quo facta est promissio Abrahæ, usquequo ipsa advenit, tempus quo reservata est fuit mille trecentorum sexgianta quatuor annorum post impositionem Legis, et ante Legem quadringentis triginta annis. Cum autem venit, abrogavit observantias quæ erant ex Lege, et plene prorsusque Lex et Prophetæ impleti sunt in his duobus mandatis, de quibus Dominus noster locutus

[1] Gen. xv, 13. Act. vii, 6. — [2] Gen. xv, 5. — [3] Rom. iv, 3. Gal. iii, 6. Gen. xv, 6. — [4] Galat. iii, 18.

est. Ideoque scriptum est : « Omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem Baptistam prophetaverunt[1]. » Et Dominus noster dicit : « Non veni solvere Legem et Prophetas, » sed confirmare et adimplere[2]. » Et iterum scriptum est : « Veritas Legis per Jesum facta est[3]. »

VI. Et quid deerat Legi et Prophetis ? Indigebant ut confirmarentur et adimplerentur : quoniam deerat eis Testamentum confirmatum, hoc est, verbum illud promissionis. Quippe non erat obsignatum testamentum quod factum est per Moysem, donec adveniret hoc ultimum testamentum ; quia illud primum desuper nuntiatum est, hoc autem subter signaculo munitum. Et mortuus est qui condidit testamentum, et deinde confirmata sunt duo testamenta, et fecit duo unum, et Legem præceptorum in mandatis præcepti sui abrogavit, et necessitas Legis abrogata est in adventu Domini nostri : et obtulit semetipsum pro sacrificiis illis quæ erant ex Lege : et traditus est ille tanquam agnus ad immolandum pro agnis propitiationis ; et immolatus est pro nobis vitulus saginatus, ne indigeremus offerre vitulos agri. Venit, et ascendit in crucem, ne requirerentur a nobis victimæ et sacrificia. Effudit sanguinem suum pro omnibus hominibus, ne requireretur a nobis sanguis brutorum. Introïvit ille in tabernaculum sanctorum non manufactum[4], et fuit sacerdos et minister sanctorum ab illo tempore ex quo abrogavit observantias Legis. Et ab illo tempore quo ligaverunt eum, ligatæ sunt quasi vinculis annuæ eorum festivitates. Et quia ausi sunt judicare Justum, Deus ademit illis jura judiciorum : et quia contempserunt auctoritatem ejus et imperium, abstulit ab eis dominium et regnum ; quoniam venit ille cujus est regnum. Et fuit ipse sacrificium vivum pro nobis, et victimas et sacrificia eorum abrogavit; et fuerunt filii Israël sine

[1] Matth. XI, 13. — [2] Id. V, 17. — [3] Joan. I, 17. — [4] Hebr. IX, 11 et 12.

sacrificiis et sine altari, et sine eo qui induebat vestes sacerdotales et incensum offerebat coram Domino [1]. Et ablatæ sunt ab eis visiones et Prophetæ, quia non audierunt magnum Prophetam. Et adimpletum est primum testamentum per hoc ultimum testamentum. Senuerunt et inveterata sunt opera Legis, et conversa sunt in corruptionem. Ab eo tempore quo datum est novum, abrogatum est vetus. At vero non solum ex ipso tempore adventus Domini nostri spretæ et repudiatæ sunt victimæ et sacrificia eorum, sed etiam ante hoc tempus non placuerunt Deo victimæ ipsorum, sicut et scriptum est : « Non ego manduco carnes taurorum tuorum, neque sanguinem hircorum tuorum poto ; sed immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua [2]. » Et iterum dicit Scriptum : « Cor sanctum quærit Deus [3]. » Et rursus ait Dominus : « Non placuerunt mihi victimæ, et holocausta sacrificiorum nolo [4]. » « Sacrificium Deo spiritus contribulatus [5]. » Et per Isaiam : « Non est, *inquit*, mihi opus multitudine victimarum vestrarum [6]. » Et rursus dicit eis Deus per Prophetam : « Odi et sprevi calendas et solemnitates vestras, et non amplius odorabor futura incensa vestra [7]. »

VII. Verbum autem illud quod dixit Dominus et Salvator noster, quoniam in duobus mandatis pendent Lex et Prophetæ, pulchrum, bonum, congruum et conveniens est, dicente ipso Domino nostro : « Apex unus a Lege et Prophetis non præteribit, donec omnia fiant [8]. » Accepit ille Legem et Prophetas et conclusit, ac suspendit eos in duobus mandatis, et nihil ex eis abrogavit. Nam si perpenderis bene verbum illud, in eo vera est observatio Legis, et id omne quod scriptum est in Lege sub hoc verbo comprehenditur : « Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, et ex

[1] Osee, III, 4.— [2] Psalm. XLIX, 13, 14. — [3] Prov. XI, 20. — [4] Jerem. VI, 20. — [5] Psal. L. — [6] Isai. I, 11. — [7] Ibid. 14. — [8] Matth. V, 18.

» tota vitrtute tua, et ex omnibus substantiis tuis [1]. » Etenim omne opus ideo faciendum in Lege erat, ut accederent ad diligendum Dominum Deum suum, et ut unusquisque diligeret proximum carnis suæ tanquam semetipsum. Itaque hæc duo mandata sunt supra omnem legem. Et quidem si consideraveris et inspexeris Legem, invenies in principio illius sic scriptum : « Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te » ex terra Ægyptiorum : non facies tu tibi similitudinem ali» quam imaginum [2]. » Cum autem aliquis non facit sibi alium Deum præter illum, existit jam inde sub isto verbo in quo pendent Lex et Prophetæ. Et memento me scripsisse tibi quod justis posita non est Lex : quippe qui observat veritatem justitiæ, supra jussum mandatorum et supra Legem et Prophetas constitutus est. Atque ita firmum manet et verum est verbum quod dixit Dominus noster, nempe : « Iota unum, » aut unus apex non præteribit a Lege et a Prophetis [3]. » Quoniam ea conclusit consummavitque in duobus mandatis.

VIII. Audi nunc explicationem eorum quæ superius posita sunt. Si enim dicatur : Quare scriptum est habitasse filios Israël in Ægypto quadringentos triginta annos [4], cum annuntiatum sit Abrahæ id futurum per quadringentos annos [5]? et cur superadditi sunt triginta anni? Ostendam tibi, charissime, quomodo hoc factum sit. Cum elapsi et impleti fuissent quadringenti anni, missus est Moyses, ut Israëlitas salvaret eo tempore quo virum illum Ægyptium occidit et percussit. Illi autem contempserunt salvatorem suum. Et fugit Moyses, et abiit in terram Madian, et fuit ira furoris super filios Israël; adeo ut manerent et perseverarent deinde in illa servitute in terra Ægyptiorum aliis triginta annis. Dixerunt enim Moysi : « Et quis constituit te princi» pem vel judicem super nos [6]? » Et cum contempsissent

[1] Deut. VI. Matth. XXII. — [2] Exod. XX. — [3] Matth. V. — [4] Exed. XII, 40. — [5] Gen. XV, 13. Act. VII, 6. — [6] Exod. II, 14.

salvatorem suum, ira furoris Domini Dei detinuit insuper eos illic triginta annis. Et deinde cum multiplicatæ fuissent angustiæ tribulationis eorum, eos Dominus Deus e terra Ægyptiorum eduxit. Ex his autem quæ fecit Deus, suam longanimitatem manifestavit, volens ut illi corrigerentur de contemptu quo despexerunt Moysem, et ut complerentur peccata iniquitatis Amorrhæorum[1]; ideoque supra annorum mensuram quam prædixit Abrahæ, adjecit populo triginta annos[2]. Atque ita erga Amorrhæos longanimis fuit, parcendo peccatis eorum per septuaginta annos, triginta in terra Ægyptiorum, et quadraginta in deserto. Deinde cum impleti essent quatuor centum triginta anni, et completa essent peccata Amorrhæorum, duxit et introduxit Israël in terram promissorum donorum. Id enim scias velim, charissime, Deum nulla lege teneri; tempus enim nonnunquam quod est longum contrahit et minuit, et tempus quod est breve ac modicum interdum producit et auget. Imprecatus est et maledixit hominibus in diebus Noë, dicens : « Erunt dies vitæ hominum centum viginti anni[3]. » Et delens interemit eos anno sexcentesimo vitæ Noë, ac proinde dempsit viginti annos. Et iterum scriptum est, cum iniquitates regni Ephraïm multiplicatæ essent, et regnavisset super eos Jeroboam filius Nabat, qui prævaricatus est et fecit prævaricari Israël; et cum peccata peccatis addidissent, dixit Deus per os Isaiæ prophetæ : « Post sexaginta » quinque annos deficiet regnum Ephraïm a populo illo[4]. » In annis Ochoziæ sermo factus est, et anno quarto Ezechiæ regis venit et irruit super eos Salmanasar rex Assyriorum[5], et ante eum Theglatphalasar[6], et duxerunt eos captivos in terram suam[7]. Regnavit Achas sexdecim annos, et anno quarto Ezechiæ regis dominati sunt super eos reges Assyriorum[8] :

[1] Gen. xv, 16. — [2] Ib. 13. — [3] Id. vi, 3. — [4] Is. vii, 8. — [5] 4 Reg. xvii, 5; xviii, 9. — [6] Id. xv, 29. — [7] 1 Par. v, 26. Job, 1. — [8] 4 Reg. xvi, 2.

elapsi sunt viginti anni tantum, et Ephraïm defecit in Israël. Quadraginta igitur quinque anni eis imminuti et detracti sunt, et quam Deus per Prophetam prænuntiaverat et præfiniverat, constitutam temporis mensuram non complevit.

IX. Hoc autem non ideo quasi futuri nescius sit Deus, cum dixerit ita futurum, et postea aucti vel diminuti sunt anni. Sciebat Deus ad quam mensuram anni perventuri essent; verum enim propter clementiam misericordiæ suæ dedit locum pœnitentiæ ut homines non haberent, quid possent respondere. Sed homines illi longanimitatem et indulgentiam Dei contemnebant, et cum audirent multa post tempora Dei iram super eos venturam, peccare coram eo audebant dicentes: « Quidquid Prophetæ isti dicunt, in tem» pora remota prophetant[1]. » Itaque cum in hunc modum secum cogitare homines cœpissent diebus Ezechielis prophetæ, dicit Dominus ad Ezechielem : « Vivo ego, dicit » Dominus, factor voluntatis; non ulterius tardabo verba » mea, sed quod dico, illico conficiam et implebo[2]. » Id autem, ut dixi, ideo factum est, quia prius constituit eis temporis mensuram, spatiumque pœnitendi elargitus est : illi autem spreverunt longanimitatem Dei, et non conversi sunt ad pœnitentiam; ideo mutavit postea Deus tempus positum et stabilitum. Hoc autem non quasi nesciens fecit, sed sicut et scriptum est : « Væ illis qui efficiunt se mise» ros; vos autem nolite efficere vos miseros : mendacium » ne decipiat vos. » Et iterum dictum est per Jeremiam prophetam : « Si dixerim de populo et regno : Evellam, des» truam, subvertam, disperdam, et dissipabo; et converta» tur populus ille a peccatis suis; et ego pœnitentiam agam » super sermones meos, et avertam ab eis mala quæ locu» tus sum contra eos[3]. » Et iterum dicit : « Si dixero de » populo et regno : Ædificabo, et plantabo; et ille perpe-

[1] Ezech. XII, 7 — [2] Ibid. 28. — [3] Jerem. XVIII, 7.

» traverit iniquitates suas; et ego pœnitentiam agam super » verba mea, et avertam ab eis bonum quod locutus sum » ut facerem eis[1]. »

X. Sed eorum quæ scripsi tibi, charissime, in mentem revoca quod prius in sermone de fide ostendi tibi : fide firmari fundamentum hujus fœderis in quo nos sumus. Et in hoc secundo sermone tibi modo significavi universam Legem et Prophetas pendere in duobus mandatis de quibus Dominus noster locutus est, et in his quidem duobus mandatis comprehensam et conclusam esse universam Legem. In Lege autem firma constitit fides, et per fidem firmatur vera dilectio illa, quæ ipsa sola est prima in duobus mandatis; nam cum diligit homo Deum, etiam proximum suum sicut seipsum diligit.

XI. Quare ex ordine audi, charissime, de dilectione proximi, quod est alterum ex duobus mandatis. Cum venisset Dominus noster, ostendit pretium et dignitatem hujus dilectionis, dicens Discipulis : « Hoc est præceptum meum, ut » diligatis invicem[2] : » Iterum dicit : « Mandatum novum » do vobis, ut diligatis invicem[3]. » Et iterum cum eos doceret de charitate, sic admonuit : « Diligite inimicos ves- » tros, et benedicite maledicentibus vobis, et orate pro per- » sequentibus et calumniantibus vos[4]. » Hoc etiam dixit eis : « Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ utilitas, aut » quæ vobis est gratia ? quia et Ethnici hoc faciunt, qui dili- » gentes se diligunt[5]. » Itidem dicit Dominus noster : « Si » benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est » gratia? siquidem peccatores et publicani hoc faciunt : » at vos quia vocati estis filii Patris cœlestis, estote similes » illi, quoniam ille miseretur et miseratur super pœniten- » tiam agentes[6]. » Rursusque ait : « Dimitte, et dimittetur;

[1] Jerem. XVIII, 10. — [2] Joan. XV, 12. — [3] Id. XIII, 34. — [4] Matth. V, 44. Luc. VI, 28. — [5] Matth. V, 46. Luc. VI, 32. — [6] Matth. V, 48. Luc. XV, 7, 10.

» solvite, et solvemini[1]. » Et iterum dicit, nobis timorem et terrorem incutiens : « Si non dimiseritis filiis hominum » delicta eorum quibus delinquunt in vos, nec Pater cœ- » lestis dimittet vobis peccata vestra[2]. » Illud præterea monuit Discipulos suos, dicens : « Si peccaverit frater tuus in » te, dimitte ei : et quamvis septies peccaverit in te in una » die, dimitte ei[3]. »

XII. Et cum hæc audisset Simon, dixit ei : « Quoties si » peccaverit in me frater meus, dimittam ei? usque sep- » ties? » Respondit ei Dominus : « Non dico tibi usque sep- » ties, sed usque septuagies septies[4]. » Quamvis, inquit, quadringenties et nonagies peccaverit in te una die, dimitte ei. Fuitque similis benefico Patri suo, qui per totidem annos venia propitiationis Jerusalem pepercit. Nam cum filii Israël captivi ducti fuissent in terram Babyloniorum, castigavit eos illic per septuaginta annos; et conversus ad clementiam misericordiæ suæ, eos congregatos reduxit in terram suam per manum Esdræ scribæ, et veniam propitiationis adauxit, ampliavitque super eos ad septuaginta usque hebdomadas, quæ erant singulæ annorum septem, includens in illis quadringentos et nonaginta annos. Postea vero cum effudissent sanguinem justum, amplius propitiatio veniæ non fuit peccatis Hierusalem, sed tradidit eam Deus in manus inimicorum suorum, qui eam diruerunt, subverterunt, et non reliquerunt in ea lapidem super lapidem, neque reliquerunt fundamenta ejus Domino, nec amplius dictum est filiis Edom quod acciperent retributionem, quia non ultra clamaverunt super Jerusalem, dicentes : « Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea[5]. » Sed Deus in dimidio diei suæ dimisit eis post quadringentos nonaginta annos, et sustulit peccata eorum, et deinde

[1] Luc. vi, 37. — [2] Marc. xi, 26. M tth. vi, 14, 15; xviii, 35. — [3] Luc. xvii, 34. — [4] Matth. xviii, 21, 22. Psalm. cxxxvi, 7.

diruit et subvertit Jerusalem, et tradidit eam in manus extraneorum. Propterea vivificator noster sic præcepit ut in una die homo fratri suo quadringenties et nonagies dimittat.

XIII. Non videatur tibi, charissime, intellectu difficile quod scripsi tibi : « In dimidio diei suæ » dimisit Deus Jerusalem, quia sic loquitur David in Psalmo octogesimo nono : « Mille anni ante oculos Domini tanquam dies hester- » na, quæ præteriit[1]. » Quia et doctores nostri sapientes sic dicunt, quod in similitudinem septem dierum positus est hic mundus a Deo, et in consummatione sex mille annorum dissolvetur mundus iste, et erit sabbatum Dei in similitudinem diei sabbati, qui est post sex dies. His autem consentanea sunt quæ significavit et indicavit nobis Salvator noster de die sabbati, dicens : « Orate, ut non fiat fuga ves- » tra in hieme vel sabbato[2]. » Et iterum Apostolus dicit : « Itaque relinquitur sabbatum Dei : festinemus ergo in- » gredi in illam requiem[3]. »

XIV. Cæterum quoad dimittenda aliorum peccata, Dominus noster orandi modum Discipulos suos docens, ait : « Dicite : Dimitte nobis peccata nostra, ut nos dimitti- » mus debitoribus nostris[4]. » Et alibi monet : « Cum offers » munus, et ibi recordatus fueris quod habes in mente » aliquod odium vel adversitatem contra fratrem tuum, » relinque munus tuum ante altare, et vade reconciliari » fratri tuo, et postea veniens offeres munus tuum[5]. » Ne forte dum adhuc orat homo, et dicit : « Dimitte nobis pec- » cata nostra, ut et nos dimittimus debitoribus nostris, » capiatur in verbo oris sui, et dicat ei ille qui recepit orationem : « Si tu non dimittis fratri tuo, quomodo ego di- » mittam tibi ? » Et remanebit oratio tua hic in terra. Et insuper perhibet nobis Dominus exemplum viri qui voluit

[1] Psal. LXXXIX, 4. — [2] Matth. XXIV, 20. — [3] Hebr. IV, 9. — [4] Matth. VI, 12. — [5] Idem, V, 23. 24.

rationem ponere cum servis suis[1]. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei servus qui debebat ei decem millia talenta : et cum eum premeret, et stringeret, ut exsolveret quidquid ei debebat, ille autem cum non posset reddere debita Domino suo, jussit Dominus absolvi eum, et dimisit ei omne debitum. Sed servus ille in malitia sua non recordatus est indulgentiæ Domini sui, et non meminit quam multam et magnam misericordiam clementiæ suæ ipsi exhibuisset : nam egressus inde invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios; et tenens suffocabat eum dicens : Redde illico quod debes mihi : et non admisit preces socii sui, qui rogabat eum, sed tenens duxit eum et clausit in domo carceris. Et quia ille non dimisit conservo suo modicum, cum ipsi dimissum fuisset multum, traditus est in manus tortorum, ut torquerent eum donec redderet universa quæ debebat domino suo. His autem talia Christus subjungit : « Sic et Pater meus cœ» lestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri » suo[2]. »

XV. Vide etiam, dilectissime, quanti charitatem faciat Apostolus : « Æmulamini autem, *ait,* charismata meliora[3]. » Deinde excellentiorem viam nobis demonstrans, inquit : « Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et » habuero omnem scientiam, et fidem, ita ut montes trans» feram, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si » distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et » tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem » non habuero, nihil mihi prodest[4]. » Et addit : « Charitas » patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non est » ambitiosa ; charitas non inflatur ; charitas non confundit, » non quærit suam solam requiem, sed multorum ; charitas » omnia suffert, omnia sustinet ; charitas nunquam exci-

[1] Matth. XVIII, 23. — [2] Ib. 35. — [3] I Cor. XII, 31. — [4] Id. XIII, 2 et seq.

» dit[1]. » Iterum : « Charitas, *ait,* major est omnium[2]. » Exposuit et demonstravit Apostolus charitatem, si cum fide comparetur, excellentiorem esse, et per eam spiritualia firmari ac stabiliri ædificia. Et rursus ostendit quod prophetia charitate fundatur, mysteria charitate manifestantur, et scientia charitate perficitur, et fides charitate firmatur. Si quis autem fide Domini montes transferat sine charitate, ei nihil prodest : si quis omnes facultates suas dederit, si dona seu eleemosynæ non distribuantur charitate, nihil ei prodest : si quis tradat corpus igni comburendum pro nomine Domini sui, si id sine charitate fiat, nihil ei prodest. Præterea ostendit longanimitatem et benignitatem, qua non æmulatur aliquis fratri suo, apud eum inveniri qui plenus est charitate; patientiam vero et humilitatem per eamdem charitatem stabiliri. Fides ergo ponitur supra petram ædificii; et charitas compago est ædificii, quoniam per eam firmiter colligantur parietes templi. Et si rima aliqua inveniatur in compagine ædificiorum, tota domus corruens subvertitur; ita etiam si in dilectione inveniatur hæsitatio, omnis fides decidit et subvertitur. Et fides nequit expellere et removere æmulationem et contentionem, donec adveniat et pacifica ingrediatur charitas : sicuti nequit perfici ædificium, nisi compagine colligatur.

XVI. Cum autem demonstraverim tibi, charissime, charitatem excellentiorem esse omnibus virtutibus, nunc autem ostendam quod per eam primi illi justi perfecti extiterunt. Manifestum est de Moyse, qui se pro populo suo de libro vitæ delendum obtulit, dummodo populus non deleretur[3]. Et cum turmatim irruentes et obsidentes circumdedissent eum ut lapidarent, Moyses preces offerebat Deo pro eis, ut salvarentur[4]. David etiam dilectionis exemplum præbuit, quando persequebatur eum Saül quærebatque

[1] 1 Cor. XIII, 2 et seqq. — [2] Ib. — [3] Exod. XXII, 10, 32. — [4] Num. XIV, 10.

perdere animam ejus. Ostendit, inquam, charitatem David; cum enim Saül traditus esset in manus suas, non occidit eum, sed reddidit bonum pro malo[1]. Et ideo non defuit bonum domui ejus. Domui autem Saül, quia reddidit malum pro bono, non defuit malum : et invocavit Deum, et non est exauditus, et cecidit gladio Philisthæorum et : planxit David amare super eum, et anticipans, multo prius quam daretur, implevit mandatum Domini nostri dicentis : « Diligite inimicos vestros, dimittite et dimittetur vobis; » ita et David dilexit et dilectus est, dimisit et dimissum est ei. Et similiter Eliseus parem dilectionem exhibuit : cum enim hostes advenissent, et appropinquarint ad capiendum et affligendum eum, ille benefecit eis, quippe panem et aquam posuit ante eos, et dimisit eos a se in pace[2]. Et impletum est verbum quod scriptum est : « Si » esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi[3]. » Et Jeremias propheta pro illis qui projecerunt eum in foveam, et assidue cruciaverunt eum, preces offerebat coram Deo. Imitationem utique horum operum, quæ prius facta sunt, docuit nos Dominus Salvator noster, præcipiens ut diligamus nos invicem, et oremus pro his qui oderunt nos. Si autem inimicos nostros præcepit nobis ut diligamus, et ut pro illis qui oderunt nos oremus, quis poterit stare et respondere in die magna? quoniam ecce fratres nostros et membra nostra odio prosequimur. Nam de corpore Christi omnes nos sumus, et membra ex membris ejus. Itaque ille qui odit unum ex membris, a toto corpore alienatus est; et qui odit fratrem suum, separatus est a filiis Dei.

XVII. Fecit prius Salvator noster quod suos docuit, et re præstitit quod deinde verbis inculcavit : nam reconciliavit inimicitiam nostram cum Patre, et adeo dilexit nos

[1] 1 Reg. XXIV, 4, 5 et seq.; XVI, 7, 8 et seq. — [2] 4 Reg. VI, 22. — [3] Id. XXV, 21.

ut innocentiam suam traderet pro noxiis, et beneficus pro improbis contumelias susciperet, et dives pro nobis pauper fieret; et cum esset vita, ut pro mortuis moreretur, et morte sua vivificaret mortalitatem nostram. Et Filius Domini omnium Dominus pro nobis suscepit similitudinem servi[1]. Et ille cui omnia parebant, subditus factus est, ut nos absolveret a servitute peccati[2]. Et pro nimia charitate sua dedit nobis beatitudinem pauperum spiritu, et nuntiavit pacificis quod fient fratres ejus et vocabuntur filii Dei[3]. Et promisit humilibus quoniam ipsi possidebunt terram. Et annuntiavit lugentibus quoniam ipsi consolabuntur. Et prædixit esurientibus quoniam saturabuntur in regno ejus; et qui lugent, quod lætificabit eos donis suis. Et promisit misericordibus quoniam ipsi misericordiam consequentur; et qui sunt mundi corde, quoniam Deum videbunt. Et nuntiavit eis qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsi ingredientur in regnum cœlorum. Et iis qui persecutionem passi fuerint pro nomine ejus, promisit beatitudinem, et requiem in regno suo. Et reparavit terrenam naturam nostram, et fecit nos sal veritatis, et eripuit nos ab esu Serpentis[4]. Et vocavit nos lucem mundi, salvavit nos a potestate tenebrarum[5]. Et ex malis bonos, et amabiles ex abominabilibus fecit[6]. Et fecit nos participes viri boni qui profert bona ex thesauro suo; et eripuit nos ab eo qui eruit malitiam e corde suo. Propter nimiam charitatem suam sanavit plagas infirmorum[7]; et curavit servum Centurionis propter ejus fidem[8]; et fecit virtute sua ut silerent et quiescerent fluctus maris[9]. Et fugavit legionem dæmonum gratia sua[10]. Et misericordia sua sanavit filiam archisynagogi[11]. Et pa-

[1] Phil. II, 6, 7. — [2] Luc. II, 51. — [3] Matth. v, 3 et seqq. Luc. VI, 20 et seqq. — [4] Matth. v, 13. Marc. IX, 49. Luc. XIV, 34. — [5] Matth. XIV, 14. — [6] Id. XIII, 52. — [7] Id. IX, 35. Luc. VI, 19. — [8] Matth. VIII, 5. Luc. VII, 1. — [9] Matth. VIII, 26. Marc. IV, 39. Luc. VIII, 24. — [10] Matth. VIII, 31. Marc. V, 9. Luc. VIII, 30. — [11] Matth. IX, 23.

riter mundavit mulierem ab immunditia sanguinis[1]. Aperuit oculos duorum cæcorum, qui ad eum accesserunt[2]. Et dedit Discipulis potestatem contra omnes dolores et infirmitates[3]. Et per eos revocavit nos a via Gentium et Samaritanorum, et dedit nobis virtutem benignitate sua, ne timeamus cum steterimus coram principibus hujus mundi[4]. Et divisiones gratiarum misit in terram ad spiritualem multorum ædificationem[5]. Et pepercit propter misericordiam suam mulieri consciæ magnorum peccatorum[6]. Et dignos nos fecit per gratiam suam, ut fiamus templum habitationis ejus, servando corpora nostra diligenter ab omni inquinamento; et expulit a nobis spiritum immundum, et fecit nos habitaculum deitatis suæ[7]. Et seminavit semen suum bonum, ut demus fructum centesimum, sexagesimum, et trigesimum[8]. Et positus est ille in mundo tanquam thesaurus qui absconditus sit in agro[9]. Et ostendit magnitudinem virtutis suæ, quando projecerunt eum ex alto in profundum, et nihil prævaluerunt in eum[10]. Et saturavit afflictos esurientes ex quinque panibus et duobus piscibus; et manducaverunt ex illis quinque millia virorum præter mulieres et pueros[11]. Et manifestavit magnitudinem illius qui eum misit. Et propter nimiam charitatem suam exaudivit mulierem Chananæam gentilem Syram, et sanavit filiam ejus ab infirmitate[12]. Et secundum potestatem illius a quo missus est, solvit etiam linguam viri muti et surdi[13]. Et cæci viderunt lucem, et benedixerunt illum a quo missus est[14]. Et cum ascendisset in montem orare, ejus luce victi

[1] Matth. IX, 20. Marc. V, 22. Luc. VIII, 43. — [2] Matth. IX, 27. — [3] Id. X, 1. Marc. III, 15; VI, 7. Luc. IX, 1. — [4] Matth. X, 19. Luc. XII, 11. — [5] Eph. IV, 8, 12. — [6] Joan. VIII, 11. — [7] 1 Cor. III, 16, 17; VI, 19. 2 Corinth. VI, 16, 17, 18. — [8] Matth. XIII, 3. Marc. IV, 3. Luc. VIII, 5. — [9] Matth. XIII, 44. — [10] Luc. IV, 29, 30. — [11] Matth. XIV, 19. Joan. VI, 9. — [12] Matth. XV, 22. Marc. VII, 24. — [13] Ibid. 32. — [14] Matth. IX, 30, 31; XX, 30. Marc. X, 46. Luc. XVIII, 35, 43.

et superati sunt splendores solis [1]. Et manifestavit excellentiam virtutis suæ in adolescente quem vexabat spiritus immundus, qui secundum jussum verborum ejus aufugiens ab illo exivit [2]. Et proposuit nobis exemplum ad imitandum, ut efficiamur similes parvulis, et intremus in regnum cœlorum [3]. Dixit, et docuit de parvulis, ne quis eos spernat; quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est [4]. Et insuper restituit perfectam sanitatem viro paralytico qui triginta octo annos egerat in infirmitate sua, et multiplicavit commiserationem clementiæ suæ erga eum, et sanavit ipsum [5]. Et jussit nobis ut relinquamus hunc mundum, et ad eum convertamur [6]. Et manifestavit nobis, quod ille qui diligit hunc mundum non potest placere Deo, exemplo viri illius divitis qui confidebat in divitiis suis [7], et exemplo viri qui sumptuose et splendide quotidie epulabatur, et moriens sepultus est in inferno [8]. Et conduxit nos tanquam operarios, ut laboremus in vinea sua [9]; quoniam ipse est vinea veritatis. Totum hoc quod fecit Salvator noster, propter nimiam charitatem suam præstitit nobis, ut et nos fiamus socii et participes passionis Christi, et habentes dilectionem ad invicem, impleamus hæc duo mandata, in quibus pendent universa Lex et Prophetæ.

[1] Matth. XVII, 2. Marc. IX, 2. Luc. IX, 29. — [2] Matth. XVII, 14. Marc. IX, 16. Luc. IX, 34. — [3] Matth. XVIII, 3. — [4] Ibid. 10. — [5] Joan. V, 5 et seqq. — [6] Matth. X, 37; XI, 28. Luc. XIV, 25. Joan. — [7] Luc. XII, 16. — [8] Id. XVI, 19. — [9] Matth. XIX, 1.

# SERMO TERTIUS.

## DE JEJUNIO.

I. Jejunia sancta Deo accepta sunt, et manent in deposito tanquam thesaurus in cœlo; et sunt arma contra Malignum, et scutum contra acuta ignea tela hostis. Non hæc ego quasi aliquid ex mente ac sententia mea profero; sed jam ante sacræ Litteræ id nos docuerunt, quæ testantur jejunia semper adjumentum eis præstitisse qui pie sancteque jejunaverunt. Jejunia itaque, charissime, non in eo solum sita sunt, ut quis ex pane et aqua vivat; sed multis aliis modis observantur. Est enim qui abstinet a pane et aqua, donec esuriat et sitiat. Et est qui abstinet ut perfectus fiat in castitate, et esurit et non manducat, et sitit et non bibit : et hoc jejunium præ omnibus excellens est. Abstinet alius a carne, et vino, et variis cibis. Et est qui verbis abstinet, ponendo ostium ori suo ne deficiens noxia verba proferat. Est etiam qui abstinet, ne in peccatorum congeriem prolabatur, ac profligetur. Et est qui abstinet a possidendis facultatibus, ut in laboribus manuum se exerceat. Et est qui abstinet lecto, ut sit vigil ad orandum. Et est qui abstinet rebus hujus sæculi, ne prosternatur ab inimico. Et est qui abstinet a mundana lætitia, et manet in luctu, ut Domino suo in labore certaminis placeat. Et est qui complectitur hæc omnia, et facit ex eis unum jejunium. Cum abstinet aliquis cibis donec esuriat, quamdiu abstinet ab esca et potu, vocátur ille jejunans : si autem modicum manducet et bibat, solutum est ejus jejunium. Itaque non ille jejunare dicendus est qui identidem aut particulatim

aliquid ex iis quidem a quibus abstinere debet assumit, multoque minus qui manducat et bibit ex gula. Si contingat igitur ut quis propter esuriem solvat jejunium suum, non magnum ejus peccatum est; magnum autem et grave illius est qui, cum jejunium voverit, incipit particulatim solvere : graviter enim et enormiter is peccat, quia datam Deo fidem violat, et ab eo longe recedit.

II. Audi, charissime, exempla sanctorum jejuniorum. Primo Abel observavit jejunia sancta; et Enoch, quia placuit Deo; et Noë, quia servavit puritatem in gente corrupta; et Abraham, ob fidem suam; et Isaac, quia mandata Dei custodivit; et Jacob, propter benedictiones Isaac quas accepit, et quoniam vidit et novit Deum; et Joseph, quia fidelis fuit : horum omnium sanctitas fuit perfectum jejunium coram Deo. Si autem non adsit sanctitas cordis, jejunium non est acceptabile. Attende, et recordare, dilectissime, hæc videlicet, sanctificare cor suum, et frenare linguam suam, et abstinere a malis operibus, esse jejunia præstantiora illo de quo supra locutus sum, nempe abstinere ab escis. Non licet homini miscere mel cum felle : si quis igitur abstineat a pane et ab aqua, non immisceat ille jejunio suo imprecationes maledictionum, et detractiones blasphemiæ. Unum ostium est domus tuæ, et ipsa est templum Dei : profecto nefas est, et omnino non decet, o homo, ut per ostium per quod ingreditur Rex extrahas stercus aliasque sordes; sed ut abstineas ab omni immunditia, et tunc sumas corpus et sanguinem Christi; cauteque custodias os tuum, per quod Rex ingressus est, neque amplius tibi licet, o homo, educere per os tuum verba immunditiæ. Attende quod dixit Dominus vivificator noster : « Quod » intrat in hominem non coïnquinat hominem; sed quid- » quid exit ab homine, illud coïnquinat eum[1]. » Servavit

[1] Matth. xv, 11.

quidem Moyses jejunium cum sanctitate eo tempore quo ascendit in montem, et revertens Legem populo suo attulit. Nam confortatus est jejunio suo per quadraginta dies et quadraginta noctes ; et accepit gloriam magnam quando descendit, sedit enim super faciem ejus gloria Domini, et avertit furorem iræ Domini Dei a populo suo, et non perierunt. Quemadmodum jejunavit Moyses, jejunavit et Elias vir fortis, cum persequeretur eum Jezabel et fugiens profectus est usque ad montem Horeb, jejunio quadraginta dierum in locum in quo locutus est Deus cum Moyse [1]. Illic apparuit ei Dominus Deus, et præcepit ei dicens : « Vade, » et unge tu Jehu filium Namsi, et Hazaël, ut sumant vin- » dictam ex filiis Israël ; et Eliseum filium Saphat, ut stet in » loco tuo [2]. » Et lætatus est apparitione Domini sui, quam jejunio promeruit, sicut et lætatus est Moyses, qui, cum bis jejunasset quadraginta diebus, descendit cum tabulis Testamenti digito Dei scriptis. Isti autem duo viri in jejuniis suis sancti et perfecti fuerunt.

III. Præterea ostendam tibi jejunium iniquitatis, et effusionis sanguinis, quod non est acceptabile. Id quidem imperavit Jezabel, quæ deturbavit Achab et subvertit Israël ; scripsit litteras nomine Achab, et misit ad Jezrahelitas viros iniquos, et qui iniquæ Jezabel auscultabant. Et in illis iniquitatis litteris ita locuta est : « Prædicate jeju- » nium, et adducite, et facite sedere Naboth inter prima- » rios populi ; et facite sedere duos viros iniquos contra » eum, et testimonium perhibeant de eo et dicant : Blas- » phemavit Naboth Deum et regem ; et lapidetur et moria- » tur [3]. » Quod autem, charissime, eis scripsit ut duo viri testimonium dicerent contra Naboth, veluti ex sanctæ Legis præscripto id eis præcepit : namque in Lege scriptum est ut nullus moriatur ex ore unius testis, sed duorum [4].

[1] 3 Reg. XIX, 8.—[2] Ib. 15, 16, 17.—[3] Id. XXI, 9, 10.—[4] Dan. XVII, 6; XIX, 15.

Item scriptum est : Manus testis erit prima ad lapidandum eum, et deinde totius populi[1]. Et insuper eis jussit ut testimonium perhiberent eum blasphemasse Deum et regem : et hoc etiam veluti ex Legis mandato præcepit, quoniam Lex dicit : « Omnis qui blasphemaverit nomen Dei, lapida- » bitur; quia ausus est maledicere et blasphemare nomen » magnum[2]. » At Jezabel curæ non erat nomen Dei, sed id faciebat propter avaritiam Achab, qui concupiverat vineam Naboth ; non enim meminerat Achab quod scriptum est in Lege : « Non concupisces tu quidquid est proximi tui[3]. » O Jezabel, quæ subvertisti Achab, quinam Deus est ille quem blasphemavit Naboth ? num cujus tu destruxisti altaria ? an ille cujus interfecisti Prophetas ? Et quem regem blasphemavit ? forsan eum qui sibi arrogavit et voluit rapere hæreditatem Naboth ? Sed tu, Jezabel, quare noluisti audire illud quod scriptum est in principio mandatorum Legis : « Non adorabis Deum alienum[4]. » Jezabel enim adorabat idolum Baal. Et iterum legitur : « Non effundes » sanguinem justum in terra quam dabit tibi Dominus Deus » tuus[5]. » O Jezabel, debebas mente recolere quod scriptum est : « Terræ in qua effusus fuerit sanguis, non erit » propitiatio, sed effundetur sanguis ejus in ea[6]. » Timendum tibi erat id omne, o Jezabel, priusquam zelares zelo iniquitatis, quando asseruisti Naboth blasphemasse Deum, quem non blasphemaverat. Nam etiam alibi in Scriptura dicitur : « Quicumque effuderit sanguinem, fundetur san- » guis illius[7]. » Verumtamen Jezabel iniqua provocatrix fudit sanguinem justum Naboth ; propterea in loco in quo effusus est sanguis justus in jejunio iniquitatis, quod prædicari jussit, effusus est sanguis Jezabel, et comederunt eam canes. Sanguinem etiam Achab, quia audivit consilium

[1] Deut. XIII, 9; XVII, 7. — [2] Lev. XXIV. — [3] Exod. XX, 17. Deut. V, 21. — [4] Exod. XX, 3. — [5] Deut. XIX, 10. — [6] Reg. III, 21. — [7] Genes. IX, 6.

ejus, canes linxerunt; et ita Jezabel elegit, et accepit sibi ex Lege quod sibi prodesset in ruinam animæ suæ, cum nulla in re esset illa Legem servatura. Vos, viri iniqui Jezrahelitæ, quomodo vel quare admisistis litteras in quibus scriptum erat jejunium iniquitatis, et testimonium injustitiæ et effusionis sanguinis? quonam tempore auditum est a vobis, jejunatum fuisse ad effundendum sanguinem justum? quare vos non rejecistis litteras iniquitatis, et testimonium injustitiæ? Propterea justo judicio sumpta est vindicta retributionis de Achab, et de Jezabel propter justum sanguinem Naboth, quem fuderunt : et justo etiam judicio ultio sumpta est de Jezrahelitis, quia auscultaverunt Jezabel. Prophetavit de eis Osea, dicens : « Adhuc modicum, » sumam vindictam sanguinis de Jezabel per manum Jehu[1]. » Et quidem Jehu vindicavit sanguinem Naboth in Jezabel, et in Achab, et in domum ejus, et Jezrahelitas percussit, interfecit, et occidit ore gladii sui in domo idoli Baal[2]. Et advenit super eos sanguis Naboth, sicut et dixit Jehu in die et in hora redditionis et retributionis vindictæ; inquit enim : « Vespere ego vidi, ait Dominus, sanguinem » Naboth, et sanguinem filiorum ejus, ut fiat in eo vindicta » retributionis[3]. » Et ita jejunium quod observaverunt Jezrahelitæ, fuit in condemnationem.

IV. E diverso observaverunt Ninivitæ jejunium sanctum, etiamsi Jonas prædixisset eis subversionem; sic enim scriptum est : « Cum audissent illi prædicationem Jonæ, » prædicaverunt jejunium quotidianum et orationes conti- » nuas, et sederunt super saccum et cinerem, et expolia- » verunt se vestibus mollibus, et pro illis induti sunt sacco : » fecerunt infantes abstinere ab uberibus matrum suarum, » et ovem et bovem pascuis[4]. » Et insuper additur nuntiatum fuisse regi Ninivitarum : « Et quod rex surrexit de solio

[1] Ose. I, 4. — [2] 4 Reg. IX, 10. — [3] Ibid. 26. — [4] Jon. III, 5.

» suo, et stetit, et abstulit coronam a capite suo, et indutus » est sacco, et sedit in cinere[1]. » Et proclamare fecit in Ninive citate sua, dicens : « Ex ore regis et principum ejus, homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam omnino non bibant; sed » operiantur saccis homines, et jumenta simul, et clament » ad Deum precibus ex omni corde suo. Fortasse placabitur Deus, et ignoscet nobis, et avertat a nobis furorem » iræ suæ, ne pereamus[2]. » Et scriptum est : « Respexit » Deus, et vidit opera eorum, quia conversi sunt de via sua » mala. Et pœnituit Deum super vehementia mandati sui, » et transtulit ab eis iram furoris sui, et non perdidit eos. » Et non dicitur : Respexit Deus, et vidit jejunia eorum, quia abstinuerunt a pane, et ab aqua, et quia induti sunt sacco, et sederunt in cinere; sed dicitur, « quia conversi sunt de » via sua mala, et de malitia operum suorum. » Porro rex Ninivitarum ita edici et promulgari jussit : « Et convertatur omnis homo a via sua mala, et a rapina quæ est in » manibus ejus. » Et fuerunt accepta jejunia quæ servaverunt cum sanctitate, et placuerunt Deo; et non fuerunt eorum jejunia instar jejunii Jezrahelitarum, qui in jejunio sanguinem justum fuderunt.

V. In omnibus jejuniis, charissime, præstantior semper est abstinentia a peccatis, quam abstinentia a pane et aqua; et potior est quam humiliare seipsum, et contorquere collum suum quasi circulum; et melior est quam indui sacco, et sedere in cinere, sicut dixit Isaias propheta : « Hominem » abstinere a pane et aqua, et indutum sacco sedentem» que in cinere plangere, utique res est laudabilis, pul» chra et decens : sed multo melius est hominem humiliare » animam suam, et solvere nodum cordis, nempe injusti» tiam, et dilacerare scripturam iniquitatis[3]. » Et deinde :

[1] Jon. III, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Isai. LVIII, 5.

« Tunc temporis orietur lumen ejus quasi sol, et current » ante eum jura justitiæ, et erit ille quasi hortus irriguus » plenus undique ubertate, et fructuum copia usque ad » summum ; et erit sicut fons aquarum, cujus non deficiunt » aquæ[1]. » Non autem, quando aliquis jejunat, erit similis hypocritis, qui humiliant se et tristem faciem suam ostentant, ut manifestum faciant jejunium suum[2].

VI. Ecce etiam auctores hæreseon, fraudulenti inventores malorum, jejunant, et permanent in peccatis suis. Nullus autem Dominus est, qui mercedem eis retribuat. Quis enim est qui det mercedem hæreticæ sectæ Marcionis? cum ille Conditorem nostrum beneficum non fateatur : vel quis dabit mercedem retributionis sectæ Valentinianorum? quoniam Valentinus multos conditores prædicat animæ suæ, et dicit quod Deus perfectus nullius unquam ore enarratus est, et nullius hominis cogitationes assecutæ sunt eum : vel quis dabit retributionem servili sectæ Manichæorum, qui inhabitantes sedent in tenebris, instar viperarum, et basiliscorum, et serviant astrologiæ, ac magicis artibus sectæ Chaldæorum, erroribus Babylonicæ terræ?

VII. Ecce hi omnes jejunant, et non sunt acceptabilia jejunia eorum. Ad hæc audi, charissime, et ostendam tibi jejunia acceptabilia, quæ servaverunt Mardochæus et Esther : jejunia enim eorum fuerunt clypeum salutis universæ genti populi sui; et contrita est jactantia superbiæ Aman, qui eos angebat, et iniquitates ejus conversæ sunt in caput suum, et conversæ sunt in eum cogitationes iniquitatis suæ, et judiciis quibus voluit condemnare damnatus est, et qua mensura metiri voluit mensum est ei, et secundum cogitationes suas factum est ipsi, et funibus peccatorum suorum ligatus est : et gloriatus est, et superbivit in sublimitate sua, et nihil ei profuit; et versutia ipsius

[1] Isai. LVIII, 6 et seqq. — [2] Matth. VI, 5.

non salvavit eum; et quia astutus factus est in malo, in eodem captus est; et in superbia arrogantiæ suæ cecidit, et corruit, et gloria honoris ejus ablata est ab eo; et pulchritudo ætatis ejus corrupta est, et virtus potentiæ ejus infirmata est; et ictibus quibus voluit percutere percussus est, et vulneribus quibus voluit vulnerare vulneratus est. Etenim voluit ille interficere omnes Judæos qui erant sub potestate domini sui Assueri regis : sed fuerunt jejunia Mardochæi et Esther tanquam clypeum, et exceperunt acuta jacula iniqui Aman. Ipse autem in iniquitate sua implicatus est, et ensis interfector intravit in cor ipsius : et arcus quem tetenderat in iniquitate, confractus est, sicut scriptum est de impiis : « Gladius eorum intret in corda » ipsorum, et arcus eorum confringatur [1]. » Id totum evenit et impletum est super Aman, quando paravit crucis patibulum Mardochæo et filiis ejus. Pependit ex illa ipse Aman et ejus filii, et incidit in foveam quam fecit; et captio quam abscondit apprehendit pedes ejus; et laqueus ejus paratus est ipsi, et ipse incidit in instrumenta iniquitatis; et interitus ejus fuit in sæcula sæculorum.

VIII. Cur autem, dilectissime, Aman petiit gratiam a rege, ut perirent omnes Judæi? scilicet quia voluit vindicare filios gentis suæ, et delere nomen filiorum Israël, sicut et deleta est memoria Amalech sub cœlo. Remanserat enim ex Amalecitis Aman, sicut et scriptum est : « Aman filius » Amadati, qui erat de stirpe Agag [2]. » Cum adhuc in aula regis Assueri Aman in honore ac æstimatione esset, Mardochæus ad regiam januam quotidie morabatur pro Esther, quam sibi in filiam adoptaverat. Siquidem cum ad eum venissent, accipientes illam adduxerunt ad Assuerum regem, eique placuit præ omnibus virginibus æqualibus suis; et ingressa sedit in solio loco reginæ Vasthi : et Mar-

[1] Psal. xxxvi, 15. — [2] Esther, iii, 1.

dochæus quotidie summo mane veniebat, seduloque ad regium ostium assidebat. Aman vero erat dignitate secundus ab Assuero rege, et in toto ejus regno summo in pretio ac honore habebatur. Et quicumque morabatur ad ostium regis, videns Aman inclinabat se, et adorabat eum. Hac igitur capta occasione, voluit sumere vindictam de filiis populi gentis Mardochæi, ut ulcisceretur in eis Amalecitas, quia erat ipse ex gente Agag regis Amalecitarum [1], quem Saül ad Samuëlem adduxit, et Samuël propheta occidit coram Deo [2]. Et Mardochæus erat cognatus gentis Saül ex eadem tribu Benjamin ex filiis Cis [3]. Itaque quia Saül percussit et interfecit Amalecitas in ore gladii sui, ideo Aman voluit sumere vindictam gentis suæ de filiis Israël, et ulcisci mortem Agag in Mardochæo. Et insanum caput nesciebat quod definitum fuerat eo tempore de Amalech, ut deleretur memoria ejus sub cœlo. Scriptum est enim dixisse Deum in diebus sanctis ad Moysen : « Dic tu Josuë filie Nave, ut eligat sibi viros pugnatores, et ineat certamen » belli contra Amalech [4]. » Et cecidit, et subversus est Amalech in signo Crucis, cum Moyses brachia extenderet. Et cum interfecti et interempti essent omnes qui steterant in acie, superstites fuerunt qui in domibus suis remanserant ; tum Dominus Moysi : « Scribe, *inquit,* hoc ad monimentum » in libro, et trade in manum Josuë filii Nave, delens enim » delebo ego memoriam Amalech sub cœlo [5]. » Et hac longanimitate sua utens Deus pepercit Amalecitis, ut si forte, iis auditis quæ scripta erant in Libris sanctis, converterentur ad eum, et ipse eorum misereretur. Nam si conversi fuissent ad eum, fuisset locus eorum pœnitentiæ, sicut datus est locus pœnitentiæ Ninivitis, quando prædicata fuit super eos subversio, et ostenderunt illi pœnitentiam, et aversus

[1] Ether, III, 1. — [2] 1 Reg. XV, 32. — [3] Esther, II, 5. — [4] Exod. XVII, 9. — [5] Idem, XII, 14.

est ab eis furor iræ; et sicut porrecta est dextera Gabaonitis, et non fuerunt interfecti cum Chananæis[1]; et sicut data est manus Rahabæ, quia credidit[2]. Ita Amalecitarum admissa fuisset pœnitentia, si credidissent : nam per quadringentos annos Deus eis pepercit; hoc autem universo tempore elapso, cum vidisset eos non fuisse conversos, irruit super eos furor iræ suæ. Et cum ea tempestate in dominio regni firmatus esset Saül, dixit Deus ad Saül per os Samuël : « Recordor quidquid operatus fuerit contra vos » Amalech, cum exiretis vos a terra Ægyptiorum, quo» modo obviam venerit gladio hostili; nunc vade tu, et in» terfice iniquum Amalech in ore gladii[3]. » Et profectus est Saül, et interfecit Amalecitas. Sed quia fecit Saül misericordiam super Amalech, dimittens eos qui cladi superfuerunt, ideo ejectus est e regno suo. Et ipse Aman erat ex iis qui reliqui fuerunt de gente Agag, quibus pepercit Saül.

IX. Reprehendunt autem aliqui Mardochæum, dicentes : « Quare non assurgebat Aman venienti, cum eum vi» deret ? quoniam tum in toto regno gloria et honore omni» bus præcellebat. Et quid ei nocuisset si honorasset eum ? » Imo si Mardochæus surrexisset Aman venienti, ille non » cogitavisset hæc mala super Mardochæum et gentem » ejus. » Ita loquitur qui rem totam bene cognitam perspectamque non habet. Mardochæus, uti vir justus et in Lege doctus, ita se gessit respiciens ad Saül parentem suum, qui eo quia fecisset misericordiam super Agag parentem Aman, ejectus es te regno, et venit ira super eum : quare si Mardochæus honoravisset Aman, ira furoris facta fuisset super ipsum, sicut facta fuit super Saül. Nam Amalech, charissime, cum exercitu instructo ad pugnam ante omnes alias gentes obviam venit Israël. Hujusmodi vero consilium cœpit Amalech exeundi, præliandi, interficien-

[1] Jos. IX, 15. — [2] Id. II, 12; VI, 17. — [3] 1 Reg. XV, 2.

dique filios Jacob, ut aboleret benedictiones Isaac, vehementer veritus ne cogeretur servire filiis Jacob. Etenim sic dixit Isaac ad Esaü : « Jacob fratri tuo servies; si postea » conversus fueris et pœnituerit te, auferetur jugum ejus » a cervice tua[1]. » Siquidem sciendum est Amalech filium fuisse concubinæ Eliphaz filii Esaü[2], et noluisse obedire filiis Jacob. Cur autem, charissime, dixit Isaac ad Esaü : « Fratri tuo Jacob servies[3] ? » id modo tibi aperiam manifestumque faciam. Esaü enim accepit uxores ex filiabus Chanaan[4], cui mala imprecatus maledixit pater ejus Noë, dicens : « In servitute fratrum tuorum eris[5]. » Itaque cum scirent Abraham et Isaac quod Chananæi maledicti et execrati erant, non acceperunt uxores neque sibi neque filiis suis e filiabus eorum, ne maledictum semen Chanaan misceretur cum semine Sem benedicto a Noë. Propterea Amalech filius Eliphaz filii Esaü, abolere volens maledictiones Noë et benedictiones Isaac, arma movit, et pugnavit contra filios Israël[6]. Et Deus tum juste decrevit de Amalech, ut deleretur memoria ejus per filios Rachel[7]. Primus enim inivit contra eum pugnam, certavitque Josuë filius Nave, ex cognatione Joseph[8]. Et deinde ex filiis Benjamin Saül. Reliquias vero Amalecitarum contrivit et perdidit Mardochæus jejunio suo. Ex omnibus igitur filiis Esaü Amalech voluisse bellum gerere contra filios Jacob, et memoriam ejus prorsus deletam fuisse, audisti : observa autem quomodo jejunio Mardochæi et Esther deturbatus est Aman e dignitate sua, et deletæ et abolitæ sunt reliquiæ Amalecitarum, et accepit Mardochæus honorem gloriæ Aman, et constitutus est Dominus et princeps in universo regno regis Assueri; et Esther loco Vasthi regina facta est[9].

[1] Genes. XXVII, 40. — [2] Id. XXVI, 10, 12. I Paral. I, 35. — [3] Gen. XXVII, 40. — [4] Id. XXXVI, 2. — [5] Id. IX, 25. — [6] Ibid. 26. — [7] Exod. XVII, 14. — [8] Deut. XV, 19. — [9] Esther, II, 17.

X. Daniel quoque jejunavit tres hebdomadas pro populo gentis suæ[1], ne aliud tempus servitutis in terra Babyloniorum super septuaginta annos adderetur. Et per jejunium viginti et unius dierum exaudita est oratio ejus coram Deo. Et quidem eodem plane tempore surrexit Gabriel : ipse enim erat qui suscipiebat quotidie orationes ejus. In subsidium autem et in adjutorium Gabriel venit etiam Michaël princeps; et restiterunt ambo principi Persarum viginti et uno diebus, et opem tulerunt Danieli propter ejus jejunia. Id scito, charissime, Gabrielem esse qui offert preces coram Deo. Ideo, cum oravisset Daniel, venit ad eum Gabriel, et corroboravit et confortavit eum, dicens : « Exauditæ sunt preces tuæ coram Deo, et ego veni juxta verba tua : confortare, vir optabilis[2]. » Et orante Zacharia venit etiam ad eum Gabriel, ut nuntiaret nativitatem Joannis, dicens : « Exauditæ sunt preces tuæ coram Deo[3]. » Ille preces etiam Mariæ obtulit coram Deo, et annuntiavit ei nativitatem Christi, inquiens : « Ecce invenisti tu gratiam et misericordiam coram Deo[4]. » Sed quomodo invenit illa gratiam et misericordiam coram Deo, nisi per jejunia et preces? Gabriel enim suscipiebat preces sanctas, et offerebat coram Deo. Michaël vero princeps et dux fuit filiis Israël; hic est ille de quo dixit Deus ad Moysen : « Ecce Angelus meus præibit ante faciem tuam, et interimet habitatores terræ[5]. » Et hic ipse est qui apparuit jumento Balaam, cum iret ut malediceret Israël. Hic etiam est qui apparuit Josuë filio Nave, habens gladium nudum in manu, et stabat in campo Jericho civitatis : et Josuë cum eum vidisset, veritus an esset unus ex inimicis suis : « Ex nobis es, *inquit,* an ex hostibus nostris? » Respondit ei Michaël : « Ego sum dux exercitus Dei, et nunc veni[6]. » Ipse

[1] Dan. x, 2. — [2] Ib. 12. — [3] Luc. I, 13. — [4] Ibid. 30. — [5] Ezech. XXIII, 23; XXXII, 34; XXXIII, 2. — [6] Jos. v, 13.

autem subvertit murum civitatis Jericho coram Josuë filio Nave [1]. Et insuper interfecit coram eo unum supra triginta reges [2]. Et hic interfecit millia millium exercitus Æthyopum coram Asa rege [3]. Et hic percussit et interfecit in castris Assyriorum viros quasi centum octoginta quinque millia [4] precibus Ezechiæ regis, adjuvante eum Isaia [5], qui gloriosus fuit in Prophetis. Et cum filii Israël ducti essent captivi in Babylonem, et hic ipse Michaël cum eis abivit, et pro eis pugnabat [6]. Quare autem, dilectissime, Daniel unum supra et vinginti dies jejunavit [7], et orabat Deum, et deprecabatur, et ante hoc tempus non legitur eum jejunasse? Scriptum quidem est quod, eversa destructaque Hierusalem, septuagesimo anno post eversionem Daniel propheta preces obtulit coram Deo, ne scilicet ultra septuaginta annos tempus eorum commorationis in illa servitute protraheretur. Etenim, quemadmodum tempus a Deo prænuntiatum imminutum est generationi illi quæ fuit in diebus Noë; ita ampliatum et productum est filiis Israël in terra Ægyptiorum, diminutum vero filiis Ephraïm. Dubitavit autem Daniel ne forte pro peccatis populi permansuri essent illic plus quam septuaginta annos, quos prædi xerat Jeremias. Et adjuvabant eum Gabriel et Michaël [8] : Michaël quidem, ut ipsi quies esset in eis, cum reversi fuissent in regionem suam; Gabriel autem, ut multiplicaretur fructus orationis eorum in templo illo sancto, et frequentarentur sacrificia quæ offerrent quotidie coram Deo. At enim princeps regni Persarum nolebat ut separaretur sanctum semen Israël ab idololatra Persarum regno, quod illi a Deo commissum erat : nam quamdiu Israëlitæ erant illic, viri justi erant inter eos, et ille in ipsis lætabatur. Vide igi-

[1] Jos. VI. — [2] Id. XII. — [3] 2 Paral. XIV, 9 et seqq. — [4] 4 Reg. XIX, 35. 2 Paral. XXXII, 21. — [5] Isai. XXXVII, in fin. — [6] Dan. IX, 21. — [7] Ibid. 2. — [8] Id. X, 13, 21.

tur quantum valuerunt sancta et electa jejunia Danielis, ut amoverint captivitatem a populo suo, completis septuaginta annis. Dux autem castrorum nostrorum major est Gabriele, et excellentior Michaële, et fortior principe Persarum, quoniam ipse est Dominus Jesus Christus vivificator noster, qui descendit et assumpsit humanitatem nostram, passus est, et tentatus est in carne illa quam ex nobis accepit; qui et potest adjuvare eos qui tentantur. Et jejunavit ille pro nobis, et vicit adversarium nostrum, et jussit orare semper, ut per jejunii sanctitatem in sanctorum requiem perveniamus.

# SERMO QUARTUS.

## DE ORATIONE.

I. Sanctitas cordis est oratio excellentior omnibus orationibus quas alta voce aliquis effundat; et silentium adhibitum in pura mente majus est quam quælibet clamosa vocis elatio. Itaque, charissime, intende mihi cor tuum et cogitationes tuas, et audi virtutem orationum sanctorum, et vide quomodo, qua via et ratione clari et illustres virtute fuerint coram Deo primi justi per orationes suas, et quomodo sacrificium eorum per ipsam orationem fuerit sanctum et acceptabile. Illa enim sedavit diluvium, multiplicavit partus sterilium, et subvertit castra; illa manifestavit secreta; illa divisit mare; illa scidit Jordanem; illa inhibuit solis cursum, et stare fecit lunam; illa interemit coïnquinatos; illa descendere fecit aquas, et cœlum clausit; illa eruit a fovea, eripuit ab igne, salvavit e mari : virtutes enim ejus sunt multæ, et magnæ; quemadmodum et mul-

tæ sunt virtutes sanctorum jejuniorum. Itaque, sicut exposui in superiori sermone, et docui te quæ ad jejunia pertinebant, ita me non piget nunc de oratione sermonem instituere.

II. Primum omnium, ob cordis sanctitatem, fuit acceptum coram Deo sacrificium Abel, et fuit reprobatum sacrificium Caïn [1]. Sed quomodo et unde nobis compertum sit sacrificium Abel acceptum fuisse, et Caïn improbatum? et quomodo rescivit Abel quod acceptum fuerit sacrificium suum? e diverso Caïn quomodo intellexit munera sua rejecta fuisse? Id quoad potero, te docebo certumque reddam. Non ignoras, dilectissime, quod tum acceptum agnoscebatur sacrificium coram Deo, cum scilicet descendens ignis de cœlo illud consumebat. Cum autem obtulissent Abel et Caïn munera sua, descendit ignis vivus qui in ministerio erat ante Deum, et consumpsit munus Abel; et ad munus Caïn, quia non erat sanctum, non appropinquavit neque attigit. Et inde cognovit Abel quod acceptum fuerat sacrificium suum; contra autem Caïn intellexit spreta fuisse munera sua. Et id quidem merito evenisse testatus est fructus cordis Caïn, qui ostendit eum dolo plenum fuisse ad occidendum fratrem : nam quidquid conceperant cogitationes ejus, id operatæ sunt manus ipsius. Atque ita sanctitas cordis Abel fuit ejus oratio.

III. Nunc autem, charissime, exponam tibi quomodo in omnibus sacrificiis quæ accepta et grata Deo fuerunt, descenderit super ea ignis atque consumpserit. Cum obtulisset Manuë, pater Sampsonis, sacrificium, descendit ignis et assumpsit illud; et in eadem flamma elevatus est Angelus in cœlum, qui loquebatur cum eo [2]. Et Abraham, cum ei præceptum est, accepit vitulum triennem unum, et arietem triennem, et turturem, et columbam unam; et deferens in

[1] Gen. IV, 4. — [2] Jud. XIII, 20.

montem scidit, et posuit singula in altari quod subito illic ædificaverat; et fuit super eum horror tenebrosus, et descendit ignis, et transivit per medium divisionis hepatis, et comedit sacrificium [1]. Et quando sacrificia offerebantur in Tabernaculo, descendebat ignis et comedebat ea; et cum filii Aaron, Nadab et Abiu, ministerium negligerent et contemptim obirent, descendit ignis, ut solebat, in hora sacrificii, et non invenit sacrificium eorum in sanctitate oblatum, et ideo non appropinquavit: illi autem cum vidissent ignem non assumpsisse sacrificia, tulerunt ignem alienum, ut oblata consumeret, ne pœna mulctarentur a Moyse, quoniam ignis sacrificia non consumpserat: et quidem ignis alienus assumpsit sacrificia; sed ignis cœlestis descendit, et illico occidit eos [2]. Et glorificatus est Dominus, puniens contemptum cultus sui. Et cum murmurassent de Moyse ducenti et quinquaginta viri [3], et illicite obtulissent thuribula cum thymiamate, ignis mandatum accepit, et exivit a facie Dei, et occidit eos [4]; et sanctificata sunt thuribula eorum in animabus suis. Et rursus cum ædificasset Salomon templum sanctitatis, et obtulisset victimas et holocausta, descendit ignis de cœlo, et assumpsit adipes holocaustorum quæ erant super altare [5]. Et cum Elias obtulisset sacrificium, descendit ignis et assumpsit illud [6]: et fuit acceptabile sicut sacrificium Abel; sacrificia autem eorum qui colebant idola et Baal, spreta sunt sicut sacrificium Caïn. Hæc omnia sacrificia, quæ accepta fuisse per ignem significatum est, recensui, ut certum firmumque apud te esset quod paulo ante dixi, ignem assumpsisse sacrificium Abel.

IV. Audi nunc, dilectissime, de eadem oratione sancto-

[1] Gen. xv, 9. — [2] Levit. x, 1. Num. iii, 4; xxvi, 61. 1 Paralip. xxiv, 2. — [3] Num. xvi, 1, 2. — [4] Ibid. 35, 37, 38. — [5] 2 Paral. vii, 1. — [6] 3 Reg. xviii, 38.

rum, quot virtutes per eam factæ fuerint. Cum oravisset Abraham, reduxit quinque reges captivos; et orationibus ejus peperit sterilis; et virtute precum suarum accepit promissionem quod in semine suo benedicerentur gentes. Et Isaac ostendit virtutem orationis, quia oravit pro Rebecca, et illa genuit; et pro rege Abimelech, et ira Dei ab eo aversa est. Et pater noster Jacob oravit in Bethel, et vidit portam cœli, et scalam quæ elevabatur in excelsa[1]. Quod autem vidit Jacob, mysterium est de Domino nostro Jesu Christo : porta enim cœli est ipse Christus, sicut et dixit : « Ego sum ostium vitæ; omnis qui intrat per me, vivit in » æternum[2]. » Et David dixit : « Hæc porta Domini, justi » intrabunt in eam[3]. » Scala quoque mysterium Domini est, quia per eam elevantur et ascendunt homines justi ab humilitate in celsitudinem. Est etiam scala symbolum et figura Domini, qui erectus est in similitudinem scalæ. Et dicit Scriptura : « Dominus innixus stabat cacumini scalæ » desuper[4]. » Nam omnium Dominus Christus est, et sicut dicit B. Apostolus : « Caput Christi Deus[5]. » Vocavit autem Jacob nomen loci, « Domum Dei[6]; » et erexit illic titulum lapideum in testimonium, et fudit oleum super eum. Quod mystice fecit, significans fore ut lapides susciperent unctionem. Gentes enim, quæ crediderunt in Christum, unctæ sunt; sicut et prædixit de illis Joannes inquiens : « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abra- » hæ[7] : » et ita in oratione illa Jacobi vocatio gentium præmonstrata fuit.

V. Considera, charissime, quot mysteria abscondita erant in visione quam vidit Jacob : vidit portam cœli, quæ est ipse Christus; et vidit scalam, mysterium crucis : unxit titulum lapideum symbolum[8], et figuram gentium; et vo-

[1] Gen. XXVIII, 12. — [2] Joan. X, 9. — [3] Psal. CXVII, 20. — [4] Gen. XXVIII, 13.— [5] I Cor. XI, 3. —[6] Gen. XXVIII, 18. —[7] Matth. III, 9. —[8] Gen. XXVIII, 22.

vit dare decimas Leviticas, cum in ipso absconditi essent qui dabant, et qui accipiebant decimas et fructus primitiarum. Etenim in fœmore ejus stabat catulus leonis Juda, et in eo absconditus stabat rex Christus, in quo præmonstrata est unctio; et gentes unctionis voverunt decimas Leviticas; et reges inter ipsas, qui in eodem voto continebantur, cor ejus erexerunt; respexitque in eum spiritus Prophetarum, qui ex semine ejus futuri erant. Baculum autem habens in manu solus, transivit flumen Jordanis : mysterium mirabile, manu enim sua prætulit signum crucis : magnus Propheta, acceptis pedibus suis, profectus est, et abiit in terram Orientalem, quia inde orta est lux gentibus. Pervenit ad puteum[1], cujus os desuper clausum erat lapide, quem multi non potuerunt devolvere : multi enim aggregati pastores non potuerunt aperire puteum; donec venit Jacob, et virtute pastoris, qui in ejus fœmore absconditus erat, abstulit lapidem, et adaquavit pecora. Quoniam Prophetæ multi venerunt, et non potuerunt manifestare lavacrum baptismi, donec venit magnus Propheta, et solus separatim reseravit illud, et baptizatus est in eo. Et clamabat suavi voce locutionis suæ, et dicebat : « Si » quis sitit, veniat ad me, et bibat[2]. » Oravit etiam Jacob seorsum ab aliis in reditu suo, ut eriperetur a Laban et a manu Esaü fratris sui. Et orans talia proferebat : « Baculum habens in manu solus, transivi ego hoc flumen Jordanis; et nunc ecce factus sum ego Dominus duorum » castrorum[3]. » O mirabile mysterium de Salvatore nostro ! Cum primum venit Dominus noster, floruit virga ex radice Jesse in similitudinem baculi Jacob; cum autem secundo venerit, redibit ad Patrem suum cum duobus castris.

VI. Sed rursus de oratione dicit Dominus noster : « In

[1] Gen. XXIX, 1, 2. — [2] Joan. VII, 37. — [3] Gen. XXII, 10.

» loco ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, » illic sum et ego inter eos[1]. » Porro cum homo collegerit se in nomine Christi, ecce Christus habitans est in eo, et Deus habitat in Christo; proinde idem homo fit quodammodo unus compositus ex tribus; ipse, et Christus qui habitat in eo, et Deus qui habitat in Christo; sicut et ipse Dominus noster dicit : « Ego in Patre meo sum, et » Pater meus in me est : et ego et Pater meus unum su» mus[2]. » Iterum ait : « Vos estis in me, et ego sum in » vobis[3]. » Et iterum dicit in Prophetis : « Habitabo in eis, » et ibo ad eos[4]; » et in hunc sensum accipi a te possunt verba superius allata, quæ dixit Vivificator noster[5]. Ego enim ostendam tibi, charissime, quod eo tempore quo seorsum soli orabant patres illi nostri justi, Deus erat in eis. Cum oravisset Moyses in monte illo solus, seorsum erat ipse; numquid non fuit exauditus? imo vero exauditus fuit, et sedavit furorem iræ Dei sui. Et Elias in monte Carmelo solus seorsum ab aliis erat, et oratio ejus miras patravit virtutes : oratione ejus clausi sunt cœli, et rursum oratione ejus soluta sunt vincula illorum; et oratio ejus rapuit eum e manu mortis, et eripuit eum ab inferis; et oratio ejus abstulit pollutionem et medio Israël; e oratio ejus evocavit ignem ter de cœlis, semel super altare, et bis super principes quinquagenarios, et ignis ultus est eum : flexis genibus oravit, et exauditus est illico; et quadringenti qui stabant et clamabant voce alta et clamosa, non sunt exauditi, quia in nomine idoli Balaam clamabant : et Elias unus solus erat, nihilominus longe ac multo magis exauditus est. Et cum oravisset Jonas ab imis interioribus piscis, statim exauditus est quamvis esset solus. Eliseus quoque oravit, et suscitavit mortuum, et ereptus

[1] Matth. xviii, 20.— [2] Joan. xiv, 10, 11. — [3] Ibid. 20. — [4] Ezech. xliii, 10. Zach. ii, 10. Exod. xxix, 45. — [5] Matth. xviii, 20.

est e manibus malorum qui insurrexerant in eum : non enim in visione solum et specie tantum fuit quod vidit[1]; sed revera copiosus exercitus circumdederat ipsum. Dixit autem discipulo suo : « Plures sunt nobiscum quam cum » illis[2] : » nam quamvis soli viderentur, haud tamen soli erant. Ex his autem quæ hactenus dicta sunt, intelligere potes verbum Domini dicentis : « Ubi duo vel tres congre- » gati fuerint in nomine meo, illic sum et ego inter eos. »

VII. Itaque, sicut a me supra tibi dictum est, quotiescumque oras, præbe cor tuum sursum et oculos tuos deorsum, intra et tu intus in hominem interiorem, et ora in occulto ad Patrem tuum qui in cœlis est. Nam eorum omnium quæ in hoc sermone de oratione scripsi, summa hæc est : Oratio cum fuerit sancta, erit acceptalis; quando autem non est sancta, non est acceptabilis. Nam sunt quidam inter nos qui frequenter precantur, et faciunt longas orationes, et incurvant semetipsos, et extendunt manus suas; sed effectus orationis longe absunt ab eis. Orant quidem aliqui oratione quam docuit Dominus noster : « Dimitte nobis peccata nos- » tra, ut et nos dimittimus debitoribus nostris[3]. » O qui sic oras, memento quod hostiam offers in conspectu Dei; vide ne erubescat qui offert orationem tuam, veluti sacrificium coïnquinatum. Tu oras Deum ut dimittat tibi, et profiteris quod et tu dimittis. Cogita primo in mente tua, an dimittas, ne inveniaris mendax coram Deo dum dicis, Dimitto, non dimittens : non est Deus ut homo, qualis tu es, ut mentiaris ei. Si homo peccet in fratrem, petit a Domino propitiationem; si autem quis peccet in Deum, a quo propitiationem petet? Noli condemnare teipsum oratione tua. Audi enim verbum Domini nostri dicentis : « Si ergo of- » fers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia » frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus

[1] 4 Reg. vi, 16, 17. — [2] Ibid. 16. — [3] Matth. vi.

» tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et » tunc veniens offeres munus tuum[1]. » Ne igitur, dum oras, odium quod adversus aliquem habes, in mentem redeat : nam id tibi notum certumque sit, quod oratio tua relinquetur ante altare, et quod nolet ille qui orationem offert, eam accipere et elevare a terra ; examinat enim munus tuum, an sit coïnquinatum. Si fuerit oratio sancta, elevat et offert in conspectu Dei ; si autem invenerit in oratione tua te dicentem : « Dimitte mihi, dimitto et ego, » ita tibi, qui oras, respondebit ille qui orationem elevat : « Primo dimitte tu » debitori, et deinde ego elevabo orationem tuam ad Do- » minum, cujus debitor es. » Dimitte tu centum denarios secundum tuam paupertatem, et Dominus, cui tu debitor es, dimittet tibi decem millia talenta secundum magnitudinem divitiarum suarum ; et non computabit tecum usuras et fructus usurarum. Si tu libens volens dimiseris, tum ille accipiet munus tuum, et elevabit, et attollet secum ; si autem tu non dimittis, sic dicet tibi : « Ego munus pollutum » et coïnquinatum ante thronum Sanctitatis non offeram ; » sed ecce tu venturus es illuc ad reddendam rationem de- » biti tui, et munus tuum tecum feres : » et relinquet munus tuum et abibit. Audi tu quid dicat Propheta : « Male- » dictus ille cujus sit in grege aries tener, pinguis et pulcher, » et vovebit, et offeret Domino infirmum[2]. » Agesis, inquit Propheta : « Offer illum Principi tuo ; numquid suscipiet » de manibus tuis ? numquid aliquid dissimulabit tibi[3] ? » Debes itaque tu dimittere debitori tuo antequam ores, et deinde orare ; et cum oras, ascendet oratio tua sursum in conspectu Majestatis divinæ, et non neglecta relinquetur in terra.

VIII. Dicit Dominus per Prophetam : « Hæc est requies » mea ; date requiem afflictis[4]. » Fac tu igitur, o homo, re-

[1] Matth. v, 23. — [2] Malach. I, 24. — [3] Ibid. 8. — [4] Isai. XXVIII, 12.

quiem Deo, et non carebis tu venia propitiationis. Da requiem tribulatis, et ciba pauperes, et visita infirmos; et hæc sunt oratio. Profecto faciam ut hoc intelligas, dilectissime, hominem semper orare cum facit Deo requiem. Scriptum est enim : Cum fornicaretur Zamri cum muliere Madianitide, vidit eum Phinees filius Eleazari, et ingressus est iste in cubiculum eorum, et percussit et interfecit illic ambos; et mors eorum imputata est ei in orationem[1]. Testatur de hoc David : « Surrexit Phinees, et exoravit, et re» putatum est ei ad justitiam in generationem et generatio» nem usque in sempiternum[2]. » Tu autem, dilectissime, si forte tibi aliqua agenda superveniant, quæ sunt secundum voluntatem Dei, cave ne dicas, Primo orabo, quia hora orationis est; vel si aliquid hujusmodi petat quispiam ad fores tuas, velis prius absolvere orationem tuam : num eris sine omni peccato, dum detrimentum patitur is qui ad fores tuas instanter opem a te efflagitat? Debitor utique invenieris Deo in oratione requiei, quæ est reipsa vera oratio. Audi tu verbum quod dixit Apostolus : « Si nosmetipsos dijudi» caremus, non judicaremur[3]. » Attende igitur, quæso, quod ego tibi dicam. Si te oporteat abire in longinquam viam, et contingat æstiva hora exardescere siti, perveniasque ad aliquem ex fratribus, et dicas ei, Da mihi requiem, liberans me a siti quæ vehementer me cruciat; ille autem tibi respondeat, Adhuc est hora orationis, sine ut prius orem, et deinde veniam ad te; et antequam ille orationem finiat et veniat ad te, tu ex siti moriaris : quodnam eorum quæ dicta sunt, videtur tibi potius esse? ire ad orandum, an vero requiem præbere desiderio animæ tuæ? Item si des te in viam tempore hiemali, et superveniat tibi imber, vel nix, et verseris in discrimine angustiæ frigoris; et in hora orationis pervenias ad fratrem tuum dilectum, et eodem

[1] Num. xxv, 7. — [2] Psalm. cv, 31. — [3] 1 Cor. xi, 31.

modo respondeat tibi, et tu ex frigore moriaris : quæ utilitas orationis ejus? nam laboranti, afflicto, et vitam desideranti requiem non præbuit. Dominus noster cum proposuisset exemplum, atque imaginem extremi judicii, ostendissetque qui judicandi sunt invicem a se dividendos, statuendosque, alios a dextris, alios a sinistris suis, sic ait eis qui a dextris sunt : « Esuriebam, et cibastis me; sitiebam, et » potavistis me; hospes eram et collegistis me [1]. » Contra autem dicet eis qui a sinistris sunt; et quia hæc non fecerunt, ibunt in supplicium : et qui a dextris sunt ibunt in Regnum. Pulchra est oratio, si sint bona opera orantis : acceptabilis est oratio, si sit requies in ea : exauditur oratio, si orans aliis dimisisse inveniatur : dilecta est oratio, si sit munda a dolo : efficax est oratio, si virtutes Dei perficiantur in ea.

IX. Quod autem scripsi tibi, eum orare qui facit voluntatem Dei, ea mente dixi, quia id bonum ac præstans esse agnovi, non vero ut negligas aut relinquas orationem, imo ut magis incumbas in eam, et non tædeat te orare, sicut et dixit Dominus noster : « Orate sine tædio [2]. » Vigilans igitur eris, et promptus ad orationem, et removebis a te somnum et socordiam, et vigilabis nocte ac die, et noli esse negligens. Ego autem ostendam tibi tempora et diversa orationum genera. Hæc vero sunt postulationes, benedictiones, et gratiarum actiones : postulationes, cum petit aliquis misericordiam pietatis peccatis suis; gratiarum actiones, cum gratias agit Patri cœlesti; benedictiones, cum benedicit ei pro omnibus operibus suis. In periculis igitur et angustiis tuis offer ei orationes postulationum. Et eo tempore quo cibum datum a bonitate ejus sumis, laudans gratias age ei qui illum tibi elargitus est. Et cum plena est mens tua gaudio exultationis, redde ei gloriam benedictio-


[1] Matth. xxv, 35. — [2] Luc. xxi, 36.

nis. Et omnes orationes tuæ discriminatim ordinatæ erunt in conspectu Dei. Observa autem quoniam David distinctis temporibus sic orabat, et aiebat : « Surgam, et confitebor » tibi propter judicia et justitiam tuam[1]. » Et in alio Psalmo dicit : « Laudate Dominum de cœlis, et laudate eum » in excelsis[2]. » Et iterum dicit : « Benedicam Domino in » omni tempore, semper laus ejus in ore meo[3]. » Et non uno eodemque modo orabat, sed diversimode. Ego autem, charissime, existimo quod quidquid homines petunt puro et sincero corde, det eis Deus. Sed qui cum malitia offert, non placet ei, sicut et scriptum est : oportet ergo, qui orat et precatur, ut bene mundet munus suum, ne inveniatur in eo macula, et deinde offerat illud, ne munus ejus relinquatur hic in terra[4]. At quid est munus, nisi oratio, sicuti superius scripsi ? David ait : « Immola Deo sacrificium lau- » dis, et redde Altissimo vota tua[5]. » Oratio sancta potior est omni oblatione. Esto igitur promptus ad orationem, ipsa enim loquitur Deo pro te. Etenim huc pertinent quæ scripta sunt ab Isaia propheta, quando exprobravit filiis Israël peccata eorum, et vocavit eos principes Sodomorum pro filiis quos Deus genuit et nutrivit[6]; illi enim mutaverunt honorem gloriæ suæ in scandalum. Nam prius dicit de illis : « Filios genui, et nutrivi : » Et deinde vocat « principes Sodomorum et populi Gomorrhæorum[7]. » Et cum noluissent audire vocem Prophetæ, prædixit eis : « Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni[8]. » Postea cum accepissent, obtulissentque munera ut seipsi expiarent, non fuerunt eorum munera accepta, quoniam multiplicatæ sunt iniquitates eorum; quemadmodum de domo Heli sacerdotis alibi dicit Scriptura : « Non amplius

[1] Psalm. LVI, 9, 10, 11. — [2] Psal. CXLVIII, 1. — [3] Psalm. XXXIII, 1. — [4] Matth. V, 23, 24. — [5] Psalm. XLIX, 14. — [6] Isai. I, 12. — [7] Ibid. 10. — [8] Ibid.

» expiabuntur iniquitates domus Heli immolationibus et sa-
» crificiis[1]. » Et ideo ad filios Israël, cum violavissent mandata, clamat Isaias : « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum, satis est mihi. Holocausta arietum, et adipem agnorum, et sanguinem vitulorum et hircorum nolo videre. Et omnino nolo vos mihi præsentari. Quisnam quæsivit hæc de manibus vestris[2]? » Illi autem ad eum : « Et quare, *inquiunt,* Deus non quærit? et cur non acceptantur munera nostra? » Respondit eis Propheta : « Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt[3]. » Reponunt illi : « Quænam ergo erit nobis expiatio? » Dicit eis Propheta : « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse, discite bene facere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, et defendite viduam[4]. » Et illi ad Prophetam : « Cum fecerimus hæc omnia, quid erit nobis? » Respondet ipsis : « Sic dicit Dominus? Cum feceritis hæc, venite, et colloquamur. » Sed quomodo loquentur homines illi cum Deo, cum in sermone illo talia dicantur : « Quamvis multiplicaveritis orationem vestram, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt[5]. » Profecto id ex iis quæ statim ibi subduntur, intelligimus : « Cum abluti fueritis, et locuti fuerimus invicem; si fuerint peccata vestra ut fuligo laquearis, tanquam ruber vermiculus tincti essetis in eis, velut lana albi eritis[6]. » Porro non mundabuntur, nisi abluti fuerint in aquis lavacri baptismatis, et acceperint corpus et sanguinem Christi. Sanguis sanguine expiatur, et corpus corpore mundatur, et peccata aqua abluuntur, et cum majestate oratio loquitur. Et vide, charissime, quoniam rejecta sunt jejunia et munera, et pro eis electa

[1] 1 Reg. III, 14. — [2] Isai. I, 11, 12. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 16, 17. — [5] Ibid. 15. — [6] Ibid.



est oratio sancta. Vacabis igitur tu orationibus sanctis, et in precibus ac postulationibus laborabis, et initio omnis orationis tuæ orabis oratione Domini nostri, et servabis quidquid ego scripsi tibi. Et semper, cum oras, memento amicorum tuorum; et mei hæc scribentis : memento peccatoris servi Dei in oratione tua, ut ab eo qui est distributor bonorum, mihi et tibi abundanter donetur.


---

# SERMO QUINTUS.

## DE BELLO.

1. Tenet me nunc ac sollicitat cogitatio mysterii de turbulenta commotione quæ prope est ut his temporibus fiat per exercitus congregatos ad interitum. Tempora jam ante definita sunt a Deo : tempora quidem ædificationis et pacis in diebus bonorum et justorum complentur; tempora etiam malorum multa sunt, quæ in diebus malorum et iniquorum perficiuntur. Nam ita scriptum est : « Verba parata sunt fieri bona, et beatus erit per cujus manus venerint : malum quoque paratum est fieri, et væ illi per cujus manus venerit illud[1]. » Venit bonum super populum Dei, et beatitudo penes eum mansit per cujus manus venit. Excitata est afflictio et calamitas super exercitum populi manu mali, superbi et arrogantis : et væ! mansit super eum per cujus manum excitata est calamitas. Nulli alii causæ, charissime, imputare velis malum, quam improbis hominibus. Nam tempus istud ante decretum est, et jam advenit dies consummationis ejus.

[1] Matth. XVIII, 7.



II. Quoniam igitur tempus hoc malorum est, mysterium audi quod ego tibi dicam. Scriptum est : « Omne quod » in nobis hominibus sublime est, abominatio est ante » Deum[1]. » Et iterum scriptum est : « Omnis qui se humi- » liaverit exaltabitur ; et qui se exaltaverit humiliabitur[2]. » Et Jeremias propheta dicit : « Non glorietur fortis in for- » titudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis[3]. » Et B. Apostolus dicit : « Qui gloriatur, in Domino glorietur[4]. » Et David dicit : « Vidi impium superexaltatum, et eleva- » tum, sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat ; et » quæsivi eum, et non est inventus locus ejus[5]. » Omnis qui superbivit, humiliatus est.

III. Superbivit Caïn contra Abel, et occidit eum ; et fuit Caïn vagus et profugus in terra[6]. Et superbiverunt Sodomitæ contra Lot, et cecidit super eos ignis de cœlo, et subversa est civitas[7]. Superbivit Esaü contra Jacob, et persecutus est eum ; Jacob autem benedictiones et primogenituram ejus accepit[8]. Superbiverunt filii Jacob contra Joseph, et proni in terram adoraverunt eum in terra Ægypti[9]. Superbivit Pharao contra Moysen et populum ejus, et mersus est ille in mare cum exercitu suo[10]. Superbiverunt Dathan et Abiron contra Moysen, et vivi descenderunt in infernum[11]. Superbivit Goliath super David, et ante ipsum cadens prostratus est[12]. Persecutus est Saül David, et cecidit gladio Philistæorum[13]. Superbivit contra David Absalon, et in prælio occidit eum Joab[14]. Superbivit Benadab contra Achab, et traditus est in manus Israël[15]. Blasphemavit Sennacherib Ezechiam et Deum[16], et exercitus ejus

[1] Luc. XIV, 1. — [2] Ibidem, 11. — [3] Jerem. IX, 23. — [4] 2 Cor. X, 17. — [5] Psal. XXXVI, 35, 36. — [6] Gen. IV. — [7] Idem, XIX. — [8] Idem, XXV, XXVII. — [9] Id. XXXVII, XLII. — [10] Exod. XIV. — [11] Num. XVI. Deut. XI, 6. Psal. CV, 17, 18. — [12] 1 Reg. XVII, 42 ; XIX, XX, XXIII. — [13] Id. XXXI. — [14] 2 Reg. XVII, XVIII. — [15] 3 Reg, XX. — [16] 4 Reg. XVIII, 13. 2 Paral. XXXII. 14. Isai. XXXVI.

in cadavera militum redactus est : egressus est enim unus ex Angelis, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia[1]. Superbivit Achab contra Michæam, et iniquitas in caput ejus ascendit [2]. Superbivit Jezabel contra Eliam, et comederunt eam canes in hæreditate Jezraël [3]. Superbivit Aman contra Mardochæum, et conversa est iniquitas ejus in caput suum. Superbiverunt Babylonii contra Danielem, et miserunt eum in lacum leonum; Daniel vero innoxius et omni crimine solutus inde egressus est, illi autem pro eo ceciderunt [4]. Iterum superbiverunt Babylonii, et male locuti sunt de Anania ejusque sociis ; et projecti sunt illi in caminum ignis : isti vero innocentes probati exiverunt, et flamma ignis comedit qui contra eos obloquebantur [5].

IV. Dixit Nabuchodonosor : « Ascendam sursum in cœ» lum, et supra nubes ponam solium meum, et habitabo in » montibus excelsis in lateribus Aquilonis [6]. » Pronuntiavit de eo Isaias : « Pro eo quod exaltatum est cor tuum, post» hac descendes in infernum, et omnes qui viderint te ad» mirabuntur [7]. » Et Sennacherib sic loquebatur : « Ascen» dam in montes excelsos, et intrabo in partes Libani ; ego » ipse faciam aquæductum, et bibam aquam, et in ungulis » equorum meorum exsiccabo profunda fluminum [8]. » Et quia ita superbivit, de eo similiter Isaias dixit : « Numquid » potest extolli securis sine eo qui scindit lignum ? aut ex» altabitur serra secans lignum sine trahente ? aut elevabi» tur virga sine aliquo elevante [9] ? » Tu, ait, quis es, Sennacherib ? nisi veluti securis in manu scindentis lignum, et veluti serra in manu trahentis, et virga in manu viri ele-

[1] Isai. xxxvii, 36. 4 Reg. xix, 35. 2 Par. xxxii, 21. — [2] 3 Reg. xxi, 27, 37. 2 Par. xviii, 26, 33, 34. — [3] 3 Reg. xix, 2. 4 Reg. ix, 35, 36. — [4] Dan. vi, 12, 24. — [5] Id. iii, 22. — [6] Isai xiv, 14. — [7] Ibid. 15, 16. — [8] 4 Reg. xix, 23, 24. Isai. xxxvii, 24, 25. — [9] Isai. x, 15.

vantis eam ad correctionem : nam baculus es percutiens, et missus es super iniquitatem populi, ut in captivitatem eum ducas, et prædam ex eo accipias ; ideo conculcasti tu omnes gentes tanquam lutum platearum. Cum autem hæc omnia feceris, quare elevatus es super eum qui habet te in manu, et superbivisti contra eum qui per te cædit, et exaltatus es super eum qui per te secat, et exprobrasti civitati ejus sanctæ, et dixisti habitatoribus Hierusalem : Non potest Deus vester salvare vos de manibus meis ? et ausus es dicere : Quis est Dominus Deus, qui salvet vos de manibus meis [1] ? Propterea audi sententiam Domini dicentis : Subvertam Assyriam in regione sua, et super montes meos conculcabo eam [2] ; et cum eversa et conculcata fuerit, spernet et contemnet eam filia Sion ; movebit super eam caput filia Hierusalem, et dicet : Nunc sane interroga cui exprobraveris, vel quem irritaveris, aut super quem elevaveris vocem tuam et superba erexeris oculos tuos [3] ? nonne in Sanctum Israël, cum per legatos tuos exprobrasti et blasphemasti Dominum Deum tuum ? At vide quid faciam : « Imponam » frenum ori tuo, et injiciam capistrum sub mentum tuum, » et faciam te reverti fracto corde, quoniam elato venisti [4]. » Et mors ei illata est per manus amicorum suorum, et in domo refugii sui, illic peremptus est, et prostratus volutatus est in sanguine ante idola sua [5]. Decebat quidem, charissime, hujusmodi hostiam offerri ante ea simulacra, adeo ut in domo adorationis suæ esset corpus ejus simulacrorum suorum monumentum.

V. Item elevabatur et extollebatur aries, et pugnabat contra occidentem, contra aquilonem et contra austrum, et superavit ac subjecit bestias multas quæ non potuerant ei resistere, donec accederet et adveniret hircus caprarum

[1] Isai. XXXVI. 4 Reg. XVIII. — [2] 2 Par. XXXII. 4 Reg. XIX. — [3] Is. XXXVII, 22. — [4] Ibid. 29. — [5] 4 Reg. XIX, 37. Isai. XXXVII, 36. Job, I, 21.

ex occidente, qui percussit arietem et contrivit cornua ejus, et valde eum humiliavit[1]. Aries est rex Medorum et Persarum, nempe rex Darius ; et hircus est Alexander, Philippi Macedonis filius. Vidit Daniel arietem in oriente ante portam turris Susarum in civitate Elamitarum super flumen Ulaï, et ventilabat cornua contra mare et contra austrum, et omnes bestiæ non poterant ei resistere ; et hircus caprarum egrediebatur e civitate Græcorum, et se elevavit atque erexit super arietem, et contrivit duo cornua ejus, magnum et parvum[2]. Et cur dicitur, « contrivit duo cor» nua ? » quia subjugavit duo regna, quorum rex Darius erat, parvum Medorum, et magnum Persarum. Veniens enim Alexander Græcus, Darium regem Medorum et Persarum occidit. Ita autem dixit Angelus Danieli exponens ei visionem : « Aries quem tu vidisti, regnum Medorum et » Persarum est : et hircus, regnum Græcorum[3]. » Ex eo tempore quo contrita sunt duo cornua arietis usque ad hodiernam diem, elapsi sunt sexcenti quadraginta octo anni.

VI. At quamvis cornua arietis prorsus contrita fuerint, ecce erigitur et extollitur contra quartam bestiam, quæ est terribilis et fortis nimis, cujus dentes sunt ferrei et ungulæ æneæ : comedit et comminuit, et reliqua pedibus conculcat[4]. O aries habens cornua contrita, recede a bestia illa, et noli provocare, ne te comedat et comminuat. Contra hircum aries resistere nequivit, et quomodo contra terribilem bestiam stare poterit ? Etenim os ejus loquitur magnalia, et quidquid ei obviam venit, super illud insidet tanquam leo super escam : qui irritat leonem, fit ejus præda ; et qui excitat bestiam, comedit eum ; et qui ad eam accedit, sub pedibus ejus cadit, ejusque pedibus conculcatur. Nam bestia non moritur donec sedeat Antiquus

[1] Dan. VIII, 2. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 20, 21. — [4] Id. VII, 7.

dierum in throno suo, et veniat ante eum Filius hominis, et accipiet potestatem, et deinde vulnerabitur bestia, et peribit corpus ejus, et fiet regnum Filii hominis regnum sæculorum, et dominium ejus a generatione in generationem[1].

VII. Desiste tu, o homo, qui exaltaris; noli gloriari, si divitiæ elevaverunt cor tuum. Tu non es melior Ezechia. Ille vero quia gloriatus est de thesauris suis coram Babyloniis, ablatæ sunt ei omnes divitiæ, et translatæ sunt Babylonem[2]. Si vero gloriaris in filiis, abducentur a te captivi ad bestiam, sicuti captivi ducti sunt filii Ezechiæ regis, et facti sunt eunuchi in palatio regis Babyloniorum. Et si de sapientia tua gloriaris, non est aliquid majus principe Tyriorum, cui tamen ecce exprobrat Ezechiel dicens : « Numquid tu sapientior es Daniele? An omnia nosti ar» cana in sapientia tua[3]? » Num vero superbis in annis multis regni tui, et quia multiplicati sunt, elevatum est cor tuum? Porro non sunt plures diebus principis Tyriorum; nam tenuit ille regnum temporibus viginti duorum regum Juda, quorum anni sunt quadringenti et quadraginta. Et cum multiplicati fuissent anni regis Tyriorum per hæc omnia tempora, sic ait in corde suo : « Deus ego sum, et in » cathedra Dei sedi in corde maris[4]. » Dicit ei Ezechiel : « Homo es tu, et non Deus[5]. » Donec sine macula ambulavit princeps Tyriorum in medio lapidum ignitorum, erat misericordia super eum; quando autem elevatum et exaltatum est cor ejus, occidit, et perdidit eum Cherub obumbrans.

VIII. Et quidem quid sunt lapides igniti, nisi filii Sion et Hierusalem? Primis temporibus regum Juda, in diebus David et Salomonis filii ejus, Hiram erat amicus domus Is-

[1] Dan. VII, 9. — [2] 4 Reg. XX, 12, 18. — [3] Ezech. XXVIII, 3. — [4] Ibid. 2. — [5] Ibid. 14.

raël : cum autem captivi abducti essent ex terra sua, lætatus est, et percussit terram, et pedibus conculcavit eam, et non recordatus est amicitiæ domus David. Idcirco autem dixi quod lapides igniti vocati sunt filii Juda : nam Jeremias propheta in lamentationibus lugens ita eos alloquitur : « Filii Sion inclyti, et amicti auro primo[1]. » Et paulo ante de ipsis dixerat : « Quomodo dispersi sunt lapides sanctua» rii in capite omnium platearum? » Lapides autem sanctuarii illi erant qui in terra ejus projecti stabant; et in his lapidibus accendebatur ignis ille de quo Jeremias propheta ait : « Fuerunt sermones Domini in corde meo tanquam ig» nis qui accenditur, et inflammabitur circa ossa mea[2]. » Et iterum dicit Deus Jeremiæ : « Ecce dabo verba mea in » ore tuo tanquam ignem, et populus iste erit tanquam lig» num[3]. » Et rursus : « Verba, *inquit,* mea egrediuntur » tanquam ignis, et tanquam ferrum quod incidit petras[4]. » Itaque cum Hiram princeps Tyriorum ambularet inter Prophetas filios Judæ, qui vocati erant lapides igniti[5], ambulabat in medio lapidum ignitorum.

IX. Illud etiam ei dictum est : « Fuisti tu cum Cherub » uncto et obumbrante. » Cherub unctus et obumbrans vocatus est rex Israël, qui unctus erat oleo sanctuarii, sicut et Jeremias dicit : « Spiritus oris nostri unctus Domini, cui » diximus : Sub umbra ejus vivemus inter gentes[6]. » Sub umbra regis habitabant Judæi, dum adhuc rex stabat in capite eorum : cum autem cecidisset corona capitis eorum[7], fuerunt illi sine umbra. Si autem aliquis dixerit quod hæc de Christo dicta sunt, audiat quod ego non contentionis sed veritatis amore respondeo, et consentiet de rege dicta fuisse. Ita Jeremias de populo : « Væ nobis, *in» quit,* quia cecidit corona capitis nostri[8]. » Christus autem

[1] Jerem. IV, 2. — [2] Id. XX, 8, 9. — [3] Idem, V, 14. — [4] Id. XXIII, 29. — [5] Ezech. XXVIII, 14. — [6] Jerem. IV, 20. — [7] Thr. Jer. V, 16. — [8] Ibid.

non cecidit, quia surrexit tertia die : at rex cecidit ex domo Juda, nec amplius imperium eorumque regnum erectum est. Ezechiel vero itidem de Hiram dixit : « Occidit et per» didit Cherub obumbrans[1]. » Cherub qui occidit et perdidit eum, est Nabuchodonosor rex. De labore autem quo laboravit ille super Tyrum, ita scriptum est : « Et non est » data merces exercitui ejus ex Tyro, sed pro labore quo » laboravit super Tyrum, data est ei terra Ægyptiorum[2]. » Quare autem non est data merces Nabuchodonosor regi e Tyro? quia mare absorbuit multitudinem ac magnitudinem divitiarum Tyri, et non adeptus est eas Nabuchodonosor, quando occidit et perdidit ejus regem Cherub obumbrans, nempe Nabuchodonosor rex. Duo Cherub sunt unus unctus et obumbrans, et alter obumbrans et non unctus. Supra dicit : « Fuisti tu cum Cherub, et uncto, et obumbran» te[3] : » et inferius dicit : « Occidit et perdidit te Cherub » obumbrans[4] : » et non dicit, *unctus,* quia Nabuchodonosor non erat unctus, bene quidem David, Salomon et alii deinceps reges post eos. Et qua de causa vocatus est Nabuchodonosor rex obumbrans? nisi quia in visione arborem vidit, « sub qua habitabant omnes gentes, et in ramis » ejus conversabantur omnes volucres cœli, et ex ea vesce» batur omne animal habens carnem[5]. » Etenim exponens ei Daniel somnium quod viderat : « Arbor, *ait,* quam vi» disti in medio terræ, tu es, et sub te habitaverunt omnes » gentes[6]. » Propterea ipse est *Cherub obumbrans,* qui occidit et perdidit principem Tyriorum, quia lætatus est super captivitatem filiorum Israël, cum abducti sunt ex terra sua : et quia elevatum et exaltatum est cor ejus, et ideo destructa est etiam ipsa Tyrus ; atque ita permansit septuaginta annis, sicut Hierusalem totidem annis in desolatione

[1] Ezech. xxviii, 16. — [2] Id. xxix, 18, 19. — [3] Id. xxviii, 14. — [4] Ibid. 16. — [5] Dan. iv, 9. — [6] Ibid. 17, 19.

perseveravit. Dicit Isaias de ea : « In oblivione erit Tyrus » septuaginta annis, sicut dies regis unius, et fornicabitur » cum omnibus regnis quæ sunt super faciem terræ[1]. »

X. O qui te extollis et exaltas, superbia cordis tui non te decipiat ; ne dicas : Ego egrediar et ascendam super universum orbem, et super terribilem bestiam. Non vulneratur bestia per manum arietis cujus contrita sunt cornua : hircus enim contrivit cornua arietis, cum efferatus est in eum. Nam cum filii Japhet regno potiti sunt, occiderunt Darium regem Persarum[2] : nunc quarta bestia regnum obtinuit contra tertiam ; nonne igitur devoravit et secundam ? Secunda et tertia bestia est ex filiis Japhet ; quarta autem ex filiis Sem, scilicet ex filiis Esaü, qui fuit ex filiis Sem. Nam quando vidit Daniel visionem quatuor bestiarum, vidit primam de filiis Cham semen Nembrod, nempe Babylonios ; et secundam de Medis, et de Persis qui sunt filii Japhet ; et tertiam de Græcis, fratribus Medorum ; et quartam de filiis Sem, qui filii sunt Esaü. Et fuit consortium filiorum Japhet cum filiis Sem. Ablatus est autem principatus a minori ex filiis Noë Japhet, et datus est majori filio Sem, et usque adhuc permanet, et permanebit in sæcula sæculorum. Et cum completum fuerit tempus principatus filiorum Sem, accipiet regnum Princeps qui est ex filiis Judæ, cum secundo advenerit. Porro in visione Nabuchodonosor regis, quando vidit statuam quæ erecta stabat ante eum, caput statuæ erat ex auro puro, manus, pectus et brachia de argento, et venter et fœmora ex ære ; tibiæ autem ferreæ ; et pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis[3]. Ait vero Daniel regi : « Caput ex » auro tu es[4]. » Et quare dictus est ille caput aureum ? quia sermo Jeremiæ prophetæ impletus est super eum dicentis : « Calix aureus est Babylon in manu Domini, qui

[1] Isai. XXIII, 15. — [2] Dan. VIII, 7. — [3] Idem, II, 31, 32. — [4] Ibid. 38.

» inebriat omnem terram de vino ejus[1]; » tum etiam quia initium et caput omnium regnorum Babel vocata est, sicut et scriptum est : « Hoc est principium regni Nembrod » Babel[2]. » « Manus autem, et pectus, et brachia statuæ de » argento[3], » ostendunt regnum quod est priori humilius, videlicet regnum Darii, qui regnum minoris ponderis accepit. Ponderatum est enim regnum domus Nembrod, et inventum est deficiens, et deficiens accepit rex Darius : propterea ejus regnum humilius atque inferius esse significatur. Nam defecerat illud, et non fuerunt sub ejus dominio viri universæ terræ. « Et venter, et fœmora ex ære[4]. » Et additur : « Regnum tertium dominabitur super totum orbem[5]; » quod est regnum filiorum Javan ex Japhet. In regnum fratrum suorum ingressi sunt filii Javan ; quippe Madaï et Javan erant filii Japhet[6] : demens erat Madaï, et deficiens in regimine regni, donec venit Javan frater ejus, qui erat sapiens et prudens, et regnare sciebat. Dominatus est enim Alexander super orbem. « Et tibiæ et pedes statuæ ex fer- » ro[7] : » hoc est regnum filiorum Sem ex Esaü, quod est forte sicut ferrum. Dicit enim Scriptura : « Quomodo fer- » rum conterit, scindit et comminuit : similiter comminuet, » et scindet et domabit omnia[8]. » Et loquens de pedibus et digitis, quorum una pars erat ex ferro, et altera ex testa, dixit : « Non adhærebunt, nec miscebuntur invicem : Nam » ex uno semine erunt, sed nequaquam invicem conjungen- » tur, quemadmodum ferrum non miscetur testæ[9]. » Hoc autem præmonstravit de quarto regno : quoniam in regno filiorum Esaü rex regni gubernator non assumebatur e filiis ex regia stirpe natis ; sed congregati filii Esaü in civitate quadam constituebant domum consilii ; et inde ex magnatibus civitatis virum sapientem eligebant rectorem

[1] Jerem. LI, 7. — [2] Gen. X, 10. — [3] Dan. II, 32. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 39. — [6] Gen. X, 2. — [7] Dan. II, 33. — [8] Ibid. 4. — [9] Ibid. 43.

regni, ne, cum ponderaret eos dominus regni, invenirentur deficientes, et auferretur ab eis regnum, quemadmodum ablatum est regnum domus Nembrod, et traditum est Medis insipientibus. Rex autem qui creabatur, prolem præcedentis regis occidebat, et haudquaquam invicem conjungebantur. Itaque genus illud hominum præsignatum fuit in testa mixta ferro, ut et discordia et crudelitas eorum his signis indicaretur ; quapropter qui rex eligebatur, revera innitebatur radicibus ferreis. Propheta autem prædixit, « quod in diebus regnorum illorum suscitabit Deus » de cœlis regnum, quod in æternum non destruetur et non » transibit [1], » quod est regnum regis Christi.

XI. Et paulo supra inquit : « Videbas ergo quod lapis » unus abscindebatur sine manu hominis, et percutiebat » statuam super ferreos pedes, et deinde dejiciebat [2]. » Et non dixit quod super caput percutiebat, neque super manus, pectus et brachia, neque super ventrem et fœmora, sed super pedes : nam ex tota statua pedes tantum et tibias lapis adveniens invenit. Et in iis vero quæ postea ibidem subjiciuntur, nempe quod « una simul conterebantur et » comminuebantur ferrum, et æs, et argentum, et aurum, » præmonstratur regnum Christi, qui humiliat regnum quartum, ac proinde totam statuam brevi tempore comminuit. Statua totus mundus vocatus est, et caput Nabuchodonosor rex : manus, et pectus, et brachia, rex Medorum et Persarum ; et venter, et fœmora, rex Græcorum ; et tibiæ, et pedes, regnum filiorum Esaü. At lapis, qui percutiebat statuam et comminuebat, et a quo implebatur omnis terra, est regnum Christi regis, qui facit ut transeat regnum illud, et ipse regnat in sæcula sæculorum [3].

XII. Item audi de alia visione quatuor bestiarum quæ ascendebant de mari [4] ; et erant terribiles, una altera ter-

[1] Dan. II, 44. — [2] Ibid. 34. — [3] Ibid. 35. — [4] Id. VII.

ribilior : et hæc forma specierum quas habebant. «Prima quasi » leo, et alæ ejus velati aquilæ. Et aspiciebam donec evulsæ » sunt aquilinæ alæ ejus, et descendens stetit super pedes » suos, quasi super pedes hominis, et cor hominis datum » est ei [1]. » Secunda « similis urso, et transiens stetit illa in » parte una ; et tres costæ erant in ore ejus et in faucibus » ejus [2]. » Et tertia « quasi pardus; et erant ejus alæ quatuor » et capita quatuor [3]. » Et quarta « bestia terribilis, admirabi- » lis, et fortior primis : dentes ejus ferrei, magni, et ungu- » læ æneæ : comedebat, comminuebat, et reliqua pedibus » suis conculcabat [4]. » Mare magnum hic mundus est. Quatuor bestiæ sunt quatuor regna quæ superius memorata sunt.

XIII. Prima bestia est rex Babyloniorum, qui assimilatus est leoni. Nam scripsit Jeremias : « Ovis oberrans Is- » raël, leones disperserunt eum : primo comedit eum rex » Assyriorum [5]. » Sed Babyloniorum rex rege Assyriorum fortior factus est, quem idcirco leonem vocavit Jeremias; de quo et Daniel dicit : « Alæ aquilæ erant. » Sic enim scriptum est de Nabuchodonosor, cum exivisset in desertum cum bestiis : « Creverunt crines capillorum ejus sicut aqui- » læ [6]. » Et sequitur in prophetia Danielis : « Vidi quoniam » evulsæ sunt aquilinæ alæ ejus : et descendens stetit super » pedes ejus tanquam homo, et cor hominis datum est ei [7].» Primo in visione statuæ significatus est rex Babyloniorum in auro, quod pretiosius est omni eo quod æstimatur in terra ; et in visione bestiarum significatus est in leone, qui fortior est omnibus bestiis; itidem significatus est in aquila, quæ præ omnibus avibus pernicitate prædita est. Quidquid scriptum est de eo, impletum est. Dicit de illo Dominus : « Ego dedi jugum ferreum super collum gentium, » et servient regi Babyloniorum septuaginta annis [8]. Bestias

[1] Dan. VII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. — [5] Jerem. L, 17. — [6] Dan. IV, 30. — [7] Id. VII, 4. — [8] Jer. XXVIII, 14.

» deserti, et aves cœli dedi ei in servitutem[1]. » Cum factus esset ille rex instar aurei capitis, servierunt ei homines tanquam regi. Et cum egressus esset in desertum, servierunt ei bestiæ tanquam leoni. Et cum crevissent capilli ejus, et facti essent quasi aquilæ, aves servierunt ei tanquam aquilæ. Et cum elevatum esset cor ejus, et non agnovisset e cœlis esse sibi potestatem, ablatum est jugum ferreum e collo omnium hominum, et egressus est ille cum bestiis, et pro corde regis datum est ei cor leonis. Et cum elevatus esset super bestias, ablatum est ab eo cor leonis, et datum est ei cor avis. Et cum crevissent alæ ejus, et factæ essent quasi aquilæ, et elevatus esset ille super aves, aquilinæ etiam alæ subinde ei avulsæ sunt. Sed cum agnovisset Altissimum dominari super regna hominum, et cui voluerit dare ea, tunc datum est ei cor sapiens, et cœpit benedicere Deo, tanquam homo[2].

XIV. Bestia secunda « similis urso, quæ stetit in una » parte[3], » est regnum Medorum, et Persarum, quod in Oriente firmatum stetit. « Et tres costæ in ore ejus, » siquidem cornibus ventilabat aries contra aquilonem, et meridiem, et occidentem per tres ventos cœli ; hos tres ventos tenebat, et per hos cornibus ventilabat aries ad instar trium costarum qui erant in ore ursi ; donec hircus occidentis percussit arietem, et evulsit costas ab ore ejus. Bestia autem tertia similis pardo : « Et erant quatuor alæ avis in » lateribus ejus, et quatuor capita[4]. » Bestia tertia est Alexander Macedo ; quoniam erat vi et velocitate præditus, quasi pardus. « Et quatuor alæ, et quatuor capita bestiæ, » quia ille regnum quatuor amicis suis divisit, ut post eum regnarent. Ipse autem cum in Asiam venisset, victo atque occiso Dario, post eum Orientis imperium obtinuit. De bestia autem quarta dicitur : « Terribilis, et admirabilis, et

[1] Jer. xxv, 11. — [2] Dan. iv, 31, 32, 33, 34. — [3] Id. viii, 4. — [4] Id. vii, 6.

» fortior est : comedebat et comminuebat, et reliqua pedi-
» bus suis conculcabat[1]. » Hæc regnum filiorum Esaü significat. Postquam enim Alexander Magnus imperium Asiæ adeptus est, fundatum est regnum Græcorum, quia Alexander natione Græcus erat ; et in eo visio tertiæ bestiæ impleta est, quæ vicit secundam ; tertia vero bestia superata est a quarta. Regnavit autem Alexander duodecim annis : et deinceps fuerunt alii reges Græcorum. Nam post Alexandrum septemdecim reges extiterunt ; et anni sunt ducenti sexaginta ex Seleuco Nicanorita usque ad Ptolemæum. Fuerunt etiam ab Augusto Seleuciani reges viginti septem, et anni eorum sunt ducenti nonaginta tres. Decem autem et octo Severiani. Præterea Propheta Daniel : « Considerabam, *inquit,* decem cornua quæ erant in capite bestiæ[2]. » Decem cornua fuerunt decem regna illorum temporum. Et deinde addit : « Cornu unum parvulum egrediebatur inter decem » cornua, et tria evulsa sunt a facie ejus[3]. »

XV. Accepto enim confirmatoque sibi regno, Antiochus subjecit sibi tria regna ; et elevatus est contra Sanctum excelsum, et contra Hierusalem, et polluit locum sanctitatis, et cessare fecit victimas et sacrificia per unam hebdomadam et dimidium hebdomadæ, quæ sunt decem anni et dimidium. Et advocavit introduxitque meretrices in domum Domini, et ne Lex observaretur impedivit ; occidit et perdidit homines justos, et dedit corpora eorum in escam avibus cœli et bestiis terræ : et impletum est quod dixit David : « Deus, intraverunt gentes in hæreditatem tuam, » polluerunt templum sanctum tuum, fecerunt Hierusalem » tanquam ruinam. Posuerunt morticina servorum tuorum » escas volatilibus cœli, et carnes sanctorum tuorum bestiis » terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in » circuitu Hierusalem, et non erat qui speliret[4]. » Hoc au-

[1] Dan. VII, 7. — [2] Ibid. 8, 20. — [3] Ibid. — [4] Psal. LXXVIII, 1, 2, 3.

tem impletum est, quando occisus est vir senex, et lumen dierum, et septem filii B. Samunæ; quando Judas ejusque fratres cum suis habitantibus in speluncis et in cavernis terræ, arma ceperunt. Per id tempus maximum bellum gessit cornu illud contra sanctos, et prævaluit in eos, et verba blasphemiæ locutus est contra Excelsum Antiochus vir iniquus. Et mutavit tempora, et annos, et abrogavit fœdus Abrahæ, et solvit sabbatum quietis, et præcepit Judæis ne circumciderentur. Propterea Daniel dixit : « Putabitur » mutare tempora, subvertere Legem. Et traditum est in » manus ejus usque ad tempora temporum, et dimidium » temporis[1] : » hoc est, unam hebdomadam et dimidiam, quæ sunt decem anni et dimidium. Et iterum dicit : « Et » throni positi sunt, et judicium sedit, ut potestas ejus au- » feratur, et conteratur, et dispereat usque in finem[2]. » Supervenerunt enim Antiocho terribilia judicia, judicia de cœlo, et infirmatus est infirmitate pessima, fœtenti et insanabili[3] : nam adeo fœtidus factus est, ut nullus ei appropinquaret. Vermes scaturiebant et exibant ab eo, et comedebant carnes ejus, eo quod anxit et afflixit vitem ex Jacob. Itaque fœtidæ factæ sunt carnes ejus adhuc viventis, quia fœtere fecit morticina habitatorum Hierusalem, et jacere insepulta. Et ideo contaminatus est in seipso, quia polluit sanctuarium Dei. Oravit ille, et non est exauditus, quia non audivit ipse gemitum sanctorum quos occidit. Scripsit epistolas, et misit ad Judæos, et vocavit eos amicos ; et non est misertus ei Deus, sed diris doloribus cruciatus interiit.

XVI. Item dicitur : « Acceperunt regnum Sancti Ex- » celsi[4]. » At quid hac de re dicemus? Numquid filii Israël acceperunt regnum Altissimi? absit; vel cum illo populo venturus est in nubibus cœli? sed multo ab hinc tempore Deus recessit ab eis. Dicit enim de ipsis Jeremias : « Argen-

[1] Dan. VII, 25. — [2] Ib. 9, 26. — [3] 2 Mach. IX, 5 et seqq. — [4] Dan. VII, 18.

» tum reprobum et spretum vocavi eos, quia Deus projecit » et sprevit illos. » Et iterum dicit : « Non ultra adjiciam » respicere eos[1]. » Et Isaias inquit : « Recedite, exite, et » pollutum illic nolite tangere[2]. » E diverso de sanctis Altissimi sic ait : « In sæcula sæculorum hæreditabunt reg» num[3]. » Illi autem paululum quieverunt a solvendis regum et principum tributis post mortem Antiochi, donec peractæ et impletæ sunt sexaginta duo hebdomades. Tum vero venit Filius hominis ad eos liberandos, et illi eum non receperunt; venit ut acciperet ab eis fructum, et ei non dederunt, quia vinea eorum fuit ex vinea Sodomorum et ex planta Gomorrhæorum. Vinea, ferens spinas, plena fuit dumetis. Vinum eorum factum est acetum, et fructus eorum fel. Non poterat spina fieri mollis, neque acetum redire in naturam vini, neque fel converti in naturam mellis. Anticipavit judicium Deus per Isaiam, et sedere fecit adversus eos judices viros Judæos[4], quia ipse plantavit in eis vineam electam novam, muris et turri custoditam[5]. Judices autem iidem ipsi sunt qui facti sunt sedere super sedes duodecim, ut judicent duodecim tribus Israël[6]. Et ita dicit ad Judices : « Judicate inter me, et inter vineam meam. » Quid ultra, *inquit*, debebam facere vineæ meæ, o viri ju» dices, et non feci ei[7] ? » Quoniam ecce plantavi eos novam plantam electam, et facti sunt mihi tanquam vinea extranea; sepivi eam et munivi muris, hoc est, cœlorum vigilibus ; erexi turrim, nempe templum sanctitatis; torcular extruxi, lavacrum sacerdotum; et immisi super illam pluviam, id est verba Prophetarum ; pastinavi, et excidi eam ex operibus Amorrhæorum ; steti, et expectavi ut tempus adveniret, et ferret mihi uvam justitiæ; venit et attulit spi-

[1] Jer. vi, 30. — [2] Isai. lii, 11. — [3] Dan. vii, 18. — [4] Isai. v, 3. — [5] Ibid. 2. — [6] Matth. xix, 28. Luc. xxii, 30. — [7] Isai. v, 4.

nam et tribulum, peccata et iniquitates : steti, et expectavi ut invenirentur in ea justitiæ, et inventa est iniquitas : expectavi vocem æquitatis, et factus est in ea clamor injustitiæ. Sed audite, viri judices, quid faciam ego vineæ meæ. Destruam munitiones, et faciam ut ab exercitu conculcetur : subvertam turrim ejus, et erit in direptionem : ponam vineam meam desertam, non amplius putabitur, et non purgabitur, et non fodietur : germinabit et multiplicabitur in ea spina tanquam in terra inculta : mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem : recedent virtutes cœlorum, quæ sunt munimenta vineæ : subvertetur turris, hoc est locus eorum refugii : destruetur fossa, nempe torcular purgationis peccatorum ipsorum. Dum erat vitis sine macula, nequaquam fuit materia ad opus idonea : nunc autem cum facta sit pabulum ignis, et deserta, quomodo inserviet in materiam operis? ambos ramos ignis consumpsit, et medium destructum est [1]. Duo rami duo regna sunt, et medium eorum, Jerusalem. Missi sunt ad eos a domino vineæ servi multi, et occiderunt eos, et nullum fructum dederunt illis ut ad dominum ferrent. Post servos missus est filius dilectus, ut acciperet ab eis fructum : illi comprehenderunt eum, et traxerunt extra vineam, excisoque ramo ex dumetis vineæ, in eo illius manus infixerunt : esurivit ille, et petiit ab eis cibum, et dederunt ei fel ex fructu vineæ; sitivit, et dederunt ei acetum, et noluit bibere : et fecerunt coronam ex spinis vineæ, et posuerunt in capite filii domini vineæ. Ex eo tempore, quia vinea præbuit hujusmodi fructum, evulsit et projecit eam dominus suus in ignem, et plantavit in ea vites fructiferas, quæ dant fructum et lætificant agricolam. Vinea Christus, et Pater ejus agricola; vitis autem, qui bibunt ex calice ejus. Porro alia vi-

[1] Ezech. xv, 4.

nea plantata est pro vinea illa, et in primo adventu suo regnum dedit filiis Esaü : et filii Esaü servant regnum ei qui ipsis dedit.

XVII. Itaque regnum sæculorum hæreditat populus sanctus, qui loco et vice primi populi electus est. « Provocavit » illos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritavit » illos[1]. » Et liberavit populum suum sanctum peculiarem. Nam omne quod fœderatum est cum Deo, exemptum est a tributis regum et principum. Quamvis aliquis idololatra et ex gentibus servus sit, eadem hora qua accedit ad fœdus Dei, fit liber. Contra illi permanent in servitute servientes inter gentes. At vero de sanctis sic ait : « Hæreditabunt » regnum quod sub cœlo est[2] : » si autem de illis hæc dicta sunt, quare serviunt inter gentes ? quod si responderint : Nondum factum, sed fiet : ecce regnum quod accipit Filius hominis, cœli et terræ regnum est. Jam scripti sunt filii regni, et acceperunt ejus pignus in hoc mundo : atque ideo interea nequaquam se alicui subdere vult exercitus Regis qui venturus est, et regnum suum recepturus, sed servat depositum ejus cum honore, ne, cum venerit qui abrogat regna, veniat super illos cum ira. Nam quando venerit is cujus est regnum, in secundo adventu suo, assumet sibi quod dedit, et erit ipse rex in sæcula sæculorum.

XVIII. Antea dedit coronam et regnum filiis Jacob, et subjecit eis filios Esaü, sicuti et dixit Isaac ad Esaü : « Fra- » tri tuo servies[3]. » Et cum non bene egissent in regno illo, abstulit illud a filiis Jacob, et dedit filiis Esaü, donec ille veniat cujus est regnum, et reddant depositum ei qui ipsis tradidit, et non amplius ei obsistant ; sed obtemperabit custos regni ei cui obediunt omnia. Propterea regnum hoc filiorum Esaü non tradetur in manus fortiter aggregati exercitus, qui vult exire super illud ; quia regnum Datori suo

[1] Deut. xxxii, 21. — [2] Dan. vii, 18, 22, 27. — [3] Gen. xxvii, 40.

servatur. Quod autem scripsi tibi, charissime, regnum filiorum Esaü Datori suo servari, noli hac de re dubius hærere : nam vinci nequit illud regnum ; vir enim fortis, cui nomen est Jesus, venit in exercitum, et totus Regis exercitus arma ejus habet. Considera enim, expende et vide quoniam et in illa descriptione universi orbis cum eis ipse descriptus est[1]. Et nomen quod scriptum est in descriptione universi orbis, fit ipsis in adjutorium : et signa et prodigia ejus valde multa sunt in regione illorum, et ipsi induti sunt armis ejus, et non superabuntur in bello. Quod si dixeris mihi : Quare tempore regum qui antea fuerunt victa est aliquando bestia, et superata ? Magnates et reges qui erant tunc temporis in regno filiorum Esaü, noluerunt accipere secum in bello virum qui descriptus fuit cum eis in illa descriptione universi orbis : propterea cessit bestia paululum ; sed nequaquam interfecta est.

XIX. At, quod dixi tibi, charissime, de iis quæ scripta sunt in Daniele, haudquaquam totum est, neque exhausta sunt omnia. Quare si quis de his quæstionem aliquam moverit, sic illi respondebis : Non sunt obsignata verba hæc. Nam verba Dei neque exhauriuntur, neque fine et mensura aliqua obsignantur. At menti hominum si licet aliquid proferre, ad suum usque limitem se extendere potest, nec ultra progredi, quia fieri non potest ut aliquid insuper addat, vel minuat. Magnitudo Dei sine numero et sine mensura est. Si accipias aquam a mari, nihil apparet deficere ; et si tollas granum unum ex arena, numerus ejus non minuitur ; et si volueris numerare astra cœli, nequibis numerum eorum colligere ; et si ex igne ignem accendas, nihil ei detrahis. Si acceperis spiritum Christi, nequaquam Christo aliquid deerit ; si Christus habitet in te, haudquaquam ille in te concluditur. Si ingrediatur radius per fenestras

[1] Luc. II, 1, 2.

domus tuæ, nequaquam totus sol ad te advenit. Hæc autem omnia, quæ tibi exposui, verbo ejus firmata sunt; illud insuper tibi notum sit, quod nemo unquam verbum Dei comprehendet universum, ejusque mensuram continebit et complectetur. Propterea neutiquam pro his pertinax obstiteris, et dices ita esse, et nequaquam aliter; sed a me hæc accipies, ut ea doceas fratres nostros cum convenerint. Non audies eum qui deridet verba fratrum suorum; et quamvis dixerit sua esse sapientiora, tamen noli audire sermones ejus. Quod autem scripsi tibi de isto exercitu qui in bellum descendit, non ita tibi significavi, quasi aliquid revelatum mihi fuerit; sed attende quod positum est in principio epistolæ, nempe quod omnis qui se exaltavit humiliatus est. Itaque si exeat exercitus, et vincat, hoc scito, quod admonitio Dei sit; et insuper quod, etiamsi vincat, tamen justo Dei judicio condemnabitur. Demum illud tibi notum sit, quod bestia tempore suo vulnerabitur. Tu autem interea, frater, festina, iterum dico, festina petere misericordiam, ut fiat ædificatio et pax super populo Dei.

---

# SERMO SEXTUS.

## DE DEVOTIS.

I. Verum est verbum hoc, quod dico, et omni acceptione dignum; oportet expergisci hoc tempore a somno, et elevare cor nostrum super brachia nostra ad Deum in cœlis, ne forte repente veniat Paterfamilias, et, cum venerit, non inveniat nos vigilantes. Observemus tempus Sponsi, ut ingrediamur cum eo in thalamum; præparemus oleum lampadibus nostris, ut occurramus ei in lætitia; præparemus viaticum mansionibus nostris in angusta et arcta via; exuamus nos vestimentis immundis, ut induamur veste nuptiali. Negotiemur talentum quod accepimus, ut vocemur servi boni et fideles. Frequenter oremus, ut transeamus loca pavoris et timoris; mundemus corda nostra ab iniquitate, ut videamus Excelsum in gloria sua. Simus misericordes, sicut et scriptum est[1], ut misereatur nostri Deus. Sit pax inter nos, ut vocemur fratres Christi. Esuriamus justitiam, ut saturemur in mensa Regni. Simus sal veritatis, ne efficiamur esca Serpentis. Expurgemus semina nostra a spinis, ut pro uno centenos fructus reddamus. Collocemus ædificium nostrum super firmam petram, ne commoveatur a fluctibus et a ventis. Simus vasa utilia Domino nostro; quæstum faciamus in omnibus quæ nobis data sunt, et vendamus possessiones nostras, ut emamus margaritam Christum, et ditemur. Reponamus thesauros nostros in cœlo, ut cum iverimus, aperiatur nobis et lætemur. Visitemus Dominum in infirmis, ut vocet nos, et statuat a dextris

[1] Luc. VI, 36.

suis. Odio prosequamur corpora nostra, et diligamus Christum, sicut et ille dilexit nos, et traditus est pro nobis. Honorificemus Spiritum Christi, ut gratiam recipiamus ab eo. Simus extranei, et alieni ab hoc mundo, sicut et Christus non erat ex eo. Simus mites et humiles, ut possideamus terram vitæ. Simus semper in ministerio ejus, ut ministret nobis in tabernaculo illo sanctitatis. Oremus ad eum cum sanctitate, ut preces nostræ intrent ante majestatem Divinitatis. Simus participes passionis ejus, ut et per resurrectionem ejus vivamus. Accipiamus signa ejus in corporibus nostris, ut a terribili ira furoris eripiamur.

II. Quando spiritus tenebrarum appropinquat sanctis, illi efficiuntur lux; et quando velociter instar jaculi volat sicut serpens super eos, illi efficiuntur sal, ut nullum eorum comedere possit. Et si appareat eis ad instar aspidis et basilisci, illi efficiuntur similes pueris. Et si ingrediatur ad eos per concupiscentiam escarum, vincunt eum jejuniis, exemplo Salvatoris nostri. Et si velit pugnare cum eis concupiscentia oculorum, elevant oculos suos in excelsa cœlorum. Et si velit dolis ac fallaciis eis nocere, illi aures suas ei occludunt. Et si aperta pugna velit eos aggredi, induuntur armis, et ei resistunt. Et si in somnis vult illis supervenire, expergiscuntur, vigilant, benedicunt, et orant. Si autem per opes et divitias tentat eos, illi eas distribuunt pauperibus. Si vero dulcescit illis, eum non gustant, quia amarus esse dignoscitur. Si demum libidine allicit eos, soli seorsum habitant, et non concupiscunt quæ hic sunt.

III. Ingressus est fallaciis muliebribus ad Adam, et deceptus est in innocentia sua. Venit ad Joseph per ejus dominam, et Joseph agnovit malitiam fraudulentiæ ejus, et noluit ei aures præbere. Per mulierem pugnavit cum Samsone, donec abstulit ab eo devotionem. Primogenitus erat Ruben omnium fratrum suorum, et per uxorem patris sui

vulnus ei intulit. Aaron erat pontifex magnus Domus Israël, et propter Mariam ejus sororem obtrectavit et æmulatus est Moysi. Missus est Moyses ut educeret populum a terra Ægyptiorum, et accepit secum admonitricem malorum, et profectus est : occurrit Dominus Moysi, et voluit occidere eum, qui, advocata uxore, reverti eam fecit in Madian[1]. Vicit David in omni bello quod gessit, sed per filiam Evæ inusta est ei macula. Decorus erat Amnon et pulcher aspectu, sed alligavit eum concupiscentia sororis suæ, et occisus est ab Absalon. Exaltatus et magnificatus est Salomon super omnes reges, sed in diebus senectutis suæ uxores subverterunt cor ejus. Per Jezabel filiam Ethbaal multiplicatæ sunt iniquitates Achab[2]. Quando Satan tentavit Job per filios et possessiones, non potuit eum superare : abiit, et sumpsit arma sua[3], nempe filiam Evæ, qua supplantavit Adam ; aggressus est eum, et ait per os fœminæ : « Blasphema Deum[4] : » sed ille aspernatus est consilium ejus. Rex Asa abominatus est execrabiles ritus, cum per matrem ipsius Satan voluit eum decipere : nam Asa agnovit ejus fraudem[5], et matrem e regiæ majestatis gradu dejecit, et idola cultus sui concidit[6]. Major erat Joannes omnibus Prophetis, et occidit eum Herodes postquam saltavit Herodiadis filia. Ecce dives erat Aman secundus a rege, et consilio uxoris suæ perdere Judæos voluit. Princeps tribus erat Zamri de stirpe Simeon, et subvertit eum Chosbi filia regum Madian. Pro una muliere ceciderunt de Israël viginti quatuor millia una die.

IV. Propterea, fratres, omnis vir devotus et sanctus diligit solitariam vitam. Si autem velit mulier fidelis sicut ipse habitare cum eo, expedit ei potius ut manifeste uxorem accipiat, quam uri per concupiscentiam. Et mulierem

[1] Exod. XVIII, 2. — [2] 3 Reg. XVI, 31. — [3] Job, I. — [4] Id. II, 9. — [5] 3 Reg. XV, 11. — [6] Ibid. 13.

item decet, si a solitario non separetur, ut palam viro nubat. Cæterum mulierem cum muliere decet habitare, et virum cum viro convenit esse. Et cum viro qui vult se servare in castitate et sanctitate, uxor ejus non habitet, ne revertatur iterum in idem, et adulterina fornicatio ei imputetur. Consilium hoc itaque decorum et bonum est, quod ego do mihi et vobis, charissimi, solitarios, et eos qui non accipiunt uxores, et virgines, quæ non nubunt viris, et illos qui dilexerunt sanctitatem, quod certe pulchrum et decorum est, quamvis humanitas ægre patiatur, convenit solos habitare; sicut et scripsit Jeremias propheta : « Beatus homo qui acceperit jugum tuum ab adoles- » centia sua, et sedebit solitarius, et tacebit, quoniam sus- » cepit in se jugum tuum[1]. » Oportet igitur diligenter curare ut qui accipit jugum Christi, illud in sanctitate servet.

V. Nam scriptum est, charissime, de Moyse, quod ex quo apparuit ei Sanctus, dilexit et ipse sanctitatem; et ex eo tempore quo sanctificatus est, uxor ejus non amplius ei ministravit. Sed scriptum est quod Josuë filius Nave minister et serviens erat Moysi a juventute sua[2]. Et similiter de Josuë scriptum est, quod ex tabernaculo non discedebat[3]. Manus autem mulieris ministrabat non in tentorio horæ, quia non permittebat Lex mulieres tentorium horæ ingredi; sed quando veniebant ad orandum, in ostio tabernaculi orabant, et deinde recedebant. Et sacerdotibus præceptum fuit ut tempore ministerii sui uxores suas non cognoscerent. De Elia scriptum est, quod aliquando habitabat in monte Carmeli, et aliquando in convalle Cariath[4], et ministrabat ei discipulus; quia vero cor ejus erat in cœlo, volatilia cœli ferebant ad eum cibum. Et quia similis factus est vigilibus cœlorum, illi attulerunt ad eum panem et aquam,

[1] Jer. III, 27. — [2] Deut. I, 38. — [3] Exod. XXXIII, 11. — [4] 3 Reg. XIX, 21.

quando fugiit a facie Jezabel. Et demum quia omnem curam et cogitationem suam posuit in cœlo, igneo curru in cœlum raptus est, et illic fuit habitatio ejus usque in sæculum. Elisæus autem ambulavit, vestigia persequens magistri sui, et in cœnaculo mulieris Sunamitidis habitabat, et discipulus ejus ministrabat ipsi. Sic dixit mulier Sunamitis : « Propheta Dei sanctus est, et transit per nos frequen- » ter; sicut decet sanctitatem ejus, faciamus ei cœnaculum » unum, et necessaria ministerii in eo[1]. » Sed quænam necessaria Elisæo erant in cœnaculo illo ad ejus ministerium ? lectus duntaxat, et mensa, et sella, et candelabrum. Quid præterea de Joanne dicam ? qui neque inter homines versatus perfecte servavit virginitatem, et recepit spiritum Eliæ. Beatus vero Apostolus dicit de se et de Barnaba : Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi, et mulieres circumducendi nobiscum[2] ? dicit autem, sed non facit, quia neque convenit neque decet.

VI. Notum quidem, fratres, et compertum nobis est, quod a principio per mulierem apertus est aditus Hosti adversus homines, et usque in finem per eam insidias moliri nunquam desinet. Ea est armatura Diaboli, et per eam pugnat contra eos qui concupiscentias suas mortificant : et per eam jugiter cantavit ; nam ipsa quidem fuit illius lyra a prima die. Per eam posita est maledictio Legis, et per eam patefactus est aditus morti : doloribus enim parit filios, et tradit morti. Et propter eam maledicta est terra, ut germinaret spinas et tribulos : sed posteaquam venit B. Maria, evulsæ sunt spinæ et sublatus est labor. Maledicta quidem fuit ficulnea, et humus effecta est sterilis ut sal : sed maledictiones confixæ sunt in ligno Crucis ; mucro gladii ablatus est a facie arboris vitæ. Paradisus annuntiatus est electis : virgines et sancti dant fructum. Arbor vitæ data est in

[1] 4 Reg. IV, 9, 10. — [2] 1 Cor. IX.

cibum fidelibus et voluntatem Dei facientibus ostium apertum est. Exiit fons, et reficit sitientes; instructa est mensa; nuptiæ paratæ sunt; mixtus est calix salutis. Parata est lætitia, prope est sponsus ad discumbendum. Apostoli invitaverunt; vocati sunt multi. Electi, præparate vosmetipsos; lux quæ orta est jucunda et pulchra est; vestis quæ non consumitur in promptu est : clamor appropinquat : sepulcra aperiuntur, mortui per sæcula et humo obruti resurgunt, et vivi exultantes obviam eunt Regi. Multitudo convenit; tubæ sonus convalescit dicentis : « Surgite : » urgent vigiles cœlorum, et instant. Thronus judicii collocatus est; qui laboravit exultat; qui infirmatus est timet : impius judicium refugit; pueri, qui sunt a dexteris, lætantur; et qui sunt a sinistris, flent et lugent. Qui sunt in luce exultant, et qui sunt in tenebris gemunt, refrigeriumque petunt linguis suis. Assentationes et blanditiæ prætereunt, et veritas regnat; pœnitentiæ non est amplius locus in hoc mundo; hiems propinquavit, æstas transiit; sabbatum quietis advenit, labor cessat; nox transit, lux regnat, et aculei mortis conteruntur, et in vitam immerguntur : qui fuit probus lætatur, exultat, et benedicit; qui non acceperunt uxores, vigiles cœlorum eis ministrant; qui jejunaverunt, in sanctitate Altissimi quiescunt.

VII. Omnes solitarios, hoc est ascetas lætificat Unigenitus, qui est in sinu Patris sui : non est illic mas nec fœmina, nec servus nec liber; sed omnes sunt filii Altissimi; et omnes virgines sanctæ quæ spoponderunt seipsas Christo, illic accendunt lampades suas, et cum Sponso intrant in thalamum ejus. Omnes quæ perseverant in deponsatione Christi, eæ procul sunt a maledictionibus Legis, et absunt a pœna punitionis filiarum Evæ : non nubunt, ne accipiant maledictiones, et sint in doloribus; et nihili æstimant mortem, quia filios non relinquunt, et pro viro mortali habent

sponsum Christum, qui eis, quia non generant filios, dat nomen quod est nomine matris filiorum et filiarum præstantius. Et pro lamentationibus filiarum Evæ, canunt cantus spirituales cœlestis Sponsi. Nuptiæ filiarum Evæ durant septem dies; at harum Sponsus manet in æternum. Ornatus filiarum Evæ ex panno, qui consumitur et corrumpitur; vestis autem earum in æternum permanet. Species filiarum Evæ senio vitiatur et marcescit; species autem illarum in tempore resurrectionis renovatur. O virgines, quæ spopondistis vosmetipsas Christo, cum aliquis ex Legis doctoribus, qui votum habent, dixerit alicui ex vobis : Permitte ut habitem tecum, ut tu ministres mihi; sic ei respondebis : Viro Regi despondata sum et ei ministro. Irascetur mihi, et scribet mihi litteras repudii, et ejiciet me a domo sua. Et dum petis tu honorari a me, et cum ego honorata fuero a te, magnum utique aliquod malum superveniet mihi et tibi. Noli ponere ignem in sinu tuo, ne comburatur vestis ista quam paravit Sponsus illis quæ intrant ad ejus nuptias; sed esto tu solus, et para thesaurum; et ego sola maneo, et paro mihi oleum, ut intrem cum prudentibus, et non exclusa maneam extra cum fatuis virginibus.

VIII. Audi tu, charissime, jam ego tibi ostendam quid viros votum habentes, virgines et sanctos deceat. Ante omnia opus est homini cui jugum Domini impositum est, ut fidem suam firmam servet, sicut et scripsi tibi in prima epistola mea; præterea, ut propensus sit ad jejunia et ad preces, et ardeat in dilectione Christi, et ut sit mansuetus, et pacificus, et humilis, et sit affabilis in sermonibus, et ut habeat mentem puram erga omnem hominem, et considerate proferat verba sua, et claudat os suum ne loquatur verba inania, sed amoveat a se immoderatos risus et cachinnos, ornatusque vestium abhorreat; minime autem ei convenit colligere et

crispare capillos, ungi unguentis suavibus, discumbere in nuptiis, indui vestibus pretiosis, indulgere vino. Insuper arceat a se omnem mentis arrogantiam, sibique interdictum sciat aspicere sponsos comptos et ornatos, et indui vestibus mollibus ad ostentationem. Necessarium quoque est ut removeat a se linguam fraudulentam, et exuat omnem invidiam et contentionem, abjiciatque a se labia dolosa. Imo expedit ei ut verba quæ alicubi de homine absente dicuntur, non audiat, nullamque eis fidem prius adhibeat quam examinaverit, ne peccet. Scurrilitas turpis macula est, et omnino eam mente concipere non licet. Nunquam det mutuum eo animo ut accipiat mercedem contrahatque usuram; sed odio habeat avaritiam. Injuriam sustineat potius quam faciat. Submoveat a se hypocrisim, et verba jocosa non proferat : non contemnat hominem ad pœnitentiam redeuntem; et non derideat fratrem suum jejunantem, et eum qui non potest jejunare non confundat : ubi auditus est, arguat ; ubi autem non auditur, honorem suum noverit. Hora qua excipiuntur ejus verba, loquatur; quando autem secus, in silentio maneat. Nunquam de genere ac stirpe sua honorem sibi arrogans, laudet seipsum. Ei qui timet Deum revelet secreta sua, ab homine autem malo custodiat seipsum. Neminem lædat, neque etiam inimicum suum; sed enixe curet ut penitus non sit ei aliquis exosus. Cum æmulatur alterum in bono, ipse etiam atque etiam crescat in bonitate, ne propter æmulationem detrimentum incurrat. Si opes habet, tribuat pauperibus, et lætetur : si autem non habet, non contristetur. Cum homine obloquente non loquatur, neque cum viro calumniante confabuletur, ne detractionibus seipsum involvat. Et viro blasphemanti non se adjungat, ne Dominus per ipsum blasphemetur. Abstineat se a maledicentia, et proximo non

adulelur. Hæc omnia decent solitarios qui suscipiunt jugum cœleste et fiunt discipuli Christi, ut Magistro suo assimilentur.

IX. Accipiamus nos exemplum, charissime, a Vivificatore nostro : dives erat, et pauperem se effecit; excelsus erat, et humiliavit majestatem suam. Nam qui habitabat in excelsis, non erat ei locus ubi caput suum reclinaret; et qui venturus est in nubibus, sedens super pullum ingressus est Hierusalem; et qui erat Deus et Filius Dei, formam servi assumpsit; et qui erat requies laborantibus, ipse delassatus est labore itineris; et qui erat fons et reficiebat sitientes, sitivit et petiit aquam ad bibendum; et qui erat plenitudo et satiavit esuriem nostram, ipse esurivit, quando exivit in desertum ut tentaretur; et qui erat vigil et non dormiebat, dormivit et sopitus est in navi et inter fluctus maris; et cui ministrabatur in tabernaculo Patris sui, ipsi ministraverunt manus hominum; et cujus manus curabant et sanabant omnes infirmos, clavis transfixæ sunt; et qui ex ore suo bona proferebat, datum est ei fel in escam; et qui nulli nocuit et neminem offendit, passus est flagella et sustinuit opprobria; et qui erat vivificator omnium mortuorum, tradidit semetipsum in mortem crucis. Omne humilitatis exemplum exhibuit Vivificator noster in se ipso; humiliemus itaque nosmetipsos, fratres. Dominus noster cum venit, humana nostra conditione longe superior erat, et tamen ambulavit hic in nostra natura : stemus nos, et maneamus in humilitate naturæ nostræ, ut in die retributionis faciat nos consortes naturæ suæ.

X. Accepit a nobis Dominus noster pignus, et abiit, et reliquit nobis pignus de suo, et elevatus est. Ille qui non indigebat, propter indigentiam nostram factus est indigens. Quod nostrum est illius erat ab initio; quod autem erat

illius quis nobis daret? Firmum est quidquid promisit : « In » loco, *ait*, ubi ego ero, et vos eritis[1]. » Illud quod a nobis accepit, cum honore et gloria est apud ipsum; et suum, quod accepimus, dignum est ut honoretur et glorificetur. Nostrum in honore est apud eum, quasi non in nostra natura; id quod ejus est honoremus in natura personæ suæ : si honoraverimus, non auferet, et accipiet a nobis quod dedit nobis; sed si contemnemus pignus ejus, auferet, et accipiet illud quod suum est, et privabit nos etiam eo quod promisit nobis. Nutriamus Regem Filium, qui est apud nos; quoniam pignus pro eo accepit a nobis. Qui in honore habet Regem Filium, a Rege multos accipit principatus. Nostrum, quod est apud eum, cum multo honore sedet; corona enim redimivit, et sedere fecit a dextris Regis. At nos, qui sumus pauperes, quid faciemus Regis Filio, qui est apud nos? nullius rei nostræ indiget. Sed paremus ei templa nostra, ut cum consummata fuerint tempora, et abiverit ad Patrem suum, non queratur de nobis quod dehonoravimus eum. Quando venit ille ad nos, non erat quidpiam ejus ex isto nostro; neque quidpiam nostri erat ex illo suo, quamvis ambæ naturæ essent reipsa ejus et Patris sui. Tempore quo annuntiabat Gabriel beatæ Mariæ quæ genuit eum, Verbum, quod in excelsis erat, descendit, et venit; et Verbum caro factum est, et requievit in nobis; postea abiit, et redivit ad eum qui miserat ipsum. Accepit, et tulit secum quidquid inde non attulerat; sicut Apostolus dicit : « Eduxit, et fecit nos sedere secum in cœlesti- » bus[2]. » Et cum profectus esset ad Patrem, misit ad nos Spiritum suum, et dicit nobis : « Vobiscum sum usque ad » consummationem sæculi[3]. » Christus sedet a dextris Patris sui, et simul Christus habitat in hominibus; sufficiens est supra et infra sapientia Patris, et habitat in multis. Unus

[1] Joan. XII, 26. — [2] Ephes. II, 6. — [3] Matth. XXVIII, 20.

quidem est, et tamen cum omnes de eo accipiant, non minuitur; sicut et scriptum est: « Partiar eum inter multos[1].» Quamvis inter multos divisus sit, tamen a dextris Patris sui sedet, et dum a dextris Patris sui sedet, etiam in nobis est, et nos in ipso; sicut et dixit : « Vos in me estis, et ego » in vobis sum[2] : » et in alio loco dicit : « Ego et Pater » unum sumus[3]. »

XI. Quod si aliquis, qui hæc cogitatione assequi et mente complecti nequit, adversatus fuerit, dicens : Cum unus sit Christus, et unus sit Pater, quomodo Christus habitat ejusque Pater in hominibus fidelibus? et quomodo homines justi fiunt templa Dei, et Deus habitat in eis? Si istud ita est ut ad singulos fideles singuli Christi adveniant, et Deus qui est in Christo; ergo dii multi sunt, et Christi innumerabiles. Audi tu, charissime, quomodo respondere oporteat. Qui ita loquitur, ex iis quæ videntur hæc intelligat. Nam nemo est qui ignoret quod sol in cœlo fixus est, et radii ejus per terrarum orbem disperguntur, multasque intrant per portas et per fenestras domorum : et quocumque pervenit aliquis ex radiis solis, quamvis palmo minor sit, vocatur ille radius sol; et cum in multa loca sol radios effundat, radii illi omnes vocantur soles : et tamen sol totus in cœlo est. Quæ cum ita sint, num vero soles multi erunt? Similiter et aquæ maris ingentes sunt; si autem partem aliquam, vel minimam, ex eis accipias, pars tamen illa vocatur aqua maris; et cum partitus eam fueris in millia vasa, eodem nomine aqua maris vocatur. Et cum accenderis ignem per multa loca, et unde accipis et accendis non deficit, et uno eodemque nomine ignis vocatur; nec quia per plura loca distribuis, in multa nomina transit. Et cum acceperis pulverem ex terra, et projeceris per multa loca, pulvis non deficit, neque tu multis cum nominibus

[1] Joan. I, 16. — [2] Idem, XIV, 20. — [3] Ibid. 11.

vocas. Sic Deus et Christus, cum sint unum, in multis hominibus habitant, et simul ipsi totaliter in cœlis sunt, nihilque eis detrahitur. Nam sicut sol in cœlo nullo modo deficit dum virtus ejus in terra versatur, quanto magis virtus Dei ita erit! quoniam et sol virtute ejus creatus est. Item, charissime, in mentem tuam revoca quod scriptum est : cum gravaretur Moyses solus castra ducere, ait ei Dominus : « Ecce accipio de spiritu isto qui tecum est, et immitto in » septuaginta viros senes [1]. » Et accepit de spiritu Moysis, et repleti sunt eo septuaginta viri; et Moysi nihil defecit, nec visum est aliquid ex ejus spiritu sumptum fuisse. Et beatus Apostolus dicit : « Distribuit Deus de spiritu Christi, et im» misit in Prophetas; et nullum passus est Christus detri» mentum [2] : » non enim ad mensuram aliquam dedit ei spiritum Pater. His autem probe intellectis, potes tu asserere quod Christus habitet in multis hominibus, et quod Christus, quamvis distributus sit inter multos, nullum detrimentum patiatur. Nam de spiritu Christi acceperunt Prophetæ eo modo quo accipere poterant : et insuper de spiritu Christi effusus est hodie super omnem carnem [3], et prophetant filii et filiæ, seniores et juvenes, servi et ancillæ; et a Christo derivatus est in nos, Christus autem in cœlo est a dextris Patris. Etenim Christus non ad mensuram accepit spiritum; sed Pater dilexit eum, et dedit omnia in manus ejus, et super thesauros suos constituit eum Dominum : dicit Joannes : « Non ad mensuram Pater de» dit spiritum Filio suo [4]. » Et Dominus noster dicit : « Om» nia tradita sunt mihi a Patre meo [5]. » Et iterum dicit : « Pater quemquam non judicat; sed omne judicium dedit » Filio suo [6]. » Et Apostolus ait : « Omnia subjicientur » Christo, præter Patrem suum, qui subjecit ei omnia. Et

[1] Num. xi, 17. — [2] 1 Corinth. xii. Ephes. iv, 11. — [3] Act. ii, 17. — [4] Joan. iii, 34. — [4] Matth. xi, 27. — [6] Joan. v, 27.

» cum subjecta fuerint illi omnia a Patre suo, tunc subjec-
» tus erit et ipse Christus Deo Patri suo, qui subjecit ei
» omnia; et erit Deus omnia in omnibus, et super omnem
» hominem[1]. »

XII. De Joanne testimonium perhibuit Dominus noster, dicens : « Major est omnibus Prophetis[2]; » tamen ad mensuram accepit spiritum. Nam ea mensura qua spiritum habuit Elias, accepit Joannes. Et quemadmodum Elias habitabat in deserto, sic et Joannes : spiritus enim Eliæ agebat eum in desertum, et degebat in montibus; ita et Joannes. Eliam aves cibaverunt, et Joannes volucrem locustam manducabat. Elias habebat zonam pelliceam, et Joannes zonam coriaceam. Eliam Jezabel persequebatur, et Joannem persecuta est Herodias. Elias reprehendit Achabum, Joannes Herodem. Elias scidit et divìdit Jordanem, et Joannes aperuit lavacrum baptismi in Jordane. Spiritus Eliæ duplex requievit super Elisæum, et Joannes imposuit manus super Salvatorem nostrum, qui accepit Spiritum sine mensura. Elias aperuit cœlum, et ascendit; Joannes vidit cœlum apertum, et Spiritum Dei descendentem, qui requievit super Dominum nostrum. Elisæus accepit spiritum duplicem spiritus Eliæ[3]; et Salvator noster accepit spiritum Joannis, et Spiritum cœlestem. Elisæus pallium Eliæ sibi imponendum accepit, et Dominus noster impositionem manuum dedit sacerdotibus. Elisæus fecit oleum ex aqua, et Salvator noster fecit vinum ex aqua. Elisæus satiavit ex parvo pane centum viros solum, et Salvator noster modico pane saturavit quinque millia virorum, præter mulieres et pueros. Elisæus mundavit unum leprosum Naaman, et Salvator noster mundavit decem. Elisæus maledixit pueris, et comederunt eos ursi; et Salvator noster benedixit pueris, ponens manus super eos. Elisæum contumeliis affecerunt

[1] 1 Cor. xv, 28. — [2] Matth. xi, 9. — [3] 4 Reg. ii, 9.

pueri; et Savatori nostro benedixerunt, dicentes : « Ho» sanna. » Elisæus maledixit Giezi discipulo suo; et Salvator noster maledixit Judæ. Elisæus unum mortuum revocavit in vitam, et Salvator noster tres. Ossa Elisæi suscitaverunt mortuum, et Salvator noster descendens ad mortuos vivificavit et suscitavit eos. Et multa signa sunt quæ fecit Christi spiritus, quem Prophetæ ab eo susceperunt.

XIII. Profecto et nos, charissime, de spiritu Christi accipimus, et Christus habitat in nobis; sicut dixit Spiritus sanctus ex ore Prophetæ : « Habitabo in eis, et ibo ad eos[1]. » Præparemus ergo templa nostra spiritui Christi, et non offendamus eum, ne abeat a nobis. Recordare quod Apostolus monet, dicens : « Nolite contristare Spiritum sanctum, » in quo baptizati estis in die expiationis[2]; » quia ex ipso baptismo accipimus nos Spiritum sanctum : illico enim cum invocant sacerdotes Spiritum, aperit cœlos, et descendit, et fertur super aquas, et induunt eum qui baptizantur. Nam ab humanis generationibus longe est Spiritus : cum veniunt homines ad generationem aquæ, tunc accipiunt Spiritum sanctum. In prima generatione generatur spiritus animalis, qui confirmatur in ventre hominis, et hinc mortalitas : at in secunda generatione baptismi accipiunt homines Spiritum sanctum ex ipsa Divinitate, et nulla est mortalitas. Cum enim moritur homo, sepelitur cum iis quæ naturaliter accepit, et sensus aufertur ab eo; et Spiritus cœlestis, quem recepit, abit in principium suum ad Christum. Iterum dicit Apostolus : « Cum exiverimus a » corpore isto, cum Domino nostro erimus[3]. » Ad Dominum nostrum Spiritus Christi abit, quem recipiunt spirituales ab illis aquis : et spiritus animalis sepelitur in principio suo, et sensus corpore adimitur. Qui servat Spiritum Christi in sanctitate, cum abit ad Christum, sic dicit ad

[1] Zach. II, 10; VIII, 8. — [2] Ephes. IV, 30. — [3] 1 Thess. IV, 16.

eum : « Corpus ad quod ego profectus sum, suscepit et in- » duit me; in sanctitate servavit me. » Et Spiritus sanctus movet Christum ut resuscitet corpus in quo servatus est in sanctitate. Et insuper petit Spiritus ut aliud addatur, nempe ut resurgat corpus cum gloria. Sed ab homine qui accipit Spiritum ab aquis, et eum contristat, exit et abit ab eo antequam moriatur; et abiens in suum principium ad Christum, accusat hominem qui contristavit eum. Et in fine consummationis cum advenit tempus et appropinquat dies resurrectionis, Spiritus sanctus, qui servatus fuit in sanctitate, fiduciam magnam sumit ab habitatione illa sua, et venit ante Christum. Stat etiam ad ostium sepulcri, ubi sepulta sunt corpora, quæ servaverunt eum in sanctitate, et expectat clamorem. Cum autem aperiunt vigiles januas cœlorum ante Regem, et deinde tuba canit, et cymbala resonant, Spiritus, qui expectat clamorem, audit, et statim aperit sepulcra, et suscitat corpora quæ sepulta sunt, ut induant gloriam quæ venit cum eo; et ipse manet intra, ut corpus resurgat; extra autem manet gloria, ut ea corpus ornetur. Et immergitur spiritus cœlestis in corpus terrestre. Et fit totus homo spiritus, perinde ac si corpus suum spiritus sit. Et immergitur mors in vitam, et corpus immergitur in spiritum illum : et a spiritu volat obviam Regi, qui recipit ipsum cum gaudio. Et gratum est Christo corpus quod servavit spiritum ejus in sanctitate. Hic autem Spiritus, charissime, quem susceperunt Prophetæ et nos, non semper reperitur apud suscipientes se; sed est hora qua vadit ad eum qui misit ipsum, et est hora qua venit ad suscipientem se. Audi tu quod dixit Dominus noster : « Nolite contemnere unum ex his pu- » sillis qui credunt in me, quia Angeli eorum in cœlis sem- » per vident faciem Patris mei [1]. » Similiter etiam Spiritus

[1] Matth. XVIII, 10.

quotidie vadit, et est apud Deum, et videt faciem ejus. At illum qui lædit templum in quo habitavit, accusat ante Deum. Profecto res ita est ut tibi dico, quoniam sic scriptum est : « Recessit Spiritus sanctus a Saül, quem recepit » cum unctus est : et misit Deus ad eum pro eo spiritum » afflictionum[1]. » Et quando exagitabatur ille a spiritu nequam, accipiebat David citharam, et percutiebat; et accedebat et veniebat Spiritus sanctus, quem receperat David cum unctus est, et recedebat a facie ejus Spiritus nequam qui cruciabat Saül. Sed non reperiebatur Spiritus sanctus, quem recepit David, apud eum semper; sed cum acciperet et percuteret citharam, tunc veniebat. Quinimo, si semper cum Davide fuisset, non sivisset eum peccare cum uxore Uriæ. Ideo quando orabat pro peccatis suis, et confitebatur delicta sua ante Deum, dicebat : « Spiritum sanctum » tuum ne auferas a me[2]. » Et de Elisæo sic scriptum est : « Dum accepit ut percuteret citharam, tunc venit ad eum » Spiritus, et cœpit prophetare et dicere : Sic dicit Domi- » nus : Non videbitis ventum neque pluviam, et alveus iste » replebitur aquis[3]. » Et quando venit ad ipsum mulier Sunamitis pro filio qui mortuus est, sic ait : « Deus celavit » a me, et non indicavit mihi[4]. » Et quando rex Israël misit ad eum ut occideret ipsum, indicavit ei Spiritus; antequam enim venisset nuntius ad eum, ait : « Ecce misit huc » filius iniquitatis auferre caput meum[5]. » Et prænuntiavit abundantiam quæ futura erat in civitate Samariæ. Et iterum indicavit ei Spiritus quando Giezi furatus est argentum et celavit.

XIV. Propterea, charissime, quando Spiritus sanctus abit ab homine qui eum accepit, tunc pugnat Diabolus cum illo homine, ut supplantet eum et penitus separetur ab eo

[1] 1 Reg. xvi, 14. — [2] Psal. L, 13. — [3] 4 Reg. iii, 15, 16. — [4] Id. iv. — [5] Idem, vi.

Spiritus sanctus : nam quamdiu Spiritus est cum homine, timet accedere ad eum. Et vide, charissime, quod Dominus noster, qui de illo Spiritu natus est, non fuit tentatus ab illo nequam, donec Spiritus, quem visibiliter accepit in baptismo lavacri, assumpsit et duxit eum in desertum, ut tentaretur a Diabolo [1]. Hæc uniuscujusque cura sit, ubi sentit animam suam non ardere Spiritu, et cor suum incidere in sollicitudines hujus sæculi, illico sciat quod Spiritus Dei non est apud ipsum, et caveat ne supplantetur ab inimico. Fur domum non effodit, nisi videat patremfamilias abire; ita et Diabolus non potest appropinquare huic domui, quæ est ipsummet corpus nostrum, nisi Spiritus Christi ex eo discedat. Et scito hoc, charissime, nescire furem an paterfamilias sit intus, an non; sed ante attendit, et explorat an audiat vocem patrisfamilias præcipientis, et dicentis, Opus esse mihi iter facere. Et cum reperit, et videt quod paterfamilias abit ad conficiendum iter suum, tunc venit fur, et effodit, et furatur. Si autem audiat vocem patrisfamilias, qui reddit domesticos suos cautos, et præcipit eis ut vigilent et custodiant, et dicit eis : Et ego hic in domo sum; tunc timet, et fugit, ne insequantur eum et capiant. Ita et Diabolus : non est præscientia in eo, ut sciat et videat quando abeat Spiritus, et veniat ad spoliandum et prædandum hominem; sed attendit, et observat horam : an audiat ab homine illo, in quo habitat Christus, quod loquatur verba turpia, vel irascatur, rixetur, contendat; tunc scit Diabolus quod Christus non est cum eo, et venit, et perficit voluntatem suam in eo; quia Christus habitat in mansuetis, et in humilibus, et qui contremiscunt a verbis ejus, sicuti dicit Propheta [2]. Et Dominus noster dicit : « Qui ambulat in mandatis meis, ad eum nos veni» mus, et mansionem apud eum facimus. » At si audiat ab

[1] Matth. IV. — [2] Psal. CXVIII ; et alibi.

illo homine quod vigilat, et orat, et meditatur in lege Domini die ac nocte; tunc discedit, quia scit quod Christus est cum eo. Si autem dicas : Quotuplex est Diabolus? quoniam ecce cum multis certat. Audi tu, et intellige ex eo quod supra scripsi tibi de Christo, quod distributus est inter multos, et quidpiam ei non deficit. Domus in quam per fenestras parvulus radius intrat, tota lucida est : et homo, si modicum aliquid ex Diabolo intret in eum, totus obtenebratur. Audi tu quod dicit Apostolus, quod Satanas transfigurat se in Angelum lucis[1] : quid mirum est, si ministri ejus varii sint tanquam ministri justitiæ? Et Dominus etiam dixit discipulis : « Ecce do vobis potestatem calcandi om» nes virtutes inimici[2]. » Et manifestum faciunt Scripturæ, quod sint ei exercitus et nequitiæ ministri, quibus sicuti adversus Job potestatem ei fecit Deus ut pugnaret, ita nunc eos dimittit ad currendum per hunc mundum, et bellum ejus gerendum : tamen nequaquam bellat palam, quia data est potestas contra eum tempore adventus Domini nostri; sed rapiendo rapit, et furando furatur.

XV. Exponam, charissime, verbum quod dicit Apostolus, et in quo nequam secta hæreticorum scandalizatur. « Est corpus animale, et corpus spirituale[3]. » Nam paulo ante : « Factus est, *ait,* primus homo Adam in animam vi» ventem, et secundus Adam in spiritum vivificantem[4]. » Et deinde : « Sicut, *inquit,* portavimus nos imaginem » Adam terreni, ita et portemus imaginem Adam cœles» tis[5]. » Adam terrenus est ille qui peccavit : Adam autem cœlestis, vivificans Dominus noster Jesus Christus. Qui recipiunt Spiritum Christi, fiunt in similitudinem Adam cœlestis, qui est ipsemet vivificans Dominus noster; quia animalis immergitur in spiritualem, sicuti supra scripsi. Homo

[1] 2 Cor. XI, 14. — [2] Luc. X, 19. — [3] 1 Cor. XV, 44. — [4] Ibidem, 45. — [4] Ibid 49.

autem qui contristat Spiritum Christi, in resurrectione animalis est, quia Spiritus cœlestis non est apud eum; ideoque spiritus qui est animalis in illum immergi nequit; sed cum resurgit, manet in natura sua, exutus Spiritu cœlesti : et quia derisit Spiritum Christi, in die illa nudus deridebitur. At qui honoravit Spiritum, et servavit illum in sanctitate, in illa die servabit eum Spiritus sanctus, et fiet ille omni ex parte spiritus, ut non inveniatur nudus, sicut et Apostolus dicit : « Dummodo vestiti, non nudi inveniamur[1]. » Et iterum dicit : « Omnes quidem resurgemus, sed non om- » nes immutabimur[2]. » Iterum dicit : « Oportet corrupti- » bile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere » immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit im- » mortalitatem, et corruptibile hoc incorruptionem, tunc » implebitur sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in » victoria[3]. » Iterum dicit : « Repente in ictu oculi resur- » gunt mortui sine corruptione, et nos immutamur[4]. » Et ii qui immutantur, induunt imaginem Adami cœlestis, et fiunt spirituales : at qui non immutantur, manent animales in natura facti Adami terreni, et permanent in hac terra in profundo et imo ipsius. Post hæc rapiuntur spirituales in cœlos, et facit eos volare Spiritus quem induerunt, possidentque regnum quod erat paratum eis ab initio : animales autem in terra manent in gravitate corporum suorum, et descendunt in infernum; illic erit eis fletus et stridor dentium. Hæc ideo scripsi, charissime, ut in memoriam utriusque nostrum revocarem. Ama ergo tu virginitatem, donum cœleste, et consortium cum vigilibus cœlorum. Non est quidpiam quod comparetur illis qui virgines sunt : Christus habitat in eis. Tempus æstivum venit, et rami ficulneæ facti sunt molles, et protulit ficus folia; signa quæ dedit Dominus noster, adimpleri incipiunt. Dicit : « Surget

[1] 2 Cor. v, 3. — [2] Idem, xv, 51. — [3] Ibid. 53, 54. — [4] Ibid. 52.

» gens contra gentem, et regnum adversus regnum; et » erunt fames, et gladius, et pestilentiæ, et terrores de cœ» lo[1]. » Hæc autem omnia ecce in diebus nostris perficiuntur. Lege hoc totum quod scripsi tibi, tu et fratres qui Deo se dicarunt; ne autem hæc contemnendo irrideas, cave. Qui lædit et deridet fratrem suum, impletur super eum sermo qui scriptus est in Evangelio : nam in eo, cum vellet Dominus noster auferre sensum avaritiæ a Pharisæis, traditum est : « Quia erant avari, deridebant illum[2]. » Et nunc quicumque hoc idem facere vult, deridant eum. At tu, dilectissime, lege, et disce, et propera facere. Et cura tibi semper sit de lege Dei. Et cum legeris tu epistolam hanc, collige te in mente tua, dilectissime : surge, ora, et memento mei peccatoris in oratione tua.

---

# SERMO SEPTIMUS.

## DE POENITENTIA.

I. Unus solus innocens est in omnibus generationibus, qui induit carnem, Dominus noster Jesus Christus; sicut et ipse testimonium perhibet de se ipso dicens : « Ego vici » mundum[3]. » Et Propheta testimonium perhibuit de eo, « quod non fecit iniquitatem, neque dolus inventus est in » ore ejus[4]. » Et beatus Apostolus dicit : « Eum qui nescie» bat peccatum, pro nobis peccatum fecit Pater[5]. » Et quomodo eum fecit peccatum? nisi quia tulit peccatum nostrum, non quod ipse peccatum fecerit, sed quia illud cruci affixit. Iterum Apostolus : « Multi sunt, *ait,* qui currunt

[1] Luc. xxi, 10. — [2] Id. xvi, 14. — [3] Joan. xvi, 33. — [4] Malach. xi, 6. — [5] 1 Cor. v, 21.

» in stadio; sed unus est qui attingit scopum[1]. » Et nullus alius est in omnibus filiis Adæ, qui ineat pugnam, et non cadat, et vulneretur. Nam ab eo tempore quo Adam præceptum transgressus est, regnabat peccatum, et multos profligabat et deglutiebat, multos vulnerabat et occidebat, donec venit Dominus noster, qui tulit et affixit illud cruci : et quamvis affixum sit cruci, tamen stimuli ejus permanent, et multos pungunt, donec fiat finis consummationis, et conterantur stimuli ejus. Nullum malum nullusque dolor est cui remedium et curatio adhiberi nequeat, si sapiens medicus advocetur : qui autem vulnerantur in certamine nostro, remedium habent pœnitentiæ, qua vulneribus suis imposita curantur. O medici discipuli sapientis Medici nostri, accipite vobis remedium quo infirmorum vulnera curentur. Pugnantes in bello ab iis qui adversus eos certant vulnerantur, sed si medicum sapientem habeant, vulneribus suis sanandis medelam inveniunt. Et medicus cum sanat vulneratos in bello, magna præmia, gloriam et honorem a rege consequitur. Ita, charissime, qui sudat et laborat in bello nostro, si ab hoste aggrediente percutiatur, necesse est præbere ei medicinam pœnitentiæ, cum multi ad pœnitentiam et compunctionem, non autem ad mortem vulnerentur : quoniam Deus non spernit pœnitentiam agentes. Dicit Ezechiel propheta : « Nolo ego mortem peccato» ris, sed ut convertatur a via illa mala, et vivat[2]. »

II. Qui vulneratus est in bello, non erubescit tradere semetipsum in manus sapientis medici, quoniam propter magnitudinem pugnæ in qua certavit vulneratus est : et cum sanatus est, non spernit eum rex, sed connumerat ipsum inter veteranos milites exercitus sui. Sic hominem quem percutit Diabolus non decet erubescere confiteri delicta sua, et ab eo fugere, et petere medicinam pœniten-

[1] I Cor. — [2] Ezech. XXXIII, 11; XVIII, 23.

tiæ : qui enim erubescit manifestare vulnera sua medico, ejus corpus, putrescentibus et tabescentibus vulneribus, totum inficitur. At vulnera ejus qui non erubescit sanantur, et iterum revertitur ad pugnam. Qui autem morbum exitialem contrahit, nequaquam sanari sperat, neque amplius armis quibus exutus est induitur. Qui vincitur in bello nostro, ei spes salutis erit, si dixerit : *Peccavi,* petens pœnitentiam. Qui autem erubescit, nequit sanari, quia non vult aperire vulnera sua medico, qui accepit duos denarios, et ex eis sanat omnes vulneratos. Et vos qui discipuli estis Medici nostri, cum præditi sitis sananti virtute, cavere oportet ne impedimento sitis quominus qui indigent medicina sanentur. Sed ei qui ostendit vobis vulnera sua, medicinam pœnitentiæ adhibebitis. Et qui erubescit manifestare malum suum, vos eum monete ne illud vos celet. Et cum manifestaverit vobis, nolite in publicum efferre, ne propter eum, et qui innoxii sunt, ab inimicis, apud quos in odio sumus, noxii et criminosi æstimentur. Legio in qua vulnerati multi cadunt, præ cæteris ab hostibus despicitur. Et qui sani sunt, cum socios inter se reperiunt, plagis illorum medentur, non autem eas manifestant inimicis suis : nam si aliter fecerint, inter omnes milites infames habentur. Et rex ductor exercitus irascitur eis qui infamiam exercitui suo insperserunt, eosque gravibus tormentis plagisque cruciat, duriusque tractat quam qui vulnerati sunt in bello. Si autem sauciati noluerint prodere vulnera sua, medici nequaquam puniendi sunt quod eos non sanaverint. Quin imo accepta vulnera doloresque suos neque armis obtegere atque occultare poterunt, quia lethalem morbum in corporibus suis contraxerunt : nam tabido et exitiali morbo laborantes, si audeant armis indui, inito certamine, cum arma membris incaluerint, vulnera eorum recrudescent, et ipsi interibunt. Repertis deinde cadaveribus eo-

rum qui vulnera sua absconderunt, in ipsorum dedecus atque opprobrium, notum omnibus manifestumque fiet eos celavisse dolores plagarum suarum; neque cadavera eorum digna censebunt sepultura, æstimantes eos pravos, pervicaces et amentes fuisse. At vero, qui indicavit vulnera sua et curatus fuit, caveat ne, ubi vulnus accepit et sanatus est, iterum vulneretur : nam sanare eam partem in qua semel atque iterum aliquis vulneratus est, sapienti medico difficile; quia vulnera cicatricum haud facile curantur : et etiamsi iterum sanetur, difficile tamen arma induere poterit; si autem induere conatus fuerit, et vulneretur, peccandi consuetudinem contrahet. O qui induistis arma Christi, discite certamen inire, ne, culpis debilitati, imbecilles sitis in pugna. Adversarius noster astutus est, vafer et dolosus; sed arma ejus debiliora sunt armis nostris. Opus nobis est ut aggrediamur et ultro feramur in hostem, factique vigiles spoliemus eum, capiamusque arma ejus dum adhuc dormit, nulliusque esse roboris ac virtutis ostendamus. At vero cum nos aggreditur, convertamur ad eum qui omnia videt, ut arceat illum a nobis.

III. At vobis, qui jam vulnerati estis, consilium do, et dico : ne erubescatis dicere : Debilitati sumus in bello. Accipite medicamentum sine pretio, et convertimini, et state, antequam pereatis. Reducam in mentem vestram, o medici, quidquid scriptum est in libris sapientis Medici nostri : non enim prohibet pœnitentiam. Nam cum peccavit Adam, vocavit eum ad pœnitentiam, dicens : « Ubi es, » Adam [1] ? et ille peccata sua abscondit ab eo qui scrutatur corda, et excusavit se quod Eva eum decepisset. Et quia confessus non est peccata delictorum suorum, sententia mortis lata est contra eum et contra generationem ejus. Et Caïn quia erat plenus dolo, ab eo munera Deus non ac-

[1] Gen. III, 9.

cepit; pœnitendi vero, si vellet, gratiam fecit, qua ille usus non est. Dixit enim ei Deus : « Si acceptus fueris, suscipiam » munera tua; si autem acceptus non fueris, peccata tua » perdent te[1]. » Et occidit fratrem suum ex dolo cordis sui, et fuit vagus et profugus in terra. Gentibus autem quæ erant in diebus Noë centum viginti annos ad pœnitentiam agendam concessit, et in consummatione centum annorum delevit et occidit illos. Vides ergo, dilectissime, quantum prodest confiteri, et expergisci ab iniquitate. Et quidem Ninivitæ, qui adauxerant peccata sua, quia crediderunt prædicationi Jonæ quando annuntiavit eis subversionem, et conversi sunt ad pœnitentiam, misertus est eorum Deus. At vero filii Israël cum multiplicavissent iniquitates suas, vocavit eos Deus ad pœnitentiam, et noluerunt pœnitentiam agere. Dicit enim per Jeremiam : « Pœnitentiam agite, filii, » pœnitentiam agite, et medebor languoribus vestris[2]. » Et iterum intimavit in auribus Jeremiæ, dicens : « Convertere, » filia, agens pœnitentiam[3]. » Et rursus ad filios Israël : « Convertimini, convertimini a viis vestris malis, et a ma» litia operum vestrorum[4]. » Et insuper dixit ad populum : « Si conversus fueris ad me, convertam te, et stabis tu ante » me[5]. » Et etiam exprobravit eis, dicens : « Dixi, quod » convertentur ad me habitatores Jerusalem ex omni corde » suo, et non sunt conversi[6]. » Et iterum verba super eos fecit, et revocavit in mentem eorum quidquid scriptum est in Lege : et voluit solvere Legem, dummodo pœnitentiam agerent, dicens : « Tanquam si acceperit vir uxorem, et uxor » egressa fuerit ab eo, et fuerit viri alterius; quod si mor» tuus fuerit vir qui accepit eam, vel dimiserit eam, et mu» lier reversa fuerit ad virum suum primum, et vir ambu» laverit et acceperit postquam polluta fuerit illa : ecce

[1] Gen. IV, 7. — [2] Jer. XVIII, 11; XXV, 5; XXXV, 15. — [3] Id. III, 12; IV, 1. — [4] Id. XXXV, 5. — [5] Idem, XV, 19. — [6] Id. XXXV, 15.

» pollutione polluitur terra illa [1]. Et nunc accepi te mihi, o » Jerusalem, et tu fuisti mihi; et egressa es a me, et pro- » fecta fornicata es cum lapideis et ligneis idolis. Nunc con- » vertere ad me, et accepto te; propter pœnitentiam tuam » solvo Legem [2]. »

IV. Vos autem, qui pœnitentiam agitis, nolite iis terreri quæ durius in Scripturis scripta occurrunt. Id enim Spiritui Dei conveniebat, ut nos hoc modo cautiores redderet. Cautionem igitur formidinis et timoris docuit, tradiditque Ezechieli prophetæ, dicens ad eum : « Si in omnibus die- » bus suis operatus fuerit homo judicia et justitiam, et in » fine dierum suorum iniquitatem : in illa iniquitate sua » morietur. Si autem operatus fuerit in omnibus diebus vitæ » suæ iniquitates, et conversus fuerit, et fecerit judicia, et » operatus fuerit justitiam : salvabit animam suam [3]. » Unico hoc sermone reddidit justum cautum, ne peccet et perdat labores suos; et spem præbuit iniquo, ut relinquat iniquitates et vivat. Hoc autem est quod dicit ad Ezechielem : Quamvis ego spem iniqui abscindam, tamen tu ita eum terrebis, ut sibi consulere et providere facias. Et cum confortando conforto justum, tu formidinem et timorem pones ante ejus faciem, ut caveat. Quando dico peccatori : Morte morieris, et tu non annuntiaveris ei, peccator in iniquitate sua morietur; sed sanguinem ejus de manu tua requiram, quia non clamavisti ad eum [4]. Si autem iniquus compunctus fuerit, vivet, quia cautus et providus factus est; et tu salvabis animam tuam. Et quando dico ad justum : Vita vives, et ille in hoc confidens fuerit, debes tu cautum eum reddere, ne eleveiur et peccet. Ille enim vivet, quia sibi cavit et providit; et tu salvabis animam tuam. Iterum audite, pœnitentes, Deum extendentem ad vos quodammodo manum, et ad se vocantem : nam pœnitentiæ locum

[1] Jer. III, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Ezech. III, 18; XXXIII, 4. — [4] Ibid.

præbens, clamat per Jeremiam : « Si dixero pro populo » et regno : Evellere, et destruere, et subvertere, et disperdere; et conversus fuerit populus ab iniquitate sua; et » ego avertam ab eo mala quæ cogitavi adducere super » eum. Si autem dixero super unam gentem, et regnum : » Ædificare, et plantare; et illa gens in hoc confidens fuerit, et fecerit mala coram me; et ego avertam ab ea bona » quæ volui adducere super eam, et in peccatis iniquitatis » suæ disperdam eam [1]. »

V. Audite et vos qui habetis claves portarum cœlorum, et reserate portam pœnitentibus, et sequimini ea quæ dixit beatus Apostolus : « Si repente aliquis ex vobis offendi» culum passus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales » estis, talem firmate in spiritu lenitatis [2]. » Attendite insuper ne quis vestrum cadat in tentationem. Timebat, et terrefactus Apostolus dicebat de seipso : « Fortasse ego, qui » aliis prædicavi, prorsus reprobus inveniar [3]. » Quicumque igitur ex vobis, aiebat [4], alicujus delicto offensus fuerit, nolite eum tanquam inimicum judicare, sed tanquam fratrem dilectum corrigere, ne cum separatus a vobis fuerit, suscipiatur a Diabolo. Iterum ait : « Oportet nos, qui » potentes sumus, portare debilitatem infirmorum [5]. » Et rursus dicit : « Ne qui potens est offendatur et maculetur, » sed potius sanetur [6]. »

VI. Pœnitentes autem, vobis iterum dico, nolite abjicere remedium quod vobis datum est ad salutem : sic enim inquiunt Scripturæ : « Qui confitentur peccata sua et absti» nent se ab eis, miserebitur Deus super eos [7]. » Observa eum justum qui dissipaverat substantiam suam : cum conversus ad patrem suum venit, gravisus est pater, et mactavit vitulum saginatum, et lætatus est pœnitentia et conversione

[1] Jerem. XVIII, 7. — [2] Galat. VI, 1. — [3] 1 Cor. VIII, 27. — [4] Galat. V. — [5] 1 Thess. 5. — [6] Gal. VI, 2. — [7] 1 Joan. I, 9.

filii : vocavit et amicos suos, ut secum gauderent : amplexatus et osculatus est eum, dicens : « Filius meus mortuus » erat, et revixit ; perierat, et inventus est[1] : et non punivit eum pro substantia quam dissipaverat. Confortavit utique Dominus pœnitentes, « Non veni, *inquiens*, vocare jus» tos, sed peccatores ad pœnitentiam[2]. » Et iterum dicens : « Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam » agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indi» gent pœnitentia[3]. » Propterea Pastor majorem curam adhibuit super ovem quæ ex toto grege suo perierat, quam super illas quæ non erraverant[4]. Christus mortuus est pro peccatoribus, et non pro justis ; sicut et dicit Isaias propheta : « Peccata multorum sustulit[5]. » Et Apostolus dicit : « Cum adhuc peccatores essemus, reconciliatus est nobis» cum Deus per mortem Filii sui ; quanto magis postquam » reconciliatus est, vivificabit nos vita ejus[6] ! » Parcit Deus confitenti peccata delictorum suorum. Quando peccavit David, venit ad eum Nathan propheta, et manifestavit ei delicta sua, et pœnas quibus puniendus erat. Tunc confessus est David, et ait : « Peccavi utique[7]. » Et dixit ei Nathan : Sic dicit Dominus : « Dimittam delicta tua, quia con» fessus es. » Et David cum orabat sic dicebat : « Tibi soli » peccavi, Domine, et malum coram te feci[8]. » Et similiter Deum rogabat, dicens : « Non existas adversarius servo » tuo ; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis ca» ro[9]. » Et Salomon sic aiebat : « Sed quis dicet : Justum » est cor meum, et purum est a peccatis[10] ? » Et in Lege scriptum est : Orabat Moyses in conspectu Dei, dicens : « Expias tu peccata et iniquitates, et facis innocentem de» bitorem[11]. » Et quando Deus voluit propter peccata de-

[1] Luc. xv, 32. — [2] Marc. II, 17. — [3] Luc. xv, 7. — [4] Matth. xvIII, 12, 13. Luc. xv, 4. — [5] Isai. LIII, 12. — [6] Rom. v, 10. — [7] 2 Reg. xII, 13. — [8] Psal. L, 6. — [9] Psal. CXLII, 2. — [10] Prov. xx, 9. — [11] Deut. IX.

lere populum, ita orabat et deprecabatur : « Dimitte delicta » populi tui, quemadmodum dimisisti eis ex die qua egressi » sunt de terra Ægyptiorum, usque ad hodiernum diem[1]. » Et dixit ei Deus : « Dimissa sint secundum verbum tuum[2]. » Similes estote, o pœnitentes qui quæritis veniam, Aaroni summo sacerdoti, quando seduxit populum in cultu vituli comedentis fœnum; confessus est peccata sua, et dimisit ei Dominus[3]. David initium regum Judæ confessus est delicta sua, et dimissa sunt ei. Et Simon, caput Discipulorum, qui negavit Christum, dicens, Non vidi, et anathematizavit, et juravit se eum nescire[4]; ut primum contritionem et pœnitentiam obtulit Deo, et lavit peccata sua lacrymis fletus sui, suscepit eum Dominus noster, fecitque illum fundamentum, et vocavit eum petram ædificii Ecclesiæ. Nolite fieri amentes et stulti sicut Adam, qui erubuit confiteri delicta sua. Nolite assimilari Caïn, qui, quando eum Deus punivit de fratricidio, interrogatus respondit : « Nescio ego » ubi sit Abel, quia non eram custos ejus[5]. » Nolite cogitationibus arrogantiæ efferri, et assimilari genti corruptrici : et nolite addere iniquitates super iniquitates, et multiplicare peccata vestra, excusantes vosmetipsos cum sitis rei. Aspicite patres primævos, etiamsi justi essent, nihilominus in humilitate continebant semetipsos. Sic aiebat Abraham : « Pulvis et cinis sum ego[6]; » et ponebat se sub infirmitate. Et David aiebat : « Homo, sicut fœnum dies ejus[7]. » Et Salomon dicebat et annuntiabat : « Si justus vix salva» bitur; iniquus autem et impius ubi invenietur[8]? »

VII. Rogo te, charissime, per misericordiam Dei, ne ex eo quod scripserim tibi, Deum non spernere pœnitentes, vigorem disciplinæ dissolvas, adeo ut pœnitentia indigeas.

[1] Num. XIV, 18, 19. — [2] Ibidem, 20. — [3] Exod. XXXII. Deut. IX, 20. — [4] Matth. XXVI, 74. Marc. XIV, 71. Luc. XXII, 60. Joan. XVIII, 25. — [5] Gen. IV, 9. — [6] Idem, XVIII, 27. — [7] Psal. CII. — [8] Prov. XI, 31. 1 Petr. IV, 18.

Siquidem in primis curandum est ne tibi necessaria sit pœnitentia : hæc enim manus porrecta est peccatoribus ; justis autem non est opus. Eleemosyna pauperibus distribuitur, divites autem ea non indigent ; homini qui nudus effugit a latronibus oportet dare vestem, ut cooperiat nuditatem pudoris sui. Omne quod habes noli perdere ; fortasse multum laborabis in quærendo illud, et incertum est an inveneris ; et si invenias, perinde non erit ac illud quod ante habebas. Neque enim fieri potest ut peccator per pœnitentiam æquetur illi qui ab omni culpa purus est. Contende ad excelsa et sublimia, ut ab infimis quam longe recedas. Muni te bonis armis, ne vulnereris in bello. Cura ne indigeas pharmaco, et labores eundo et veniendo ad medicum. Et quamvis sanatus fueris, tamen cicatrices apparebunt. Si autem pœnitentia tibi opus fuerit, noli esse similis terræ sterili ac desertæ, adeo ut pravitatis nota tibi inusta remaneat ; sed enitere ultra pœnitentiam. Homo cujus vestis lacera est, debet eam resarcire : et quamvis valde bene perfecerit, tamen quisque eam agnoscit. Homo cujus munitio et sepimentum destructum est, magno labore reædificat illud : et quamvis reædificatum fuerit, tamen sepes destructa vocatur. Homo cujus domum fures effodiunt, efficitur miser, et spoliatus remanet, et perdit quod multo labore congregaverat. Arbor fructifera, si incidatur, prius multo tempore germinat ac florescit, quam fructum suum afferat. Et qui aperit ac destruit stagna fontium suorum, in irrigando agro laborat et defatigatur, donec ea rursum obstruat ac muniat ; et quamvis bene munierit, timet ne aquæ multiplicatæ recens munita demoliantur. Et qui ante tempus vindemiat vineam suam, dentes ei in acerbis uvis comedendis obstupescunt. Et facies ejus qui furatur erubescit ; et dum aliquis miseretur ejus, angitur et laborat. Et qui in colenda vinea remissus est, capite demisso mercedem suam

accipit, et majorem exigere nequit. Qui reprimit fervorem adolescentiæ suæ, lætatur apud Antiquum dierum; et qui non potat aquas furto sublatas, quiescit super fontem vitæ.

VIII. O qui invitati estis ad bellum, audite sonum tubæ, et confortamini. Dico etiam vobis qui tenetis tubas istas, sacerdotes, præsules et sapientes, clamate et dicite universo populo isti : Qui timet recedat a bello, ne frangat animum fratrum suorum æque ac suum. Et qui plantavit vineam, revertatur ad opera sua, ne sollicitudine illius distentus remissius agat in bello. Et cui promissa est uxor, si vult eam accipere, redeat, et cum uxore sua lætetur. Et qui ædificavit domum, revertatur ad illam, ne forte animo recolens eam, non pugnet strenue et fortiter. Solitariis convenit pugna, quia respiciunt ea quæ sunt ante, et non recolunt ea quæ sunt retro : anteriora intuentur, omnemque prædam sibi accipiunt, et quæ utilia sunt sectantur. Insuper dico vobis qui canitis tuba ista, cum hæc omnia annuntiaveritis, observate refugos, et accinctis providete, et ducite, et facite ut descendant ad aquas examinis ii qui seipsos offerunt ad pugnam. Nam quis sit fortis ac validus, aquæ examinis probant, et quinam sint debiles et infirmi, inde dignoscuntur, quoniam aquæ probationis eos manifestant. Considera, charissime, mysterium hoc, cujus typus et imago in Gedeone ostensa et præmonstrata est : nam cum congregaret ille exercitum ad pugnam certaminis, cœperunt scribæ annuntiare verba Legis, sermones quos supra ego tibi retuli : tunc multi ab exercitu discesserunt; et cum mansissent qui electi sunt ad bellum, dixit Dominus Gedeoni : « Accipe, duc, et fac istos descendere ad aquam, » et proba istos illic. Omnis qui festinaverit bibere aquam » lingua sua, fortis et aptus est ad pugnam belli; qui autem » ceciderit in umbilicum et ventrem suum, ut bibat aquam,

» solutus et remissus est in incessu suo ad bellum[1]. » Mysterium hoc magnum est, charissime, quod præmonstravit Deus Gedeoni, ostendens figuram baptismi, et mysterium belli, et imaginem solitariorum. Præmonstravit enim et nuntiavit de militibus delectis, ut eos in aquis Gedeon probaret; et cum probasset, ex viginti mille viris trecentos ad pugnandum in bello elegit. Id autem consentaneum est verbis Domini nostri dicentis : « Multi sunt vocati, pauci » vero electi[2]. » Propterea oportet vos qui tubis istis canitis, præcones Ecclesiæ, ut clametis, et annuntietis omnibus electis Dei ante baptismum, et annuntietis eis qui elegerunt se ad virginitatem adolescentibus, et iis qui sanctitatem sequi et se Deo dicare volunt : Quicumque ergo continere se nequit, et ad conjugium animo propendet, accipiat uxorem ante baptismum; intrabit enim temere in bellum istud, et cadens vulnerabitur. Et qui timet cominus cum hoste confligere, abeat e pugna, ne forte frangat cor fratrum suorum, perinde ac suum. Et qui diligit possessiones, ab exercitu discedat, ne forte, cum necesse est eum manus conserere, tum mente recolat possessiones suas, et fugiat : etenim qui fugam capit in bello, infamis sit; qui autem non se accinxit, et adhuc non est indutus armis, si discedat, non vituperatur : at quicumque accinxit semetipsum, et indutus est armis, si a bello discedat, omnibus ludibrio ac derisui est. Qui omnibus spoliat seipsum, is aptus est ad pugnam, quia nihil inde animo recolit ut, bello relicto, ad illud revertatur. Intimetur igitur et denuntietur universo clero, ut eos qui electi sunt ad bellum ducant, et offerant ad aquas baptismi, et probent; et post baptismum, periculum faciant, et experiantur qui fortes sint, qui vero animo sint soluti et remissi : decet enim fortes hortari ad pugnam; et qui sunt soluti et remissi,

[1] Jud. VII, 4. — [2] Matth.

ut palam et manifeste a bello recedant, ne forte cum supervenerit eis angustia asperitatis belli, furentur arma sua, et fugiant, et vituperentur. Dicit Dominus Gedeoni : « Duc, et fac eos qui electi sunt descendere ad aquam illam, et proba, etc. [1]. » Magnum, inquam, mysterium hoc est, charissime, quod præmonstravit et significavit Deus Gedeoni inquiens : « Quicumque lambuerit aquam suam, tanquam canis, decet eum ire ad bellum [2]. » In omnibus bestiis quæ domesticæ sunt hominibus, nulla alia est quæ adeo diligat dominum suum et servet custodiam ejus die ac nocte, sicut canis : et quamvis dominus percutiat eum, tamen ille ab ipso non recedit : et quando exit in venationem cum domino suo, et videt irruentem in eum leonem terribilem, tradit se in mortem pro domino suo. Ita fortes qui discernuntur ex aquis illis, sequuntur dominum suum tanquam canes, et tradunt seipsos in mortem pro eo, et pugnas ejus pugnant fortiter; servant custodias ejus, et latrant contra fures tanquam canes, meditantes legem die ac nocte; et diligunt Dominum nostrum, lingunt vulnera ejus, cum accipiunt corpus ejus, et ponunt super oculos suos, et lingunt eum lingua sua, quemadmodum canis lingit dominum suum. At illi qui non meditantur legem Domini, vocantur canes muti, quoniam latrare nequeunt : et omnes qui non sunt propensi ad jejunia, vocantur canes petulantes, qui satiari nesciunt : et qui importuni sunt in petenda eleemosyna, accipiunt panem filiorum, et projiciunt canibus. Insuper ait Dominus Gedeoni : « Qui cadunt in ventrem ut bibant aquam, non eant tecum ad bellum, ne cadant et vincantur in bello; quoniam dederunt indicium subversionis, male bibendo aquam [3]. » Propterea, dilectissime, convenit eis qui bellum aggrediuntur, ut pravis

[1] Jud. VII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid.

hominibus non assimilentur, et in bono opere remissi non sint, ne et ipsi a bello aufugiant, et opprobrio sint omnibus commilitonibus suis.

IX. Illud attende, dilectissime, non ideo quia dixi et suasi tibi ex Scripturis Deum non spernere pœnitentes, confidas in hoc et audeas peccare. Et non potius, quia dixi : Remittetur illi qui vulneratur si ex animo pœniteat, in mente habeas opus ei esse qui peccavit, ut omnes dies ejus sint in luctu, quippe qui in altum gradum elatus inde deciderit. Servus enim qui peccavit in dominum suum, immutat vestem suam ut reconcilietur ei dominus ; prævenit, et coram eo se sistit, ut ipsum aspiciat : et videns eum dominus sibi præsto semper adesse, et jussibus obsequentem, dimissis delictis, ei reconciliatur. Porro si servus dicat domino : Peccavi tibi, domine, miseretur ejus. E diverso si, cum prævaricatus fuerit, dixerit : Nequaquam ego peccavi, auget iram domini sui. Memento filii qui dissipavit substantiam suam : nam, cum confessus fuisset patri, debita ei dimisit. Et mulieri peccatrici, habenti multa debita, cum accessisset ad Dominum nostrum, misertus ejus dimisit ipsi peccata multa. Et cum Zachæus publicanus peccator confessus fuisset peccata sua, dimisit ei Dominus noster. Ipsemet Salvator noster dicit : « Non veni vocare justos, sed » peccatores ad pœnitentiam[1]. » Dominus noster mortuus est pro peccatoribus, et non fuit in vanum mors ejus. Et Apostolus de se ipso dicit : « Eram blasphemus, persecutor » et contumeliosus, et misertus est mei Deus[2]. » Iterum dicit : « Christus pro me est mortuus[3]. » Ovem quæ de toto grege periit, quæsivit dominus suus, et invenit, et de ea inventa lætatus est[4]. Gaudium fit vigilibus cœlorum quan-

[1] Matth. IX, 13. — [2] I Timoth. I. — [3] Galat. 2. — [4] Matth. XVIII, 12. Luc. XV, 4, 10.

do peccator ab iniquitate sua revertitur. Non vult Pater cœlestis ut pereat unus ex pusillis illis qui erraverunt, et quibus opus est pœnitentia. Cum quis ex nobis incidit in infirmitatem, omnes ei compatiamur : et cum quis offendiculum patitur, contristemur pro illo.

X. Cum uni membrorum nostrorum aliquid noxium acciderit, angamur in vulneribus ejus donec sanetur. Cum unum ex membris nostris glorificatur, totum corpus gloriosum et decorum est; et quando uni membrorum nostrorum dolor aliquis advenit, totum corpus morbus et tremor occupat. Qui scandalizat unum de pusillis istis, projiciatur in mare, habens lapidem molarem suspensum de collo suo. Qui gaudet de malo fratris sui, illico illius infirmitas ei ascribitur. Ejus qui calcat fratrem suum pede, non expiabuntur peccata. Derisori plagarum non est sanatio; et ei qui flagellat proximum suum non dimittuntur debita [1]. Qui fodit foveam alteri, ipse incidet in illam : qui devolvit lapidem, in se ipsum volvet. Qui offendiculum patitur in nocte non dicat : Unusquisque, perinde ac ego, erret ac offendat. Et dives qui redigitur ad paupertatem, non dicat : Omnes, similiter atque ego, inopinanter opprimantur egestate. Nam si ejus exaudiantur desideria et petitiones, quis ejus indigentiæ subveniet ?

XI. Hæc omnia scripsi tibi, charissime, quia in sæculo hoc nostro plures sunt qui, asceticam vitam eligentes, se Deo voto consecrarunt. Et certamen habemus ac bellum gerimus contra hostem, qui præliatur contra nos, conaturque ut iterum ad veterem conditionem revertamur, quia, recuperata nostra libertate, ab eo exivimus. Sunt vero ex nobis qui superantur et vulnerantur : horum autem aliqui se debitores ac reos agnoscunt, et justificare se manifestatis realibus delictorum suorum curant : alii vero ea men-

[1] Matth. XXIV, 49.

tis pervicacia sunt, ut nolint accedere ad pœnitentiam; et pro pudore suo secunda morte moriuntur, et non recolunt scrutatorem secretorum. Est etiam aliquis qui confitetur peccatum, et ei pœnitentia non conceditur. O dispensator Christi, præbe pœnitentiam in nomine Christi; et memento tu, quod Dominus tuus non spernit pœnitentes. Lolium seminatum est in agro, et dominus agri non permisit servos colligere lolium ex tritico, usque ad tempus messis. Missum est rete in mare, et pisces non eliguntur donec exeat rete. Et servi acceperunt argentum a domino suo, et servum nequam judicat dominus ejus. Triticum et palea mixta sunt simul, et dominus areæ separat et permundat. Multi vocati sunt ad nuptias, et eum qui non habet vestem dominus ejus mittit foras. Prudentes et fatuæ simul sunt, et dominus thalami scit quam introducat secum.

XII. O pastores, discipuli Domini nostri, pascite oves et deducite caute; corroborate debiles, confirmate infirmas, sanate ægras, et servate pingues domino gregis. Nolite assimilari insipienti pastori, qui in amentia sua neglexit pascere oves; et arefactum est ejus brachium, et excæcatus oculus, eo quod dixerit : Quæ moritura est, moriatur; et quæ peritura est, pereat; et quæ comesura est, comedat carnes sociarum suarum. Quando veniet Magister pastorum, reum judicabit pastorem insipientem et ignorantem, qui non bene curavit oves sibi commissas. Et qui pascit oves et deducit caute, vocatur ille servus bonus et fidelis, quia servavit et obtulit coram Pastore oves plane speciosas et pingues. O præsules, attendite bene, et deducite populum vestrum cum omni charitate, ne forte superveniat gladius hostilis, et occidat aliquem ex illis : ipse enim in peccato suo morietur, sed sanguis ejus e manibus vestris requiretur. Quod si postquam monueritis pereat homo ille, in peccato suo morietur, vos autem nequaquam puniemini.

O oves pingues, nolite superbe minari, ferientes et percutientes infirmas, ne condemnemini a magno Pastore nostro, quando veniet. Audi hanc veritatem, quæ allicit pœnitentes et aggregat justis. Mundus iste, mundus gratiæ est; et usque ad consummationem finis sui, est in eo locus pœnitentiæ. Appropinquat tempus quo gratia transeat, et veritas regnet. Pœnitentia non est in tempore illo, quia voluntate ejus suo tempore gratia dominata est. Et cum advenerit tempus judicii, non vult recipere pœnitentes : quia pœnitentiæ terminus positus est et impletus, et deinceps non amplius est ei locus. Lege, charissime, et disce, agnosce, et vide quoniam hac in re omnes aliquo modo indigemus : multi enim sunt qui currunt in stadio, sed vir fortis et virtute præditus solum attingit scopum; omnis autem homo secundum labores suos mercedem accipit.

---

# SERMO OCTAVUS.

## DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

I. Impugnatur quotidie mortuorum resurrectio : Quomodo, aiunt, mortui resurgent? et quo corpore redibunt? quoniam ecce corrumpitur et consumitur corpus, et ossa, cum longa tempora effluxerint, comminuuntur, conteruntur, et non apparent. Et si intres, inquiunt, in sepulcrum ubi centum mortui sepulti sunt, pugillum pulveris vix invenies. Alii vero, qui in ejusdem rei cogitationem veniunt, ita obloquuntur : Scimus nos quod mortui resurgunt; sed induuntur corpore cœlesti et formis spiritualibus. Quod si non ita est, aiunt, hi ipsi centum mortui qui in uno se-

pulcro sepulti sunt, et progressu temporis nihil eorum remanet, cum resurgent mortui, quodnam corpus, cum nullum sit, induunt? utique cœleste.

II. Amens certe et insipiens est quicumque in mente hanc cogitationem revolvit, inquiens: Cum mortui in sepulcrum illati sunt, aliquid erant; et postquam multa tempora transiverunt, in nihilum redacti sunt: cum vero advenerit tempus resurrectionis mortuorum, quomodo quod erat nihil fit aliquid, quemadmodum prius erat, veterique naturæ superadditur renovatio? O amens qui hæc cogitas, audi quid dicat Apostolus stultum similem tui in medium adducens, et ita redarguens: « Insipiens tu, quod seminas » non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non » idem corpus quod gignendum est seminas, sed nudum gra» num, ut puta tritici, aut hordei, aut aliorum seminum: » et Deus dat illi corpus, sicuti vult, unicuique seminum » proprium corpus[1]. » Hinc igitur, stulte, crede quod unusquisque mortuorum corpore suo induetur. Nunquam tu seminasti hordeum, et messuisti triticum; et nunquam plantasti vitem, et germinavit tibi ficulnea: sed omnia juxta principium suum renascuntur. Ita idem corpus quod cadit, resurgit. Et quoniam prius corpus corrumpitur et consumitur, ex similitudine illa seminum convenit tibi id credere, hoc est eo modo quo semen, cum cadit in terram, putrescit prius et corrumpitur, et ex illo eodem putrefacto germinat, floret et enascitur fructus. Nam locus in quo semina non sunt sata, fructum non affert, quamvis campus ille opportunam pluviam imbiberit. Et ex sepulcro in quo non est sepultus mortuus, in resurrectione mortuorum homo non egreditur, quamvis et totus sonus tubæ insonuerit intus. Quod si, uti dicunt, animæ justorum ascendunt in cœlum et induuntur corpore cœlesti, naturæ quidem cœ-

[1] 1 Cor. xv, 36.

lestes in cœlis sunt, et ille qui suscitat mortuos in cœlo habitat; quomodo ergo ille adveniens suscitabit mortuos ex terra ista? et cur nobis scriptum est, « quod veniet tempus » quando mortui audient vocem Filii hominis, et exibunt e » monumentis suis[1]. » Non igitur e cœlis descendit corpus cœleste intrans in monumentum, et iterum egreditur, ut aiunt insipientes. Sed quare dixit Apostolus : « Aliud cor» pus cœleste, et aliud corpus terrestre[2]. » Qui id opponit, audiat et aliud quod ait ibidem Apostolus : « Est corpus » spirituale[3]. » Et iterum : « Omnes, *inquit*, resurgemus, » sed non omnes immutabimur[4]. » Iterum : « Oportet cor» ruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc » induere immortalitatem[5]. » Et rursus : « Omnes nos mani» festari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquis» que propria corporis prout gessit, sive bonum, sive ma» lum[6]. » Et iterum : « Quid facient, *ait*, qui baptizantur » pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, utquid et » baptizantur pro illis[7]? » Insuper : « Si resurrectio mortuo» rum non est, neque Christus resurrexit[8]. Si autem Chri» stus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, in» anis est et fides vestra[9] : invenimur autem et falsi testes » Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod » suscitaverit Christum, quem non suscitavit si mortui non » resurgunt[10]. » Si ergo mortui non resurgunt, neque est judicium. « Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur. » Nolite, *ait*, seduci : corrumpunt mores bonos colloquia » mala[11]. » Illud quod dixit Apostolus : « Aliud corpus cœ» leste est, et aliud corpus terrestre, » ita a te intelligendum est. Cum resurgit corpus justi, et immutatur, vocatur illud cœleste; sed quod non immutatur, corpus vocatur juxta naturam suam terrestre. Sed audi hæc alia, quæ illis si-

[1] Joan. v, 28. — [2] 1 Cor. xv, 40. — [3] Ibid. 44. — [4] Ibid. 51. — [5] Ibid. — [6] 2 Cor. v, 10. — [7] Id. xv, 29. — [8] Ibid. 16. — [9] Ibid. 14. — [10] Ibid. 15. — [11] Ib. 32, 33.

milia sunt : alibi enim ipse Apostolus : « Homo spiritualis » omnia judicat, et ipse a nemine judicatur[1]. » Iterum dicit : « Qui spirituales sunt, spiritualia cogitant; qui autem car- » nales sunt, carnalia[2]. » Iterum : « Cum essemus, *ait,* » in carne, passiones peccatorum, quæ per Legem erant, » operabantur in membris nostris, ut fructificarent mor- » ti[3]. » Itidem : « Si est, *inquit,* in vobis spiritus Chri- » sti, estis vos in spiritu[4]. » Hæc omnia locutus est Apostolus de homine qui indutus est corpore, et operatur opera spiritus. Ita et in mortuorum resurrectione justorum corpora immutantur. Et forma terrestris immergitur in cœlestem, et vocatur corpus cœleste : sed quod non immutatur, vocatur terrestre. Sed latius de hac resurrectione mortuorum, quoad possum, te docebo. Ab initio, cum formasset Deus Adam, ex pulvere creavit et suscitavit eum : quare si, dum nihil erat Adam, fecit eum, quanto facilius erit Deo, cum fuerit, rursus illum suscitare ? quoniam ecce semen ejus quodammodo seminatum est in terra. Profecto si faceret nobis Deus quæ fieri facilia sunt, non viderentur nobis magna opera sua. Sunt homines ingeniosi, mira opera efficientes ; et ad horum operum imperiti obstupescunt, et mirantur quomodo facta sint; et opus sociorum suorum difficile videtur in oculis eorum : quanto magis opera Dei debent illis esse admirabilia ? Deo non est aliquid magnum suscitare mortuos. Dum semen non erat seminatum, germinavit terra quod non ceciderat in ea ; et dum non erat fœta frugibus, genuit in virginitate sua. Quomodo igitur erit difficile ut terra ea producat quorum semina sata sunt in ea, et ut jam gravida gignat ? Quoniam ecce tempus partus ejus appropinquavit, sicut et Isaias dicit[5]. At vero fortasse nobis reponent : Quis audivit, aut quis talia mira-

[1] I Cor. II, 15. — [2] Rom. VIII, 5. — [3] Id. VII, 5. — [4] Idem, VIII, 9. — [5] Isai. XXVI, 17.

bilia vidit unquam, terram universum hominum genus uno fœtu gignere? Adam non erat satus, et natus est : et non erat conceptus, et genitus est. Nunc generationes ejus seminatæ sunt, et expectant pluvias, et germinabunt. Et ecce terra prægnans est multis, et proxima est partui.

III. Omnes patres nostri spe sperabant resurrectionem, et ad eam properabant, sicut et dixit beatus Apostolus : « Quod si eam civitatem unde egressus est Abraham sperabant justi, et eam mente recolebant, aderat tempus revertendi ad eam unde exierant; sed meliorem intendentes optaverunt, id est cœlestem[1]. » Et expectabant ut cito hinc separarentur, et proficiscerentur illuc; et ex his quæ mox tibi dicam, probe intelliges quod sperabant resurrectionem. Jacob pater noster cum moreretur, adjuravit Joseph filium suum, dicens ei : « In sepulcro patrum meorum sepelies me, ad Abraham, et Saram, et Isaac, et Rebeccam[2]. » Et quare, dilectissime, noluit Jacob in terra Ægyptiorum, sed cum patribus suis sepeliri? Utique quia præmonere voluit quod speraret resurrectionem mortuorum, et ideo ut, cum fieret clamor et insonaret vox tubæ, resurgeret prope patres suos, et in die resurrectionis non commisceretur iniquis, qui revertuntur ad infernum. Ita et Joseph adjuravit fratres suos, dicens eis : « Cum recordatus fuerit Deus vestri, asportate ossa mea vobiscum de loco isto[3]. » Et fecerunt fratres quod jusserat Joseph, et adjurationem centum viginti quinque annis custodiverunt. Nam cum postea exercitus Domini e terra Ægyptiorum egressi sunt, tunc tulit Moyses ossa Joseph; et visa sunt ei pretiosa ossa viri justi, et meliora ab eo æstimata sunt auro et argento quæ filii Israël Ægyptiis abstulerunt. Et fuerunt ossa Joseph in deserto quadraginta annis. Et cum defunc-

[1] Hebr. XI, 15. — [2] Gen. XLVII, 29. — [3] Id. L, 24. Exod. XIII, 19. Hebr. XI, 22.

tus per id tempus fuisset Moyses, hæres eorum fuit Josuë filius Nave[1]. Meliora enim videbantur ei ossa Joseph patris sui omni præda terræ quam subjugavit. Et quare dedit Moyses Josuë ossa Joseph? quia erat ille ex genere Ephraïm, et ipse sepelivit in terra illa, ut ibi, tanquam thesaurus, ossa Joseph recondita essent. Cum autem moreretur Jacob, benedixit filiis suis, qui patres tribuum fuerunt, et præmonstravit quod eventurum erat novissimis temporibus, dicens ad Ruben : « Ruben, primogenitus filius meus » es tu, fortitudo et principium filiorum meorum : cum du» ritia incessisti; in duritia petulantiæ gessisti temetipsum, » contumeliosus fuisti in me : tanquam aqua, non ebullies » sursum. Ascendisti cubile patris tui, maculasti stratum » quod ascendisti[2]. » Ab eo tempore quo defunctus est Jacob, usque quo mortuus est Moyses, elapsi sunt ducenti triginta tres anni. Tunc vero Moyses curavit in sacerdotio suo expiationem facere pro Ruben, qui deliquit et peccavit dormiens cum Bala concubina patris sui; ut, cum resurgerent fratres ejus, non deesset ex numero eorum. Dicit itaque in principio benedictionum suarum : « Vivet Ruben, » et non morietur, et erit ille in numero computationis[3].» Cum advenisset tempus ut ipse Moyses requiesceret ad patres suos, turbatus et contristatus est; et petebat a Domino suo, et rogabat ut ultra transiret, et terram promissam aspiceret[4]. Et quare, dilectissime, tristis erat vir justus? Non quod non transiret et videret terram illam donorum, sed quod non iret et sepeliretur cum patribus suis, sed sepeliendus esset in terra inimicorum, et in terra Moabitarum. Nam Moabitæ conduxerunt Balaam filium Beor, ut imprecaretur et malediceret Israël. Propterea Moyses desiderabat ut in terra illa non sepeliretur, ne venirent Moabitæ, et aperirent sepulcrum, et extraherent ossa ejus et dispergerent. Deus

[1] Jos. xxiv, 32. — [2] Gen. xlix, 3. — [3] Deut. xxxiii, 6. — [4] Id. iii, 25.

autem maxima beneficia tribuit Moysi : nam duxit et elevavit eum super montem Nabo, et ostendit ei omnem terram, eamque quodammodo coram ipso adduxit, ejusque aspectui subjecit[1]. Et cum oculos circumtulisset Moyses per omnem terram, aspexit montem Jebusæorum, et præparatum locum requiei. Et tristatus est, et flevit, cum vidisset sepulcrum quod est in civitate Chebron, locum ubi sepulti erant patres sui, Abraham, Isaac et Jacob, quia sepeliendus non erat apud eos, et ossa sua non apponenda ad ossa eorum, ut cum eis resurgeret in die resurrectionis. Et postquam vidit omnem terram, confortavit eum Dominus, dicens : Ego sepeliam te, et occultabo, et nemo sciet sepulcrum tuum. « Et mortuus est Moyses juxta jussum Domini : » et sepelivit eum Dominus suus in monte Moabitarum con- » tra Phogor, ubi peccavit Israël : et nemo scivit sepul- » crum ejus usque ad hodiernum diem[2]. » Dominus, cum Moysis sepulcrum occultavit, duo ei beneficia præstitit : unum, ne inimici invenirent et extraherent ossa ejus e sepulcro, et dissiparent; et alterum, ne homines populi gentis suæ scirent, et sepulcrum ejus locum adorationis constituerent, quoniam tanquam Deus habitus est ille in oculis populi. Hinc autem intellige, charissime, qua de causa, cum eos reliquit et ascendit in montem, dixerunt : « Moysi, qui eduxit nos de terra Ægyptiorum, nescimus » quid acciderit[3]. » Et fecerunt sibi imaginem vituli, et adoraverunt eam ; et non meminerunt quod Deus eduxit eos per Moysen, forti manu et brachio excelso. Propterea gratiam fecit Deus Moysi, occultans sepulcrum ejus, ne sculperent sibi ejus imaginem, atque ei sacrificia offerentes, in peccatis suis transferrent ossa viri justi.

IV. Ipse autem Moyses alibi etiam manifeste prænuntiavit resurrectionem mortuorum ex ore Dei, dicens : « Ego

[1] Num. XXVII, 12. Deut. XXXIV, 2. — [2] Ibid. 5, 6. — [3] Exod. XXXII, 1.

» mortifico, et vivifico[1]. » Item Anna in sua oratione inquit : « Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos » et reducit[2]. » Et Esaias propheta : « Vivent, *ait,* mortui » tui et cadavera eorum resurgent : expergiscentur, et lau- » dabunt, qui dormiunt in pulvere[3]. » Et jam ante David præcinuerat, dicens : « Ecce mortuis facis tu mirabilia : et » gentes proceræ resurgent, et confitebuntur tibi, et nar- » rabunt in sepulcris gratiam misericordiæ tuæ[4]. » Et quomodo quidem narrabunt gratiam misericordiæ Dei ? nisi cum audierint vocem tubæ, et sonum fistulæ, quæ insonabit ab excelsis, et erit terræ motus, et aperientur sepulcra, et resurgent gentes proceræ cum gloria, et narrabunt in sepulcris unanimiter, et dicent : « Magna est gratia hæc quam » concessit nobis : quia abcissa erat spes nostra, et denuo » facta est nobis spes : seminavimus in corruptione, et re- » surreximus cum gloria : sepulti sumus in mortalitate, et » resurreximus cum virtute. » Hæc est gratia quam narrant in sepulcris.

V. At vero non verbis solum, dilectissime, locutus est qui suscitat mortuos, sed et rebus ipsis et factis id ostendit nobis Deus, multisque modis testatus est, ne ob incredulitatem puniamur. Per Eliam mirabili prodigio ostendit quod mortui vivunt, et resurgent qui dormiunt in pulvere, cum mortuum filium viduæ mulieris Propheta suscitavit et dedit matri suæ[5]. Et similiter Elisæus ad vitam revocavit filium mulieris Sunamitidis[6], ut certum ac firmum alterum testimonium resurrectionis haberemus. Et super ossa Elisæi projecerunt mortuum, et vixit[7]. Atque ita tertium testimonium nobis datum est. Etiam per Ezechielem prophetam declarata est manifeste resurrectio, et vivificatio mortuorum, quando eum assumpsit Deus et duxit in quemdam

[1] Deut. XXXII, 39. — [2] 1 Reg. II, 6. — [3] Isai. XXVI, 19. — [4] Ps. LXXXVII, 11, 12. — [5] 3 Reg. XVII, 21. — [6] 4 Reg. IV, 31. — [7] Id. XIII, 21.

campum, et ostendit ei cumulos multorum ossium, dicens ei : « Fili hominis, putasne vivent ossa ista? » Respondit Ezechiel : « Domine Deus, tu nosti hoc. » Tum ita Deus ad eum : « Fili hominis, vaticinare de ossibus istis pacifice » cumulatis, dicens eis : Audite vos verbum Domini[1]. » Et cum Propheta fecisset ea audire verbum Domini, factus est sonitus et commotio, et congregata sunt quæ erant dissoluta et contrita. Et vidit ea Propheta, et stupuit, quia ex omnibus partibus celeriter veniebant facie ad faciem ad invicem, et os ad os singula singulis jungebantur. Dum adhuc stupefactus stabat ille, videbat quod et nervi suis juncturis committebantur, et universa ossa arida carne implebantur, et singula corpora cutem induebant, et cutis induta pilis ornabatur; sed adhuc spiritus non erat in eis. Iterum jussit Deus Prophetæ, dicens : « Vaticinare super spiritum, » vocabis tu super ista spiritus, et dices : Irruant a quatuor » partibus spiritus, et impleant corpora mortua, et revi» viscant[2]. » Et cum fecisset ea audire alterum illud quoque verbum, venerunt et intraverunt spiritus in ea, et vixerunt, surrexerunt, steteruntque super pedes suos, et facta sunt agmina exercitus grandis nimis valde.

VI. Et quare non uno illo primo verbo resurrexerunt mortui, et completa est resurrectio simul ossium et spirituum, sed uno verbo ossa juncta sunt, et altero spiritus advenerunt? Id propterea factum est ut reservaretur et fieret perfecta resurrectio solum per Dominum nostrum Jesum Christum, qui una voce, uno verbo suscitabit omnes generationes Adæ : non quod ponderosum et ingens quodammodo foret verbum illud, nam modicum seu abbreviatum erat vocandum. Profecto notum et compertum habes, quoniam et Elias, et Elisæus, quando suscitaverunt mortuos, haudquaquam uno verbo suscitaverunt; sed orave-

[1] Ezech. XXXVII, 3. — [2] Ibid. 9.

runt, et deprecati sunt, et multis horis tardaverunt priusquam mortui resurgerent. Profecto etiam Dominus noster in primo suo adventu tres mortuos suscitavit, ut trium testimonium certum haberetur; sed singulos binis verbis suscitavit : filius viduæ mulieris binis verbis vocavit, dicens : « Adolescens (tibi dico), surge[1]; » et revixit, et surrexit. Et filiam archisynagogi bis vocavit, dicens : « Puella (tibi » dico), surge[2] ; » et redivit in eam anima ejus, et surrexit. Et quando mortuus est Lazarus, profectus est ipse ad ejus sepulcrum, oravit, et clamavit voce magna oris sui, dicens : « Lazare, veni foras[3]; » et revixit, et exivit ex sepulcro. Quod autem tibi dixi, binis verbis hos mortuos suscitatos fuisse, ideo factum est quia duæ resurrectiones in ipsis fieri debebant : una illa prima, quæ tum facta est; secunda, illa quæ futura est. At vero in illa resurrectione in qua omnes homines resurgent, nec amplius morientur, uno verbo Dei, quod emittitur per Christum, resurgunt omnes defuncti illico, in ictu oculi. Non enim debilis aliquis et infirmus est vocans per illud verbum : nam uno verbo vocat, et facit ut audiant omnes fines terræ, et expergiscuntur et resurgunt defuncti. Et non redit inane verbum ad eum qui emisit, sed sicut scriptum est per Isaiam prophetam, ubi verbum suum assimilat Deus pluviæ et nivi, dicens : « Quomodo descendit imber vel nix de cœlo, et illuc ultra » non revertitur, sed inebriat terram, et irrigat eam, et ger- » minare eam facit, et dat semen serenti, et panem come- » denti[4] : sic erit verbum meum, quod egredietur de ore » meo ; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcum- » que volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud[5]. » Imber quidem et nix non revertuntur in cœlum, quoniam voluntatem ejus qui eos misit exequuntur in terra : sermo

[1] Luc. VII, 14. — [2] Marc. V, 41. — [3] Joan. XI, 43. — [4] Isai. — [5] Psalm. LV, 10.

autem quem Deus mittit per Christum, quoniam ipse est verbum, revertitur ad eum virtute multa; nam quando venit et fertur, descendit instar imbris et nivis, et germinant in eo qui seminati sunt justi, et reddunt fructum. Et revertitur sermo ad missorem suum, et nihil est ex eo vacuum et inane; sed ut loquitur coram eo qui misit : « Ecce ego, » et filii quos tu dedisti mihi[1]. » Et de voce ista qua mortui vivunt, perhibuit testimonium Salvator noster, dicens : « Veniet tempus quo mortui audient vocem Filii ejus, et » exibunt e sepulcris suis[2]. » Quemadmodum et scriptum est : « In principio erat vox[3]; » quoniam ille ipse vox est, et verbum. Nam iterum dicit Scriptura : « Verbum caro » factum est, et requievit in nobis[4]. » Et hoc ipsum verbum vox est Dei, quæ clamat ab excelsis, et suscitat mortuos. Præterea demonstravit etiam Dominus Sadducæis futuram resurrectionem mortuorum, quando proposita parabola de muliere quæ habuerat septem viros, dixerunt ei : « Ecce mulier hæc fuit omnium : in resurrectione mor» tuorum, cujus ex illis erit[5]? » Ipse autem eis respondit : « Valde erratis vos, et nescitis Scripturas, neque virtutem » Dei. Qui enim digni habebuntur sæculo illo, et resurrec» tione ex mortuis, neque nubent mulieres, neque viri du» cent uxores, quia mori nequeunt. Nam tanquam Angeli » ambulabunt, et tanquam filii Dei. De resurrectione autem » mortuorum non legistis vos unquam in Scripturis, quo» niam Deus dixit ad Moysen in rubo : Ego sum Deus » Abraham, Isaac, et Jacob : et ecce Deus non est mor» tuorum, quoniam omnes vivunt ei[6]? »

VII. Et quidem sunt etiam aliqui qui, dum hic vivunt, apud Deum moriuntur. Præcepit et comminatus est Deus Adæ, dicens : « In quocumque die comederis ex ligno illo,

[1] Joan. XVII, 9; XVIII, 12. — [2] Idem, V. — [3] Idem, I, 1. — [4] Ibid. 14. — [5] Matth. XXII, 28. — [6] Ibid. 29, 39.

» morte morieris[1]. » Et postquam transgressus est præceptum, vixit nongentis triginta annis[2]; sed Deo mortuus erat ille in peccatis suis. Certum tibi sit peccatorem vocari mortuum dum adhuc vivit, id enim ostenditur tibi ex eo quod scriptum est ab Ezechiele propheta : « Vivo ego, dicit Dominus, » implens voluntatem, quoniam nolo ego mortem peccato- » ris mortui[3]. » Et Dominus noster respondit homini qui dixit : Permitte me ire, et sepelire patrem et matrem meam, et veniam ad te : « Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; » tu autem vade, et annuntia regnum Dei[4]. » Quomodo autem hæc intelligenda putas, o dilectissime? Vidistine unquam mortuos sepelire mortuos? quomodo surgent mortui ad sepeliendos mortuos? Sed accipe horum verborum sensum. Peccator, dum vivit, mortuus est apud Deum : et justus, quamvis mortuus sit, vivit apud Deum. Hæc mors tua somnus est, dilectissime; sicut et David ait : « Ego dormivi, » et soporatus sum, et exurrexi[5]. » Et iterum dicit : « Exur- » gent dormientes in pulvere[6]. » Et Dominus noster de filia archisynagogi : « Puella hæc, *ait,* non est mortua, sed dor- » mit[7]. » Et de Lazaro dixit Discipulis : « Lazarus amicus » noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum[8]. » Et Apostolus : « Omnes, *inquit,* dormiemus, sed non omnes » immutabimur[9]. » Et iterum dicit : « De dormientibus non » contristemini. »

VIII. Oportet nos timere secundam mortem, quæ plena est fletu oculorum et stridore dentium, gemitibus, angustiis et tribulationibus; illam, inquam, mortem quæ inhabitat in tenebris exterioribus. Beati quidem erunt fideles et justi in resurrectione mortuorum, quia spem tunc habebunt resurgendi, et accipiendi præmia bonorum operum.

[1] Genes. II, 17. — [2] Id. V, 3, 4. — [3] Ezech. XVIII, 23, 32; XXXIII, 11. — [4] Matth. VIII, 22. — [5] Psal. III, 6. — [6] Dan. XII, 2. — [7] Matth. IX, 24. — [8] Joan. XI, 11. — [9] 1 Cor. XV, 51.

Sed iniquis, qui non credunt in resurrectionem illam, væ undique illis reservatum est : melius esset eis si penitus non resurgerent, sicut se non resurrecturos credunt. Nam servus cui a domino suo decreta sunt tormenta et vincula, cum dormit, nollet unquam exurgere; scit enim, cum primum factum fuerit mane, se vinctum fore ut torqueatur a domino suo. At servus bonus, cui promisit dominus suus præmia, sedet et cupidus diem expectat, quia, cum mane advenerit, præmia a domino suo accipiet : et si dormiat, in somno videt dominum suum, quasi donantem sibi præmia promissa; et lætatur in visione sua, et gaudens exultat. Somnus autem iniqui amarus est, quoniam anxio et sollicito est animo dum advenit mane, et fractum est cor ejus in cogitatione sua. Justi autem dormiunt, et somnus ipsorum dulcis est die ac nocte : et longam noctem non sentiunt, sed tanquam una hora videtur in oculis eorum, et in tempore matutino exurgunt et lætantur. Somnus autem iniquorum gravis est et onerosus super eos, et assimilantur viro qui incidens in febrem ardentem et in infirmitatem gravem, in lecto suo huc illuc frequenter volvitur, æstuatque per totam noctem : ita impius terrore perculsus timet mane illud, quoniam reus sistendus est coram Domino suo. Etenim fides nostra docet quod, quando dormiunt homines, animæ eorum qui sunt justi eunt ad Deum; illorum autem qui sunt peccatores, ad gehennam. Sicut dixit Apostolus : « Cum abiverimus a corpore isto, apud Dominum erimus [1]. » Memento quod hoc idem attigi in sermone de solitariis [2], inquiens quod Spiritus, quem recipiunt justi, vadit ad Dominum, in principium suum cœleste, usque ad tempus resurrectionis : revertitur deinde, ut induat corpus in quo habitavit; et semper interpellat Deum, cupiens ac desiderans

[1] 1 Thess. IV. — [2] Serm. VI, de Devotis.

resurrectionem corporis in quo inhabitavit, ut fiat consors bonorum, sicuti particeps fuit virtutum.

IX. Verum enim iterum offendiculum patiuntur sectæ hæreseon, machinationes malorum, ex eo quod dixit Vivificator noster : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descen- » dit de cœlo, qui erat reipsa in cœlo[1]. » Et dicunt : Ecce Dominus noster testatus est quod corpus terrestre non ascendit in cœlum. Sed vim ac sensum illorum verborum indocti atque imperiti non percipiunt : nam ibi docere voluit Dominus noster Nicodemum, qui vim ac sensum eorum quæ locutus ei fuerat non intellexerat; propterea dixit ei Dominus noster : « Nemo ascendit in cœlum et de- » scendit, ut enarret vobis quid illic sit. Si quod ex terra » ista erat dixi vobis, et non credidistis mihi ; quomodo si » dicerem vobis quod in cœlis est, credetis[2] ? » Nam nullus testis, inquit, inde descendit mecum, ut perhibeat testimonium de his quæ in cœlis sunt, ut crederetis : ascendit enim Elias illuc, et non descendit, ut testimonium perhiberet mecum, atque ita testimonio duorum certum haberetur. At vero, charissime, nullum sit tibi dubium de resurrectione mortuorum ; quoniam os ejus in quo vita est testimonium perhibuit, dicens : « Ego mortifico, et ego vivifico : » et ex uno ore illa duo mors et vita exierunt. Quemadmodum certum est quod mortificat, et ipsimet videmus ; ita certum apud nos et omni fide dignum esse debet quod rursum nos vivificabit. Itaque quidquid credendum ostendi tibi, accipe et crede, ut in die resurrectionis resurgas integro corpore, et a Domino tuo mercedem et retributionem fidei tuæ recipias, et in iis quæ credidisti læteris atque exultes.

[1] Joan. III, 13. — [2] Ibid. 12.

# SERMO NONUS.

## DE HUMILITATE.

I. Bona est humilitas omni tempore. Ab omnibus angustiis eripit eos qui eam amplectuntur; et fructus ejus plurimus est, multa enim parit bona. Ex illa oritur simplicitas, qua Noë placuit Deo et salvatus est ab eo; sicut et scriptum est: « Vidi te justum et simplicem in generatione hac[1]. » Multa sunt præconia humilitatis; dicit enim Scriptura : « Mites » possidebunt terram, et habitabunt in ea in sæcula sæcu- » lorum[2]. » Item dicit Dominus per Isaiam prophetam : « In » quo requiescam, vel in quo habitabo, nisi in mitibus, et » in humilibus, et qui contremiscunt a sermone meo[3]? » Iterum dicit : « Melior est humilis spiritu, et humilis oculis, » eo qui accipit civitatem[4]. » Et iterum : « Justitia humilis » deducet eum[5]. » Et de Moyse viro fideli scriptum est: « Humilior erat omnibus filiis hominum qui erant super » terram[6]. » Humilitas signum et indicium est bonitatis et pietatis. Multa sunt dona quæ per humilitatem acquirunt qui diligunt eam : misericordia enim reperitur in humilibus; humilitas est habitaculum sanctitatis; disciplina apud humiles invenitur, et eorum labia eructant scientiam. Sapientiam et intelligentiam dat humilitas, et exultationem adipiscuntur humiles. Si quæris sobrietatem et patientiam, in humilibus inveniuntur, et illis vita solitaria (hoc est ascetica) congruit. Amabilis est humilis, et dulcia sunt verba

[1] Gen. VII, 1. — [2] Matth. V, 4. — [3] Isai. LXVI, 2. — [4] Prov. XVI, 19, 32. — [5] Id. XXIX, 23. — [6] Num. XII, 3.

illius, et hilaris est facies ejus : ridet, et lætatur. Dilectio ornat humiles, quia sciunt ambulare in illa. Humiles et mites servantur ab omnibus malis, et exultant facies eorum in bonitate cordis sui. Loquitur humilis, et decet ipsum : labia ejus rident, et non auditur loquela ejus. Timet humilis animi aversionem, quia illa partus est invidiæ. Quando audit humilis verba malitiæ, obturat aures suas, ne intrent in cor suum. Cogitatio humilis generat omnia bona, et solertia ingenii ejus ad ea pertingit. Bibit humilis disciplinam doctrinæ tanquam aquam, et intrat sicut oleum per interiora ejus. Humilis est aliis demissior, cor autem ejus in excelsis : et illic ubi sunt thesauri sui, versantur cogitationes ejus. Oculi vultus ejus aspiciunt terram; oculi vero mentis ejus, in sublimibus et supernis. Formidat humilis jugiter ne verbum vindictæ et detractionis sibi exeat adversus aliquem. Sollicitus est humilis in lege Domini, et ab ea accipit medicinam quam exquirit. Lætatur humilis de bono proximi sui, et reputat proximum suum sicut seipsum. Accedit humilis ad superbum et arrogantem, et captivat et alligat mentem ejus. Destruit humilitas arces munitas, et avertit furorem et inimicitiam.

II. Vicit humilitas Jacob furorem Esaü fratris sui, et quadringentorum virorum qui erant cum eo. Et vicit humilitas Joseph iram fratrum suorum, qui invidia et odio eum prosequebantur. Et vicit Moyses humilitate sua et subjugavit omnem superbiam Pharaonis. Vicit humilitas David elationem Goliath, qui aggressus est eum indignatione sua. Vicit humilitas Ezechiæ jactantiam regis Sennacherib, qui minatus est et blasphemavit. Vicit humilitas Mardochæi omnem fastum gloriæ Aman. Et vicerunt Daniel et fratres ejus humilitate sua viros impios obloquentes de ipsis.

III. Humiles longe absunt ab omni invidia, æmulatione mala et contentione. Abominabilis est in oculis eorum ela-

tio superbiæ, et duritiam inobedientiæ non participant. Amovent a se mendacium, et alieni sunt a maledicentia : repellitur et rejicitur ab eis hostilitas, quia filii ædificationis sunt : amovent et eliminant e medio sui levitatem, quia vigilantes sunt super bonum nomen suum. Dolos nesciunt, quoniam ingenuitatem et sinceritatem diligunt. Quieti sunt, quia sperant requiem. Alieni facti sunt ab hoc mundo, et remota sunt ab eis convicia. Exosi sunt in oculis eorum homicidæ. Horrea cordium eorum plena sunt thesauris bonis. Mundæ sunt cogitationes eorum a dolo. Oculi cordium eorum aspiciunt excelsa, et dirigunt aspectum in pulchritudinem Domini sui, et exultant. Corda eorum concipiunt bona, et labia eorum pariunt fructum bonum. Amorem bonum Domini sui receperunt, et evellunt et abjiciunt a se spinas pravas : et semina eorum dant fructum centuplum, quia irrigant ea ex fonte vitæ. Plantata est in medio eorum animi demissio, et fructificat fidem et dilectionem. Induunt Christum tanquam vestem pretiosam, et custodiunt eam ab omni coïnquinatione. Habitat in eis Spiritus quem acceperunt; dilectus est eis, et non contristant illum. Ornant templa sua Regi qui venturus est, qui intrat et habitat in mitibus et humilibus. Ponunt ædificia sua super firmum lapidem, et non timent fluctus et ventos. Lucidi sunt tanquam sol. Præparant lampades Regi venienti, et expectant intrare in thalamum ejus[1]. Accipiunt argentum et negotiantur, ut possideant decem civitates[2]. Libenter extrahunt et distribuunt facultates suas, et non reponunt argentum nec abscondunt. Corpore, quod videtur, ambulant super terram, et cogitationes eorum intentæ sunt ad Dominum. Incedunt et ambulant per viam sanctam, et intrant per portam angustam Regni. Se arcte astringunt in servanda lege; student et solliciti sunt in ea jugiter. Sunt in mundo tan-

[1] Matth. xxv, 7. — [2] Luc. xix, 16, 17.

quam extranei, et expectant civitatem illam quæ in cœlis est. Elevatæ sunt cogitationes eorum, et positæ sunt in excelsis, et in domum sanctam quæ sursum est festinant ingredi. Aperiunt oculos suos, et intuentur desuper, et vident Sponsum se præparantem. Eunt illuc semper eorum Angeli, et accipiunt et deferunt ædificationem et pacem. Scripta sunt nomina eorum in libro vitæ; orant et suspirant, ne ex eo deleantur : munera offerunt, jejunia et preces ei qui scribendi et delendi potestatem habet : super corda sua scribunt legem ejus, ut scribantur ipsi in libro illo qui est ab æterno : delent peccata sua jugiter, ne nomina eorum deleantur ex libro vitæ. Amant angustias hujus vitæ, ut condonentur eis tormenta quæ sunt æterna. Linguas suas instruunt in canticis spiritualibus, ut lætentur in regione illa unde suavis vox locutionis egreditur : nituntur aspicere regionem illam, et tenentur ejus desiderio, et suspirant ut desiderium compleatur. Hi sunt amici submissionis, et amatores eorum quorum multa est erga omnes mansuetudo.

IV. Humiles sunt filii Altissimi, et fratres Christi. Ipse cum annuntiatus est, per salutationem venit ad nos; et propter humilitatem Maria suscepit illum : quando Gabriel salutavit beatam Mariam, dixit ei : « Salutatio tibi, benedicta » in mulieribus[1]. » Et salutatio peperit fructum, et conceptus est intra eam partus amoris. Et benedixit et exaltavit Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, et non respexit superbos et arrogantes : nam Excelsus exaltat omnes humiles, eosque respicit, ut salutationis bona ad eos deveniant. Porro cum Christus natus est, docuerunt nos vigiles cœlorum humilitatem, ita benedicentes et canentes : « Gloria in cœlis, et salus terræ, et spes bona filiis homi- » num[2]. » Et cum docere nos vellet Dominus humilitatem

[1] Luc. I, 28. — [2] Idem, II, 14.

in adventu suo, sic ait : « Qui percutit te in maxillam tuam » colaphis, præbe ei et alteram[1]. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo[2]. Et qui aufert tibi vestimentum, tribue ei etiam tunicam tuam[3]. » Hæc quidem, quæ dixit Salvator noster, humiles exequi possunt. Celsitudo et gloria non convenit humili; neque corona regni in capite pauperis. Humilem qui elevatur odio prosequitur eum Dominus. Pauperem qui assumit sibi coronam, interficit eum rex, quia gloria et sublimitas regem solum decent : nam gloria ejus est, et celsitudo naturæ ipsius convenit. Insignia regni regem decent, non viles ac ignobiles. Exosus et odibilis est omnibus, qui non discernit conditionem suam. Propterea, dilectissime, quidquid Deus non vult esse apud nos, et diligit ut apud se sit, non reperiatur in nobis; sed apud ipsum maneat quod suum est, et nos maneamus in statu nostro. Nos decet humilitas, et eum gloria et celsitudo : ipse quod suum est habeat, et nos nostrum; nobis autem dedit humilitatem. Et quidquid ille non dedit, non usurpemus. Imo vero etiamsi aliquid dederit nobis, probando probat nos : qui vero usurpat aliquid quod non est suum, stultus et fraudulentus habetur : qui autem stat et manet in gradu humilium, exaltat eum Altissimus in regione gloriæ suæ.

V. Non potest homo duobus servire. Non est communicatio inter elationem et humilitatem, neque societas inter iracundiam et mansuetudinem, nec consortium inter inertiam et diligentiam, et inter sollicitudinem et tranquillitatem. Qui percipit hic voluptatem deliciasque suas, privabitur eis in sæculo venturo. Et omnis qui diligit humilitatem, elevabitur et exaltabitur in regione gloriæ. Dives, qui induebatur purpura, superbivit et elatus est; cum autem mortuus est, cecidit in tormenta : et Lazarus, qui humiliavit

[1] Matth. v, 39. — [2] Ibid. 41. — [3] Ibid. 40.

semetipsum, exaltatus est, et veniens sedit in sinu Abrahæ. Pharisæus et Publicanus simul in Templo orabant : Pharisæus elatus est, et justificavit semetipsum, et abiit, et descendit in domum suam damnatus; et Publicanus, qui humiliavit semetipsum, descendit in domum suam justificatus. Malum est contrarium bono, et tenebræ luci, et benignitati hostilitas : humilitas contraria est invidiæ et æmulationi, et silentium altercationi. Nulla malo vis est ad obsistendum bono : et tenebræ, cum venit lux, fugiunt : et dulcedo pellit amaritudinem : et mansuetudo vincit simultatem : et silentium extinguit rixas. Tenebræ non opponuntur obscuritati, neque odium hostilitati; neque invidia obstat aversioni, neque fel odit amaritudinem : sed mali invident bonis, et impii justis; et superbi efferuntur super humiles; et mendaces spernunt veridicos; et insipientes contemnunt sapientes; et in quo nullus animi candor est, odio ubique habet sinceritatem : et qui induit elationem, humilis exosus est ei, tanquam homicida : et cujus manus paratæ sunt ad iniquitatem, odit hominem justum : et cujus os plenum est mendacio, veracitas exosa et fœda est in oculis ejus.

VI. Contra invidiam nullum remedium, nisi silentium et patientia : sed retributionem pessimam recipiunt invidi. Pro eo quod invidit serpens Adæ in Paradiso, tres maledictiones suscepit in pœnam et punitionem suam. Abstulit Deus ab eo pedes, et gressus est super umbilicum ventris sui : privavit eum esca sua, et dedit ei pulverem in cibum : posuit eum inimicum, et calcabilem fecit hominibus[1]. Et Caïn occidit Abel ex invidia, et recepit maledictionem in septimum ævum, et fuit vagus et profugus super terram[2]. Esaü invidit Jacobo humili, et Jacob primogenita et benedictiones ejus accepit; et excelsus humili obedivit[3]. Et qui

[1] Gen. III, 14, 15. — [2] Id. IV, 15. — [3] Id. XXV, 31; XXVII, 5.

ex odio inviderunt Joseph humili, adoraverunt Joseph exaltatum [1]. Et Pharao, qui invidit Hebræis, et pueros eorum interfecit in aquis, judicio quo judicavit retributionem peccatorum suorum recepit [2]. Et quando Core cum sociis suis invidit Moysi, venit super eo retributio mala : infernus aperuit os suum, et deglutivit eos ; et ignis accensus est, et socios ejus consumpsit. Et quando Aaron et Maria inviderunt Moysi, minatus est Sanctus eos interficere [3] : et Maria apparuit candens lepra septem diebus [4]. Et quando Saül invidit David et odio prosecutus est, recessit ab eo Spiritus sanctus, et turbavit, et cruciavit eum spiritus nequam [5]. Et quando Achab invidit Naboth, et eum occidit, ubi effusus est sanguis Naboth, sanguinem illius linxerunt canes [6]. Et Jezabelem, quæ persecuta est Eliam et nequaquam potuit ei nocere, canes devoraverunt [7], et Elias elevatus est in cœlum [8]. Et obloquentes qui inviderunt justis comedit flamma ignis, et justi ab ea erepti sunt [9]. Et Chaldæi qui male locuti sunt de Daniele, inciderunt in foveam quam ei foderant [10]. Et Aman qui invidit Mardochæo et populo ejus, mortem crucis subivit cum filiis suis [11]. Et durum et insipientem populum, qui non recipit Regem Christum, e regionibus suis evulsit et dissipavit : ipse autem quasi recipiens coronam, in sedem suam rediens, coram eo inimici ejus interficientur. Hæc omnia diligenter scripsi tibi, ut certum tibi esset quod punitionis pœnæ, quibus puniendi sunt, acriter exiguntur ab humilibus e manibus impiorum.

VII. Præterea, charissime, id persuasum tibi sit, quod in quocumque qui inquinatus est impietate, invidiæ pravitas inhabitat, et regnat spiritus immundus quo agitatus

[1] Gen. XXXVII, 26 ; XLV, 1. — [2] Exod. I, 22 ; XIV, 28. — [3] Num. XVI, 31. — [4] Id. XII. — [5] 1 Reg. XVI, 14. — [6] 3 Reg. XXI, 2; XXII, 38. — [7] Id. XIX, 2. — [8] 4 Reg. II, 11; IX, 36. — [9] Dan. III, 22. — [10] Id. VI, 24. — [11] Esth. VII, 10 ; IX, 6.

fuit Saül. Nam quando David pulsabat cytharam pro Saül, ut quiesceret, Saül invidia qua plenus erat exagitatus, liberatorem suum percutere volebat. Sed apud quem invenitur humilitas, inhabitat in eo Spiritus mitis et mansuetus, et fit domus habitationis Christi. Et repetam quod superius scripsi, bonos non invidere malis, sed malos bonis. Nunquam visum est quod divites invideant pauperibus, neque pii impiis, neque justi iniquis, neque pueri ædificationis destructoribus, neque veridici mendacibus, neque recti perversis, neque honesti calumniatoribus. Propterea sequere humilitatem, quæ vincit invidiam et expellit inimicitiam; et adjunge ei silentium et patientiam, ut protegaris contra perversitatem. Dilige humilitatem, et adipiscere sobrietatem; et patientiam annecte eis. Multi diligunt humilem; elatum enim et superbum etiam iniqui, qui sunt ejus similes, odio habent. Aversare furorem, et abstine ab omni macula et coïnquinatione; quia Deo exosa sunt. Noli iræ reserare ostium, nempe os tuum : et faciem tuam noli in varias formas ob iracundiam immutare : et noli ei tradere linguam tuam, ne enascantur ex ea fructus mali. Fœtus iræ non oriantur, pravæque cogitationes in ortu suo eliminentur.

VIII. Si quando exarserit ira in te, erit tibi tanquam caligo. Noli ergo ei concredere linguam tuam, et noli linguæ tuæ tradere omnes cogitationes quæ ascendunt super cor tuum; sed intus in horreo cordis tui sepeli eas. Bonum cum concipit cor tuum, præbe linguæ tuæ : et sic os tuum edíscet verba bona. Volvatur verbum in corde tuo multis diebus, et si videris dignum esse, trade illud linguæ tuæ; sin secus, moriatur in corde tuo, et in cogitationibus tuis sepeliatur. Custodi linguam tuam a falso testimonio, ne accendas ignem in corpus tuum. Dominus tuus qui inhabitat in te, bene custodiatur; et noli introducere ad illum quæ sunt

ei inimica. Solus seorsum vult habitare in homine, et apud eum cujus pravæ sunt cogitationes non manet. Diligat silentium lingua tua, qua vulnera Domini tui lingis : caveant a discordia labia tua, quibus Regem Filium oscularis. Ex ore tuo inane aliquid non exeat, ne seipse subducat, et a te discedat. Amabis humilitatem, quia similis est ea muro ferreo ; diliges sobrietatem, et fructus benignitatis : anima enim ejus qui comedit ex eis, satiatur, et lætatur, et exultat. Omnis arbor ex fructu suo cognoscitur : et cogitationes hominis ex ore ejus manifestantur. Nam sapiens ex lingua illius qui appropinquat, ipsius cogitationes agnoscit : quoniam ex illarum reliquiis eloquuntur labia. Vir timens Deum, solum bona loquitur ; et quando audit verbum scurrilitatis, non intendit auditum suum ad illud ; et verbum malum non loquitur os ejus : cogitatio enim ejus non concipit quod abominabile est; et his delectatur quæ in lege Domini sui meditatur. Hi sunt fructus arboris bonæ. Et hominem mala cogitantem ex labiis ejus internoscit sapiens : si solum loquitur verba ludrica, et amara, et verba contemptus et blasphemiæ, ille qui audit ea cognoscit quod conceptione mala concepta sunt, et deinceps enata sunt; omnia enim, priusquam oriantur, concipiuntur. Recordare quod dixit Salvator noster : « Arbor bona bonum fructum » facit, et arbor mala fructum malum fert. Non potest ar» bor amara facere fructum dulcem, neque arbor dulcis » ferre fructum amarum. Ex ipso enim fructu cognoscitur » arbor[1]. » Ita et vir bonus ex bonis thesauris qui sunt in corde ejus extrahit, et loquitur bona ; et vir malus ex malis thesauris qui sunt in corde suo extrahit, et loquitur mala : quia ex iis quæ intus reliqua sunt, loquuntur labia. Si in arbore sunt mille fructus, ex uno potes agnoscere totam arborem. Si gustes fructum unum ex arbore cujus

[1] Matth. III.

fructus dulcis et suavis est, cupit anima tua omnes fructus illius arboris sola comedere. Ita vir sapiens, quando appropinquat homini malo, illico cognoscit eum ex verbis suis : si videat abominanda verba ejus esse et prava, non vult amplius audire : si accedat ad hominem sapientem, et gustet verba ejus bona, et dulcia, et plena scientiæ et intelligentiæ; ex eadem hora vult omnia verba ejus audire et discere. Itaque hominem qui dicitur humilis, ex sapore ejus dignoscit sapiens. Nam qui videri vult sapiens et quietus et humilis, et cor ejus cogitat mala, speciem quidem gerit humilis inter homines, et veluti sapientis cogitantis bona; sed similis est fructui amaro qui speciem habeat fructus mali cotonei, quoniam aspectus ejus similis est malo cotoneo, sed sapor ejus amaritudinem faucibus ingerit.

IX. Dilige, charissime, humilitatem, cujus odor suavis est et sapor dulcis. Humilis est in celsitudine; sed ejus cor in inferioribus manet, et amabilis est excelsis. Si humilibus acciderit humile aliquid, non conturbantur : nam in gradu et conditione sua, in qua stabant, permanent. Sed magna est subversio superbi qui non humiliat seipsum, quando humile aliquid ei advenit, quoniam in superbia sua non se humiliat. Amici humilis multi sunt, et non est numerus eorum qui de valetudine ejus interrogant. Gloriam ejus multi narrabunt, et ejus humilitas cooperit maculas delictorum suorum. Quod est in corde suo, nemini dicit. Stat humilis, et meditatur in sapientia, et mens ejus occupata est in excelsis et supernis. Verbum humilis audiendum est, quia excogitat et profert illud in statera. Anguli cordis ejus pleni sunt thesauris bonis, et lingua ejus parturit fructum dulcem. Humilitas fons pacis, et aquæ ædificationis exeunt ex ea. Dilexit Noë humilitatem, et ipsa eripuit eum a diluvio aquarum. Et accessit ad eam Abraham, et factus est hæres terræ vitæ; quia cecidit coram Domino Deo, et

humiliavit seipsum tanquam pulverem et cinerem. Et educatus est Isaac in humilitate, et obediverunt ei reges, et amaverunt fœdera ejus. Jacob, vir simplex, domi in familia enutritus, recepit a patre benedictionem Esaü fratris sui. Et singuli ex primis illis patribus nostris erant humiles, mites et pacifici. Et Excelsus exaltavit humiles, et humiliavit elatos, et venire fecit eos in contemptum. Dilexit Job humilitatem, et de ejus innocentia perhibuit testimonium Dominus : invidit ei iniquus Satanas, sed ipse hostem et adversarium justorum confudit. Exaltavit Dominus Job, quia confirmatus est in innocentia sua, sicut os ejus testimonium perhibuit.

X. Dilige, charissime, virtutem humilitatis, quæ ex origine corporeæ nostræ conditionis indita nobis et conveniens est. Nam justitia est, cum aliquis humiliat seipsum. Origo enim Adæ est ex pulvere terræ, et Dominus imposuit ei mandatum, ut custodiret illud. Nam si custodisset quidquid ei præceptum fuerat, in naturam excelsam perduxisset eum Dominus : sed quia voluit adipisci celsitudinem quæ naturæ ejus non conveniebat, convertit eum Dominus in originem humilitatis suæ. Profecto hac de re testimonium perhibuit Salvator noster, dicens : « Omnis » qui se exaltaverit, humiliabitur[1]. » Exaltavit se Adam, et reversus est in terram in primum originis suæ principium : addita enim erat illi gloria, et obediverant illi omnia. Salvator noster, qui humiliavit se, recepit gloriam suam, et alia insuper superaddita est : sed Adam, qui elatus est, humiliatus est, et maledictiones humilitati superadditæ sunt. Propterea, charissime, oportet utique et convenit homini diligere humilitatem, et stare, et manere in statu et conditione sua : nam radix humilitatis in terra plantata est, et emolumenta fructuum ejus pro magnitudine profunditatis

[1] Matth. XXIII, 12. Luc. XIV, 11 ; XVIII, 14.

suæ exoriuntur : fructus autem ejus desiderabiles sunt, quia generat tranquillitatem, et modestiam, et mentem suavem ac mitem. Humiles sunt simplices, patientes, amabiles, et innocentes; sinceri, et docti, et sapientes, et providi, et prudentes; pacati, et misericordes, et contriti, et indulgentes; penitissime intelligentes, et tranquilli, et decori. Qui diligit hanc arborem cujus sunt hujusmodi fructus, beata anima ejus, quia in requie est, et in eo inhabitat is qui habitat in mitibus et in humilibus.

# SERMO DECIMUS.

## DE PASTORIBUS.

I. Sedent pastores in capite gregis, et cibum vitæ ovibus distribuunt. Ille habet curam de ovibus pascui sui, qui pro eis vigilat et laborat : et discipulus est Pastoris nostri boni, qui dat animam suam pro ovibus suis. Et qui non pascit gregem suum, similis est mercenario, quia nulla cura est ei de ovibus. Similes estote, o pastores, primis pastoribus justis. Pavit Jacob oves Laban, laboravit, vigilavit, custodivit, et mercedem accepit. Ait Jacob ad Laban : « Ecce » viginti annis fui tecum : oves tuæ et capræ steriles non » fuerunt : et gregem ovium tuarum nunquam comedi, ne- » que ego duxi ad te fractam et debilitatam ovem; quoniam » a manibus meis exigebas illam. Die æstu urebar, diluculo » gelu algebam : fugit somnus ab oculis meis[1]. » Videte, pastores, pastorem hunc, quantam curam habuit super oves pascui sui : vigilabat nocte ad custodiam, et vigilabat

[1] Gen. xxxi, 38.

et laborabat die ad pascendum. Jacob pastor, Joseph pastor, et fratres ejus pastores; Moyses pastor, et Amos pastor : hi omnes pastores sunt, qui bene paverunt et deduxerunt oves. Et quare, dilectissime, illi antea pastores fuerunt, paveruntque oves, et deinde electi sunt ut homines pascerent, nisi ut prius discerent qualem curam impendere oportet in pascendis ovibus, et quantum vigilandum et laborandum est pro ovibus suis. Et cum didicissent officium pastoris, electi sunt ad munus ducis et rectoris hominum. Pavit Jacob oves Laban, et laboravit, et vigilavit, et bene duxit; deinde duxit filios suos, et præbuit eis exemplum officii pastoralis. Et Joseph pascebat oves cum fratribus suis; et in terra Ægyptiorum factus est dux populi, et eos gubernabat tanquam pastor bonus gregem suum.

II. Moyses etiam pavit oves Jethro; et ab illis ovibus assumptus est ut pasceret populum suum, et tanquam pastor bonus eas duxit. Ferebat Moyses baculum super humeros suos, progrediebatur in capite populi quem ducebat : et pavit quadraginta annis, et vigilavit, et laboravit pro ovibus suis, pastor bonus et sollicitus. Et cum vellet Dominus delere populum pro peccatis eorum, quoniam adoraverunt vitulum comedentem fœnum, Moyses orabat et petebat a Domino, dicens : « Si dimittis peccata populi hujus, dimitte : » si autem non, dele me de libro tuo quem scripsisti[1]. » Hic est pastor bonus, qui tradidit animam suam pro ovibus suis : hic est dux probus qui posuit animam suam pro pecoribus suis : et hic est pater misericors, qui misertus est super filios suos et nutrivit eos : et hic est doctor sapiens, qui docuit discipulum suum ducere gregem, nempe Josuë filium Nave, virum fortem et animosum, qui ducebat gregem universa castra filiorum Israël, occidit reges, et domuit terram, et præbuit loca pascua et irrigua, et distribuit et

[1] Exod. XXXII, 31, 32.

dedit habitationes et ovilia ovibus suis. Similiter pavit David oves gregis sui, et ab ovibus elevatus est ad pascendum populum suum; et pavit eos in simplicitate cordis sui, et in sapientia manuum suarum duxit eos. Quando autem exorsus est recensere et numerare greges ovium suarum, exivit in eas furor iræ Domini, et cœperunt illæ occidi : tum vero tradidit David animam suam pro ovibus suis, et oravit, dicens : « Domine Deus, ego peccavi, quia numeravi populum » hunc : erit manus tua contra me, et contra domum pa» tris mei : oves hæ innocentes quid fecerunt[1] ? » Profecto omnes boni pastores ita ponebant animas suas pro ovibus suis.

III. At pastores qui nullam habuerunt curam de ovibus, ii mercenarii erant; quoniam semetipsos solum pascebant. Propterea ita compellat eos Propheta, dicens : « O pastores » qui dissipatis et perditis oves pascui mei, audite sermones » Domini. Sic dicit Dominus : Ecce congregabo oves meas, » quemadmodum pastor congregat greges suos in diebus ca» liginis et turbinis, et requiram oves meas a manibus ves» tris. O pastores insipientes, qui pinguia comeditis, pretiosa » induitis, saginata conciditis, et oves meas non pascitis : » infirmatum non sanastis, et debilitatum non corroboras» tis; fractum non ligastis, et afflictum non estis consolati; » quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non » quæsivistis, et pingue et saginatum non custodistis : sed » vi et deceptione eos vexabatis; et vos quod pulchrum et » delicatum pascui erat prius comedebatis, deinde quod » remanserat pedibus conterebatis, et ungulis vestris con» culcabatis; aquas dulces et puras bibebatis, et reliquam pe» dibus turbabatis; et oves meæ comedebant quod concul» caverant pedes vestri, et aquas a vobis turbatas et ungulis » vestris inquinatas bibebant[2]. » Hi sunt pastores mali et

[1] 2 Reg. XXIV, 17. — [2] Jerem. XXIII, 2. Ezech. XXXIV. 2.

mercenarii, qui neque paverunt oves, neque bene duxerunt, neque eripuerunt a lupis. Cum venerit Pastor magnus magister pastorum, congregabit oves suas, et visitabit greges suos, et advocabit pastores illos, et petet ab eis rationem, et eos ex operibus suis condemnabit. Eos autem qui paverunt bene oves lætificabit Magister pastorum; et eos possidere jubebit vitam et requiem. O pastor male pascens, cujus dextero brachio et dextero oculo commisi oves meas; tu vero dixisti de ovibus illis : « Quod moriturum est moria» tur, et quod periturum est pereat, et reliquum devoret » corpus socii sui[1] : propterea ecce excæco dexterum ocu» lum tuum, et confringo dexterum brachium tuum, ut » quod non duxit fideliter, arefiat[2]. Vos, homines, oves pas» cui mei estis, et ego sum Dominus Deus vester, et dein» ceps pascam vos in pascuis irriguis et pulchris[3]. »

IV. Pastor bonus tradidit animam suam pro ovibus suis. Et insuper dicit : « Et alias oves habeo, et illas decet me » adducere huc, ut fiat unum ovile et unus pastor. Et Pater » meus ideo diligit me, quia ego animam meam pono pro » ovibus[4]. » Tum etiam inquit : « Ego sum ostium ovium. » Omnis qui per me introierit, salvabitur : ingredietur, et » egredietur, et pascua inveniet[5]. » Assimilamini, o pastores, huic Pastori bono, qui est caput totius gregis. Quantam curam habuit pro ovibus suis ! accessit ad longinquas, reduxit errantes, sanavit infirmas, corroboravit debiles, alligavit confractas, et custodivit saginatas, et tradidit animam suam pro illis. Et elegit et erudivit Discipulos virtute eximios, et greges omnes in eorum manus tradidit. Dixit Simoni Petro : « Pasce pecudes meas mihi, et agnos meos, » et oves meas[6]. » Et pavit Simon, et complevit tempus suum, et tradidit vobis greges istos, et abiit. Pascite et

[1] Zach. xi, 9. — [2] Ibid. 17. — [3] Ezech. xxxiv, 13, 17. — [4] Joan. x, 16. — [5] Ibid. 9. — [6] Id. xxi, 15.

vos, et ducite bene. Pastor qui habet curam de ovibus suis, nullum aliud opus facit. Non plantat vineas, non viridaria, neque in negotia hujus mundi distenditur. Nullus unquam visus est pastor qui relinqueret oves suas ut manum admoveret aratro. Si enim relinquat greges suos, tradet illos in ora luporum. Et memento, charissime, quod scripsi de primis patribus nostris, quod munera pastoralis officii discebant prius, et inde sumebant experimentum debitæ curæ pro ovibus suscipiendæ, antequam eligerentur ut aliis præessent, et ita instruebantur, compertumque habebant quanta deberet esse sollicitudo pastori de gregibus suis, ut eadem diligenti cura qua duxerant oves, præsulum officium obirent. Joseph, Moyses, David ab ovibus electi sunt ad ducendum populum, et non redierunt ad pecora rationis expertia. Accepit Dominus Amos ex pecoribus, et fecit eum prophetam; et non reversus est ille ut pasceret pecora et mora colligeret. Et Elisæus assumptus est ex jugo boüm, ut fieret propheta in Israël, et non est reversus ad boves suos, sed ministravit Eliæ ejusque in locum successit. Discipulus autem ejus, eo quod dilexit agros, mercaturas, hortos, pomaria et negotia [1], noluit eum habere in discipulum suum, ejusque manibus greges tradere.

V. Rogo vos, pastores, nolite constituere super gregem istum discipulos stultos et imperitos; et nolite præficere avaros, et qui possessiones diligunt. Omnis qui pascit oves, ex lacte earum comedat [2] : et qui curat boves, ex laboribus suis sublevet indigentias suas. Dignum quidem est ut sacerdotes ex altari ipso suas portiones habeant, et ut Levitæ decimas suas accipiant. Cor ejus qui comedit ex lacte ovium, sit super gregem suum. Et qui implet indigentias suas ex laboribus boüm suorum, promptus sit ad opus suum. Et sacerdotes, qui ex altari accipiunt portiones, exacte et re-

[1] 4 Reg. v, 26. — [2] 1 Cor. ix.

verenter altari serviant. Et Levitis, qui accipiunt decimas suas, non est ulla portio in Israël. O pastores, discipuli magni Pastoris, rogo vos, nolite assimilari mercenariis, quia mercenarius non curat de ovibus : sed vos similes estote miti Pastori nostro, qui plus oves amavit quam animam suam. Custodite juvenes, sublevate virgines, fovete agnos, et in sinu vestro nutrite eos. Et cum iveritis ad Magistrum pastorum, offeretis ei omnes oves vestras bonas et perfectas; et dabit vobis quod promisit, inquiens : « Ubi » ego ero, et vos illic eritis[1]. » Hæc pauca satis sint de ovibus et pastoribus. In anterioribus sermonibus, charissime, scripsi et revocavi in mentem tuam quæ necessaria sunt ut oves gregis recte incedant : in hoc autem scripsi tibi de pastoribus, ducibus gregum. Ut quidem in memoria tua sint, hæc scripsi tibi, de quibus me interrogasti in dilecta epistola tua.

VI. Dispensator sumpsit me, et duxit in domum regii thesauri, et ostendit mihi illic divitias multas : qui accipit ex illo, ditatur et ditat : apertus est omnibus quærentibus eum; et cum ex illo multa acceperint, non minuitur. Et cum dederint ex divitiis quas acceperunt, magis illæ multiplicantur. Et qui acceperunt, gratis dabunt, sicuti et gratis acceperunt. Pretio nullo venditur, quia non est quidquam quod, quanti illud, tanti valeat. Nec thesaurus deficit, neque accipientes satiantur. Bibunt, et sitiunt; manducant, et esuriunt : qui non sitit, non potest bibere; et qui non esurit, non potest manducare. Esuries ejus plures satiat; et sitis ejus aperit fontes aquarum. Homo accedens ad cultum Dei, similis est viro sitienti accedenti ad fontes : bibit, et satiatur; et ex fonte illo aquæ non deficiunt. Profecto terra, quamvis bibat, tamen iterum sitit; fons autem non minuitur ex decursu suo. Sic est scientia Dei : nam cum

[1] Joan. XII, 26.

omnes acceperint ex ea, nihil deest; nullisque creatis rebus ipsa concluditur et continetur. Nec qui accipit, cessat accipere; et cum dederit, nihil ei deficit. Cum accenderis lucernam tuam ex igne, multas lucernas ex illa accendes: nec ignis, cum tu ex eo accipis, deficit; neque lucerna tua, quæ accendit multas, minuitur. Nullus homo potest exhaurire omnes thesauros regios; neque, quando sitiens bibit ex fonte, aquæ ejus deficiunt. Cum steterit homo super montem excelsum, non pertinget oculus ejus ad proximum et remotum; et cum numeraverit stellas cœlorum, nequibit ille virtutes earum assequi. Ita cum accesserit ad cultum Dei, haud omnia poterit percipere. Quamvis multum multumque sumpserit, nihil imminutum remanet. Et cum dederit quod accepit, illud neque exhauritur neque consumitur. Et memento, charissime, in priori sermone de fide me ad te scripsisse quod, qui accipit gratis, debet ille dare sicuti accepit; quemadmodum et dixit Dominus noster: « Gratis accepistis, gratis date[1]. » Qui prohibet sumi ex illo quod accepit, et quod accepit aufertur ab eo. Propterea, charissime, quantum potui in præsens accipere ex illo thesauro qui non deficit, misi ex eo ad te. Et cum miserim ad te, totus thesaurus est apud me. Nam nunquam deficit, quia sapientia Dei est. Dispensator autem est Dominus noster Jesus Christus, sicut et ipse testatus est, dicens: « Omnia » data sunt mihi a Patre meo[2]. » Et cum ipse sit dispensator sapientiæ, rursus ille idem ipse est sapientia, sicut et Apostolus dixit: « Christus virtus Dei est, et sapientia[3]. » Et hæc quidem sapientia distributa est multis, et nulla ex parte diminuta, sicut paulo supra dixi tibi: quia ex spiritu illo Christi multi acceperunt, et Christus in nihilo defecit.

VII. Decem sermones scripsi ad te, quemadmodum a me postulasti, et de quibus a te interrogatus sum ea tibi

[1] Matth. x, 8. — [2] Id. xi, 27. — [3] 1 Cor. i, 30.

exposui : quidquid petiisti a me, præstiti tibi; quidquid potui disserere ac explanare, hoc totum tibi manifestavi. Incumbe tu his jugiter, et attende ad meditationem, et ad lectionem Scripturarum quæ in Ecclesia Dei leguntur. Hæ decem breves lucubrationes quas tibi mitto, invicem a se ipsis lumen accipiunt, et invicem super seipsas ædificantur : et noli eas a seipsis separare; nam omnes inter se conjunctas, consociatasque ex eodem fonte, affluenter ad te scripsi. Lege, et disce tu, et fratres nostri qui votum fecerunt et crediderunt nobiscum, ut longe sit ab eis turpitudo, et improbitas, sicuti et supra scripsi tibi. Memento quodcumque ego tibi significavi, non ita quidem accipias velim quasi in his quæ locutus sum absoluta et consummata perfectio contineatur; neque enim sufficiunt : sed ea audies a me libenti animo, et fratres nostros juniores eadem ita docebis, ut instruantur. Omnia autem quæ audisti, et ad spiritualem ædificationem pertinent, cum ædificatione suscipe : nam qui ædificatum ab altero evertit, et quod ædificat subversione subvertetur, et ædificare nequibit. Ego, tanquam incisor lapidum, lapides obtuli in ædificium, ut sapientes architecti scalpant, aptent, et poliant ad ædificandum. Et omnes operarii qui opem et adjumentum præbent, et laborant in ædificio isto, mercedem a Domino domus recipient.

# SERMO UNDECIMUS.

## DE CIRCUMCISIONE, CONTRA JUDÆOS.

I. Cum benedixisset Deus Abrahæ, et constituisset eum caput omnium credentium justorum et sanctorum, voluit ut esset pater non unius populi, sed multarum gentium, dicens ei : « Non vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te[1]. » Ergo, fratres mei dilectissimi, qui considerat quid significet sermo iste, et scrutatur funditus veritatem quæ in eo continetur, intelligit quid dicendum sit de antiquo illo populo, qui se suasque laudes memorans superbit, gloriaturque esse semen Abrahæ[2].

II. Illud autem non intelligunt, quod vocati sunt principes Sodomæ et populus Gomorrhæ : « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa; argentum abjectum, filii » rebelles[3]; » et quod : « Exasperantes fuistis vos, ex quo novi » vos[4]; » et quod : « Ex vinea Sodomorum plantaria eorum, » et vitis eorum ex Gomorrha. Uva eorum, uva amaritudi- » nis; et racemus eorum amaritudinis et fellis[5]. » Et in eodem cantico testimonium perhibuit de populo qui venturus erat ex gentibus, dicens ibi : « Provocabo vos in eo qui non » est populus, et in gente stulta irritabo vos[6]. » Et contra eos protestatus est Sanctus etiam per Esaiam prophetam dicentem in cantico suo : « Vineam plantavi et operatus sum, » et attulit mihi spinam pro uva[7]. » Et iterum per Jere-

[1] Genes. XVII, 5. — [2] Matth. III, 9. Joan. VIII, 39. — [3] Ezech. XVI, 45. Jer. VI, 30. Deut. IX, 24. — [4] Ezech. XII, 9. — [5] Deut. XXXII, 32. — [6] Ibid. 21. — [7] Isai. V, 2.

miam : « Ego, *ait,* plantavi te vineam, et palmitem fructi-
» ferum, ad semen prolis veritatis; quomodo autem con-
» versa es in amaritudinem, tanquam vinea amatrix extranei,
» et alienigena [1] ? » Iterum testatus est Ezechiel de vinea ista,
« Ramos, *inquiens,* comedit ignis, et medium ejus vasta-
» tum est [2]. » Quia tanquam vitis in vinea plantati erant patres vestri, vinea et palmites erant ad semen veritatis : et conversi sunt et declinaverunt filii in opera contaminata et polluta Amorrhæorum. Cum autem ex omnibus gentibus plures operati sint justitiam, et coluerint veritatem, ipsi nominati sunt filii, et hæredes Abrahæ patris illorum. Et filii Abrahæ, cum patraverint opera turpia et contaminata alienigenarum gentium, facti sunt Sodomitæ, et populus Gomorrhæ; sicut locutus est de eis Isaias, dicens : « Au-
» dite sermones Domini, principes Sodomorum et populi
» Gomorrhæ [3]. » Quod si res non ita se habet, veni, et ostende mihi tu, sapiens archisynagoga, qui fuerint populi et principes Sodomæ et Gomorrhæ in diebus Isaiæ? quoniam in diebus Lot urbes illæ ira Dei eversæ sunt et combustæ, et in æternum amplius non ædificantur. Et quidem Ezechiel recenset iniquitates Sodomæ, et nominat eam sororem Jerusalem, dicens ei in sermone suo : « Soror tua
» Sodoma, et filiæ ejus nonne operatæ sunt opera iniqui-
» tatis, sicut tu operata es cum filiabus tuis ? Et iniquitas
» Sodomæ et filiarum ejus hæc est, quoniam non porrexe-
» runt manum pauperibus et egenis. Et cum viderim opera
» hæc in eis, odio habui eos [4]. » Cum ergo Sodoma et Gomorrha cum iniquis civibus suis longe ante destructæ essent, ad quos dixit Isaias : « Audite, principes Sodomæ et
» populi Gomorrhæ, » nisi ad eos quos ita nuncupavit et vocavit, quia fecerunt et amaverunt opera Sodomorum? Jam circumcisi erant, et contaminati sunt; electi erant, et

[1] Jerem. II, 21. — [2] Ezech. XIX, 12. — [3] Isai. I, 10. — [4] Ezech. XVI, 46.

reprobati sunt. Et gloriabantur, dicentes : Nos circumcisi sumus, et clari et conspicui præ omnibus gentibus.

III. Profecto id plane manifestum unicuique est qui intelligit, quod, si circumcisio sit sine fide, nulla in ea utilitas est, nullum emolumentum : quia fides fuit prius conciliatrix et pronuba sanctitatis, et deinde circumcisio data est Abrahæ in fœdus et in signaculum electionis ; sicut et dixit ei Deus : « Hæc quidem est observatio fœderis mei, » circumcidebitis omnem masculum[1]. » Donec placuit Datori suo, et observata est circumcisio una cum præceptis Legis, fuit illa fructuosa et utilis : cum vero Lex amplius servata non est, a circumcisione nullam receperunt utilitatem. Jeroboam filius Nabat ex filiis Joseph, ex generatione Ephraïm, circumcisus erat, sicut Sanctus præcepit Abrahæ, cavitque Moyses in Lege : et reges omnes Israëlitarum qui ambulaverunt in via iniquitatis Jeroboam, circumcisi erant ; sed propter impietatem nulla eorum recordatio fuit apud Deum. Quam igitur utilitatem accepit Jeroboam filius Nabat per circumcisionem, et omnes reges Israëlitarum qui ambulaverunt juxta vias ejus ? Non utilis certe fuit nec profuit Manasse filio Ezechiæ[2], propter cujus peccatorum multitudinem non potuit ultra Deus parcere Jerusalem.

IV. Omnibus quidem sæculis mandata aliqua hominibus dedit Deus, et fœderis seu pacti conditiones, et signa quæ in generationibus et generationibus hominum juxta placitum voluntatis suæ, et singula suis temporibus observata sunt, et deinceps mutata transiverunt. Præcepit Adæ ne comederet ex arbore scientiæ boni et mali ; et quia non observavit præceptum fœderis, reus factus est. Enoch autem fuit acceptus coram Deo, non ex eo quod custodierit præceptum de arboris fructu ; neque id propter adhuc vi-

[1] Gen. XVII, 10. — [2] Paral. XXXIII.

vens translatus est, sed quia credidit. Eadem certe res non est fides, ac obedientia præcepti non comedendi ex arbore. Noë, quia servavit mansuetudinem et justitiam, ereptus est ab ira aquarum diluvii; et percussit Deus fœdus cum eo et cum generationibus ejus, promittens fore ut augerentur et multiplicarentur. Et posuit in fœderis signum arcum in nubibus, mediatorem inter Deum et terram, et inter omnem carnem. Ex omnibus fœderibus et pactionibus quas pepigit Deus cum hominibus, non fuit circumcisio Abrahæ quæ una præ aliis omnibus sanctitatem aliquam contineret: nam cum Deus elegit eum, non per circumcisionem vocavit et elegit, et constituit ut fieret pater omnium gentium, sed per fidem; et deinde post fidem jussit circumcidi. Si enim per circumcisionem donata fuisset vita, prius Abraham circumcisus esset, et deinde credidisset : et si utilitatem vitæ æternæ præstitisset circumcisio, Scriptura ostenderet Abraham prius circumcisum esse, et deinde credidisse : et si utilitatem vitæ æternæ præstitisset circumcisio, Scriptura doceremur quod Abraham prius circumcisus est, et deinde circumcisio ejus reputata fuit ipsi ad justitiam. Sed sic scriptum est : « Credidit Abraham in Deum, et fides ejus repu» tata est ad justitiam[1]. » Porro omnes qui crediderunt ex fide, non autem ex circumcisione, utilitatem adepti sunt. Abel, Henoch, Noë, Sem et Japhet non per circumcisionem facti sunt chari Deo, sed singuli eorum quia custodierunt pacta quæ mandaverat Deus, et crediderunt. Nam unus et idem est præscribens pacta omnibus nationibus in omni sæculo, secundum voluntatem suam. Melchisedech erat sacerdos Dei excelsi, et benedixit Abraham in præputio suo, nondum enim erat circumcisus. Atqui manifestum est quod qui minor est, a majore benedicitur, quia eo præstantior est[2].

[1] Rom. IV, 3. — [2] Hebr. VII, 7.

V. Charissime, attende itaque, et ostendam tibi quare data sit circumcisio. Cum credidisset Abraham, et egressus esset ex terra Chaldæorum, et venisset et habitasset in Charan, non jussit Sanctus eum circumcidi; et cum moram fecisset in terra Chananæorum viginti quatuor annis, non est circumcisus; quoniam non habebat filium benedictionis, unde reges et justi et sacerdotes et uncti nascituri erant. Sed cum esset nonaginta novem annorum [1] ostendit et manifestavit ei Sanctus in consummatione centesimi anni [2], quod filius ei nasceretur, et postea ipse circumcisus est. Cum autem centum esset annorum [3], et natus esset filius ejus Isaac, jussit eum Sanctus circumcidere carnem præputii filii sui in signum et confirmationem fœderis [4]; ut, cum multiplicaretur semen ejus [5], distingueretur et separaretur ab omnibus nationibus inter quas habitaturi erant, nec commiscerentur cum pollutione operum illarum. Itaque in præputio suo cum esset nonaginta novem annorum Abraham, et circumcidisset Ismaël filium suum tredecim annorum, et vernaculos suos, et emptitios suos, circumcisus ipse est in die illa, sicut locutus est cum eo Deus; et deinde post circumcisionem natus est filius ejus Isaac, et circumcisus est die octavo. Et servata est circumcisio in semine Abrahæ, in Isaac, et in Ismaël, et in Jacob et in filiis ejus, et in Esaü et in generationibus ejus centum nonaginta annis, donec ingressus est Israël Ægyptum. Et in Ægypto observaverunt filii Israël circumcisionem centum viginti quinque annis, donec exierunt in desertum. Et cum vidisset Loth quod circumcisus esset Abraham patruus suus, circumcidit et ipse filios suos postquam sejunctus est a patruo. Et postmodum eorum posteri circumcisionis morem retinuerunt sine fide.

VI. Si itaque vita ex circumcisione est : ergo vitam

[1] Gen. XVII, 1. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 24. — [4] Id. XXI, 5. — [5] Ibid. 4.

adepti sunt et filii Ismaël, et filii Ceturæ, et filii Esaü, quoniam ecce et hi carne circumcisi sunt : sed in circumcisione sua adorabant imagines idolorum et simulacra Diaboli. Jeremias propheta ostendit nobis manifeste quod quicumque sine fide circumcisi sunt, immundi et incircumcisi reputati sunt; et circumcisio ab ira Dei eos protegere ac salvare non potuit ; nam dixit : « Ecce visitabo super omnes » circumcisos præputium eorum, super Ægyptios, et super » Juda, et super Edom, et super filios Ammon, et super filios Moab, et super omnes habitantes in deserto, et super » omnes nationes quæ raserunt facies suas; quia omnes gentes incircumcisæ sunt carne, omnis autem domus Israël » incircumcisi sunt corde[1]. » Si autem ex circumcisione sanctitas aliqua fuisset, quare Juda connumeratur cum Ægyptiis, cum Edomitis, cum Moabitis, cum Ammonitis, et cum habitantibus in deserto « qui radunt facies suas[2], » filii Agar, et filii Ceturæ? Et quidem negari nequit quod circumcisio eorum facta est præputium; quoniam ecce et super Judam adducit judicium coacervatum, et sententiam iræ, sicut et super reliquos omnes circumcisos sine fide. Porro cum vidisset Sanctus quod dicerent : Ideo nos vitam habemus, quia sumus filii Abrahæ, et sumus circumcisi, et cervicem suam jugum succutientem non subjiciebant jugo obedientiæ legis; locutus est eis per Prophetam, dicens in sermone suo : « Circumcidite præputium cordium vestrorum, et nolite esse duræ cervicis[3]. » Et notum ac certum est, quod ei qui non circumcidit præputium cordis sui, circumcisio carnis nihil prodest, quemadmodum non profuit omnibus circumcisis in pollutione.

VII. Sed ut cognoscas, charissime, quod circumcisio data sit in signum fœderis, ut Israëliticus populus distingueretur, et secerneretur a coïnquinatis gentibus, adesis nunc

[1] Jerem. IX, 25. — [2] Ibid. 26; XXV, 23; XLVIII, 32. — [3] Deut. X, 16.

et vide. Cum eduxit Deus Israëlitas ex Ægypto, et ambulaverunt per desertum quadraginta annis, non sunt circumcisi, quia illic erant ipse unus ac solus populus, et seorsum degebant, et non erant mixti cum gentibus : postea vero Deus circumcidi voluit iterum semen Abrahæ. Non autem, quod omnes gentes Dei non essent, ideo separavit et elegit sibi peculiare semen Abrahæ circumcisi ; sed quia omnes gentes in iniquitate colebant idola, idcirco sprevit et contempsit eas propter impia opera sua. Et elegit illos sibi per circumcisionem in populum, non quidem ut ipse sibimet indicaret et demonstraret illos esse semen Abrahæ, quia et cum non circumcidebantur, ipse plane eos notos ac cognitos habebat ; sed ut illi agnoscerent seipsos, nec latere possent, vel malis dolis fraudeque abscondi, quod haud difficile contigisset si essent incircumcisi. Contra vero, si quis eorum deprehendebatur vel idololatra, vel adulter, vel veterator, aut fur, vel facere aliquid contra Legem ; et aliqui eorum ejusmodi criminum rei, audaces et impudentes puniendi erant, nullum habebant effugium, negando, dicendoque, Non sumus filii Abrahæ, ut evitarent pœnas punitionis, et judicium sententiamque mortis quæ scripta est in Lege contra illos qui in talibus delictis reperiuntur. Nam circumcisus qui invenitur transgressor Legis, et perpetrat aliquod ex his malis, non ea se potest tergiversatione occulere, quod non sit ipse ex semine et generatione Abrahæ : quare si convincatur reus et criminosus, separatur a circumcisis, et decernuntur in eum pœnæ punitionis, duro et absque acceptione personæ judicio, pro meritis suorum delictorum. Quippe, nisi in hunc finem data fuisset circumcisio, oportuisset eos et in deserto circumcidi ; sed quia sejuncti et separati erant a gentibus, et soli et solitarii seorsum erant, ideo non sunt circumcisi. Et cum transituri essent per Jordanem, præcepit Dominus Josuë filio Nave,

dicens : « Redi, et circumcide iterato filios Israël[1]. » Et quare imperavit circumcidi eos iterato? quia circumcisi erant semel in cordibus suis; de qua circumcisione loquitur Propheta : « Circumcidite præputium cordium vestro» rum, et nolite esse amplius duræ cervicis[3]. » Obtemperans Josuë, iterum eos circumcidit, signumque impressit iterato in carne: « Postquam omnes circumcisi sunt[2], » inquit Scriptura, testimonium perhibens circumcidisse Josuë omnes mares qui nati sunt in deserto[4], quia omnes erant incircumcisi.

VIII. Agesis, et vide, dilectissime, et obstupesce super hæc, quoniam qui circumcisi egressi sunt de Ægypto mortui sunt, deleti sunt, et perierunt in deserto, quia propter impietatem peccatorum suorum exasperaverunt sanctum verbum Dei, et ei non crediderunt. Id autem sane manifestum est : nam si credidissent, non fuissent prohibiti ingredi in terram illam donorum. Et ex sexcentis millibus qui egressi sunt de Ægypto, Josuë vero filius Nun et Caleb duntaxat vixerunt, et ingressi sunt in terram, et possederunt eam. Qui vero nati sunt in deserto, quia crediderunt, cum non essent circumcisi, vixerunt, et facti sunt digni ingredi in terram Promissionis; et circumcidit eos Josuë, dum intrabant in terram alienigenarum : et hæc circumcisio reputata est eis secunda; sed quare? quia cum crederent, jam circumcisi erant corde, propterea, ut dixi, circumcisio illa reputata est secunda. E diverso cumulatim inducta est ira super omnes circumcisos carne, qui erant in præputio cordis, connumeratis etiam et comprehensis Ægyptiis, qui non erant ex semine Abrahæ; hoc est, una cum Ægyptiis super Ammonitas, et Moabitas filios Loth filii fratris Abrahæ, tum etiam super Edomitas filios Esaü, et super habitantes in deserto, qui *raserunt facies suas,* filios Ismaël et Ceturæ,

[1] Jos. v, 2. — [2] Jerem. iv, 4. — [3] Jos. v, 8. — [4] Ibid. 5, 6.

et super Judam et semen Jacob : hi enim omnes sunt ex semine Abrahæ.

IX. Ægyptii enim circumcisionem sine fide a filiis Israël, qui habitaverant inter illos, tum etiam a Joseph acceperunt : nam cum natos sibi filios Manasse et Ephraïm Joseph circumcidisset, didicerunt et illi a Joseph circumcidendi ritum, et circumcidi cœperunt : quippe Joseph summo imperio supremaque potestate Ægyptiis dominabatur. Sunt quidem aliqui, dilectissime, qui dicunt quod filia Pharaonis cum invenisset Moysen, ex signo illo fœderis in carne eum novit quod esset ex filiis Israël. Sed non est ita, sicut ex Scriptura intelligere licet : nam fœdus et pactum Mosaïcæ circumcisionis non erat apud Ægyptios signum aliquod certumque indicium quo Hebræorum filii ex Ægyptiis similiter circumcisis discerni possent. Etenim qui ignorant Ægyptios circumcisos fuisse, ediscere ac percipere id possunt ex Jeremia propheta[1]. Itaque filia Pharaonis cum invenisset Moysen, et vidisset eum deportari ab aquis fluminis super salientes undas, agnovit et intellexit eum esse ex filiis Hebræorum, quia præceptum non fuerat Ægyptiis ut infantes suos projicerent in flumen, sed Hebræis. At vero, si per circumcisionem manifestabantur et distinguebantur Hebræi, eo quod Ægyptii non essent circumcisi, illi non licuisset Moysen nutrire in domo Pharaonis; quia, cum adhuc infans esset, facile et omni momento inspici et agnosci potuisset signum fœderis in carne ejus; neque filia Pharaonis ausa esset transgredi jussum patris sui, constituens in terra Ægypti arbitraria potestate aliam quasi legem sine præcepto Pharaonis.

X. Præterea hoc loco dicam tibi, charissime, aliquid etiam de filiis Ceturæ; quoniam et illi confines erant filiis Israël. Cum itaque, inito inter se fœdere, congregati essent

[1] Jerem. IX, 26.

ad præliandum Madianitæ filii Ceturæ, et filii Cedar, gens Ismaëlitica in diebus Gedeonis filii Joas, conati sunt redigere Israël in servitutem tributi; sed traditi sunt in manus Gedeonis. Hoc autem dixi tibi de filiis Ceturæ, quia istorum et filiorum Ismaël habitatio fuit in deserto; sicut scriptum est, « quod habitavit in deserto, et didicit virtutem arcus, » ut manus ejus esset contra omnes, et manus omnium con- » tra eum[1]. »Et habitatio filiorum Ismaël contermina fuit habitationi omnium fratrum suorum : nam ex oriente habitaverunt Edomitæ filii Esaü; et Ammonitæ et Moabitæ confines fuerunt eorum e regione partis septemtrionis; et etiam filii Ceturæ confines fuerunt ex parte orientis cum Edomitis filiis Esaü. Nam quando Abraham dimisit filios Ceturæ, primo in orientem dimisit : filii autem Agar acceperunt omnem terram austri[2]. Et Edomitæ filii Esaü ex parte orientali habitaverunt usque ad civitatem Bozor, seu Bosra. Et cum pervenissent filii Israël usque ad Cades Gai-abarim, seu Jejabarim, miserunt nuntios pacis ad regem Edomitarum, ut transire eis liceret per illorum terram; illi autem non permiserunt[3]. Recedens igitur discessit illinc Israël, et transiens juxta Edomitarum confinia, abstulit eis civitatem Bosra in deserto, et separaverunt eam in civitatem Refugii securitatis. Qui autem persuaderi sibi desiderat civitatem Bosra[4] antea fuisse Edomitarum filiorum Esaü, attente audiat prophetam Isaiam, quemadmodum viderit ille Sanctum glorificatum, præliantem, et venientem de Edom tinctis vestibus suis de Bosra[5]. Nam Sanctus percussit et fugavit eos, tanquam calcans torcular, et sumpsit vindictam retributionis de filiis Esaü, quia non receperunt fratrem suum, et servaverunt in æternum odium iræ suæ. Qui autem sibi non persuadet quod civitas Bosor, seu Bosra, obe-

[1] Genes. XVI, 12; XXI, 20. — [2] Id. XXV, 1, 2, 6. — [3] Num. XX, XXI, 11. Judic. XI, 17. — [4] Deut. IV, 43. Josuë, XX, 8; XXI, 27. — [5] Isai. LXIII, 1.

diret Edomitis in tributo servitutis, intelligat id etiam, si vult, ex libro Creationis [1]. Nam cum regnarent reges in Edom, narratur regnasse Jobab filium Zara de civitate Bosra. De Edomitis similiter prædixit Isaias : « Ecce descen» dit (*gladius meus*) super Edomitas, et super populum » reum in judicio [2]. » Et David dixit : « In Edom solvam » corrigiam meam [3]. » Quia Edomitarum seu Idumæorum populus ex stirpe Esaü nulla animi commiseratione motus est, sed perpetuum servavit odium et iram, et non sivit ut populus Israëliticus, frater suus, per fines suos transiret; et ideo reus factus est in judicio. Cum autem filii Israël a filiis Esaü fratribus digressi essent, miserunt nuntios ad Moabitas filios Loth, ut eis transitum per fines suos permitterent, et non audiverunt eos neque commiserati sunt; quin imo conduxerunt Balaam filium Beor, ut malediceret eis [4]. Et quia non permiserunt eos transire per fines suos, neque audiverunt neque miserati sunt, præcepit Sanctus Moysi ne intrarent Ammonites et Moabites in populum Domini, neque etiam post decem sæcula, quia non præbuerunt panem amicitiæ Israëli in itinere illo, et restiterunt eis in furore gladii sui [5]. Sed de Ægyptiis et Edomitis, jussit ne Israël expelleret eos : Ægyptios quidem, quia habitavit in terra eorum ; Edomitas autem, quia fratres ipsius Israël sunt. Hæc autem omnia diligenter a me recensita sunt, ut ostenderem tibi, et scires, et intelligeres Israëlem conterminum fuisse fratrum suorum habitationi, et versatum esse in vicinia filiorum hominum, et filiorum Ceturæ, ex quo Abraham largitus est munera, et dimisit Ismaëlem filium suum, ne esset Ismaël cohæres cum filiis Isaac filii Abrahæ. Porro si circumcisi sunt filii Ismaël, filii Ceturæ et filii Loth [6], Ammonitæ, Edomitæ et Ægyptii : ergo

[1] Genes. XXXVI, 33. — [2] Isai. XXXIV, 5. — [3] Psalm. LIX, 10 ; CVII, 10. — [4] Num. XXII, XXIII. — [5] Deut. XXIII, 3. — [6] Genes. XXV, 6 ; XXI, 10.

et ipsi merito superbientes et elati de circumcisione gloriabuntur; quoniam ecce et illi revera circumcisi sunt, adorant tamen imagines idolorum et simulacrorum multorum. Jam itaque manifestum est quod nulla sit utilitas circumcisionis sine fide; sed quicumque circumcidit præputium cordis sui, et credit, vivit etiam, et est filius Abrahæ : et impletur verbum illud quod dixit Deus ad Abraham : « Dedi te patrem gentibus multis[1]. »

XI. Omnia fœdera et pacta, seu testamenta, mutata sunt et transierunt : nam primum mutavit Deus testamentum et fœdus initum cum Adam, et dedit aliud Noë; dedit itidem aliud Abrahæ, mutavitque illud Noë; deditque demum aliud Moysi. Hæc autem cum non fuerint servata, dedit aliud in novissimo ævo fœdus, quod non erat abrogandum, nec immutandum, nec finiendum. Fœdus Adæ, ne comederet ex arbore; fœdus Noë, arcus in nubibus; fœdus Abrahæ, cum antea propter fidem eum elegisset, fuit circumcisio, nota et signaculum seminis ejus; fœdus vero Moysis, agnus paschalis populo edendus. Omnia autem hæc fœdera inter se similia non sunt. Circumcisio vero, quam voluit, et quam dedit in fœdus et signum, eadem ipsa est quam enuntiavit Jeremias, inquiens : « Circumcidite » præputium cordium vestrorum[2]. » Si autem verum est fœdus quod Deus inivit cum Abraham, verum et fidele est illius signum, nec licet illud contemnere, nec ejus legislatorem, de iis quæ sunt extra legem, vel de iis quæ sunt intra legem. Dedit etiam Moysi testamentum cum pactis et observationibus; et cum non observassent legem primi testamenti, abrogatum est, promisitque se daturum alterum testamentum : et dixit quod non foret sicut primum[3]. Profecto unus est dator amborum : testamentum autem quod promisit se daturum[4], hoc est ut omnes cognoscant

[1] Gen. xvii, 5. — [2] Jer. iv. — [3] Baruc. xi, 35. — [4] Jer. xxxi, 31 et seqq.

ipsum a parvulo usque ad senem[1]. Et in hoc testamento non est circumcisio carnis signaculum, et indicium in populo. Scimus quoque, charissime, quod unumquodque testamentum quod Deus lege lata constituit, servatum est juxta ordinem temporis sui, sicut et placuit voluntati ejus. Et deinde immutatio facta est, sicut et dixit Apostolus[2], quod primo, et ante omnes similitudines et allegorias Legis firmatum est verbum Dei. In omni tempore sapientibus et peritis ac intelligentibus manifestum et notum fuit, quod omnis homo quicumque est ex fœdere illo, et posthabita circumcisione mentis, in luxuria, impudicitia et immunditia sua circumciditur, non intelligit, nec percipit verbum quod dixit Apostolus, nempe : « Utinam abcissi ab» cinderentur illi qui turbant vos[3]. » Porro verax est Deus noster, et valde fidelia sunt pacta mandatorum ejus. Et omnia pacta, in quo verificanda erant, firmata sunt et fuere fidelia : et qui circumcisi erant corde, circumciduntur iterato in Jordane cum veritate in baptismo lavacri propitiationis in remissionem peccatorum.

XII. Nam Josuë filius Nave populum iterum gladio circumcidit, cum transiret Jordanem. Jesus Salvator noster gentes quæ crediderunt in eum iterum circumcidit in circumcisione cordis : baptizantur enim in baptismo lavacri expiationis, et circumciduntur gladio, qui est verbum Dei, quod acutius est gladio ancipiti. Josuë duxit populum in terram promissionis ; at Jesus Salvator noster promisit terram viventium omnibus baptizatis in Jordane veritatis, qui credunt et circumcidunt præputium cordis sui. Josuë disposuit et erexit lapides in testimonium Israëli : et Jesus Salvator noster vocavit Simonem petram veritatis, et statuit eum testimonium fidele inter gentes. Josuë celebravit Pascha in campo Jericho[4] in terra maledicta et impreca-

[1] Hebr. VIII, 8, 9, 10. — [2] Galat. III, 17. — [3] Id. V, 12. — [4] Jos. V, 10.

tioni tradita, et comedit populus ex frumento illius terræ. Et Jesus Salvator noster fecit Pascha cum Discipulis suis in civitate Jerusalem cui maledixerat, prænuntians fore ut lapis super lapidem non remaneret; et dedit postea panem Sacramentum vitæ. Josuë declaravit reum Achan, quia furatus est et abscondit argentum humi in tentorio quo morabatur : et Jesus Salvator noster dedit talenta ad lucrum. Josuë occidit gentes immundas : et Jesus Salvator noster evertit Diabolum cum exercitu suo. Josuë fecit stare solem in cœlo : Jesus Salvator noster obscuravit solem in meridie, quando crucifixus est. Josuë filius Nave salvator populi; et Jesus Salvator noster, Salvator mundi. Beati circumcisi corde in præputio cordis, et baptizati aqua in secunda circumcisione ! nam fiunt hæredes cum Abraham, qui caput est credentium et pater omnium gentium, quoniam reputata est ei fides sua ad justitiam.

# SERMO DUODECIMUS.

## DE SABBATO, CONTRA JUDÆOS.

I. Præcepit Dominus Moysi servo suo de die sabbati, ut observarent eum filii Israël, dicens : « Sex diebus operabitur » servus tuus : septimus autem dies sabbatum requies Do- » mini Dei tui. Sex enim diebus fecit Deus cœlum et ter- » ram, mare, et omnia quæ reptant in eis ; et requievit in » die septimo. Propterea benedixit Deus diei septimo, et » sanctificavit eum [1], » quia in eo requievit ab omnibus operibus suis quæ fecit. Et ideo hanc legem dedit eis : « Requies- » ces tu, et servus et ancilla tua, bos et jumentum tuum [2]. » Et addidit : « Requiescet advena, et peregrinus, et merce- » narius, et omne animal quod laborans defatigatur in hu- » militate servitutis [3]. » Itaque de hoc die sabbati, charissime, pro quo gestiens superbit et gloriatur populus Judæorum, dicens : « Ex hoc vita est, quia observamus » sabbata et festivitates paschales. » quantum potero, curabo ut paucis te instruam, perinde ac feci de circumcisione et de festis paschalibus.

II. Sabbatum constitutum est, non quia ex eo mors ac vita sit, ut comperitur ex iis quæ præcepit Moyses, et ipsi Judæi filii hominum testantur, qui quando sabbatum transgrediuntur dictitant se transgredi legem suam. Siquidem quandoque observatum est sabbatum, ideo quia datum fuit, veluti in requiem populi, et non hominum duntaxat, sed etiam brutorum. Nam dixit : « Requiescet bos, et jumen-

[1] Exod. xx, 9. — [2] Id. xxiii, 12. — [3] Deut. v, 14.

» tum, et omne animal[1]. » Porro si pro morte et pro vita, vel pro peccato et justitia posita est lex de sabbato, quæ utilitas est bruto in ejus observatione? vel quodnam detrimentum est in illius transgressione? Ecce videmus quod iis diebus quibus peragit animal brutum opus servitutis, et operoso labore defatigatur, amplius meretur : nam eo tempore quo operatur et laborat jumentum cum conatu ferens onus, et patienter opus faciens, et boves sedulo arant, quia defatigantur, non vacat eis quodammodo tempus ad patranda peccata. Sed die sabbati, quia vacant jumenta, et boves, et omnia bruta, singula in turmis suis sine delectu fornicantur, commiscenturque matribus, sororibus et omnibus cognatione carnis sibi conjunctis. Hæc autem nec eis crimini dantur, nec redarguuntur nec condemnantur quod hæc perpetrant in die illa sabbati; quoniam hujuscemodi est ingenium et natura bruti. Agnosce itaque et scito quod, sicut non imputantur in peccatum brutis quæ perpetrant turpibus hisce commixtionibus, ita neque justitia aliqua aut meritum eis tribuitur. Nam retributio justorum meritorum in sæculo futuro in resurrectione mortuorum fit eis qui operantur opera justitiæ; brutorum autem resurrectio nulla est, ideo neque accipiunt retributionem sabbati observati, neque veniunt ad judicium. Et sicut de aliis præceptis non est imposita lex brutis ut ea observarent, ita neque ex sabbato ulla est illis utilitas : nam Sanctus jussit in Lege sua : « Non mœchaberis[2]; » brutum autem audacter et sine ulla exceptione et delectu mœchatur et fornicatur. Dictum est in Lege : Maledictus omnis qui accipit in uxorem sororem suam omnesque alias sanguine conjunctas[3]; hæc autem omnia, quæ vetita sunt, patrantur a brutis. Item scriptum est : « Non occides[4]; et brutum animal

[1] Exod. XXIII, 12. Deut. V, 13. — — [2] Exod. XX, 14. — [3] Levit. XVIII, 9. — [4] Ibid. 2.

propter ruditatem et feritatem suam occidit socium suum, et comedit carnes ejus. Scriptum est etiam : « Omnia macta » et comede ; sanguinem autem non comedes[1] : » et animal lingit sanguinem, et suave ei videtur carnem immundam comedere. Jam si utilitas aliqua esset ei in observatione sabbati, primo Lex prohiberet brutum ab his omnibus immunditiis, ut deinde justificaret illud in observatione sabbati. Hæc omnia scripsi, ut scires et certo teneres sabbatum in requiem datum fuisse omnibus creaturis quæ operantur et defatigantur in operibus defatigationis. Nam, nisi propter requiem datum esset sabbatum creaturis illis corporeis quæ operando lassantur, necessarium conveniensque fuisset ut, cum ea quoque creata sint quæ in opere suo non defatigantur, data quoque eis esset lex observandi sabbatum, ut ejus observatione sanctificarentur. Sed ecce videmus quod sol graditur, luna et stellæ currunt, nubes instar jaculi volantes expanduntur, aves ludunt in aëreis regionibus, fontes perenniter emanant, undæ saliunt, earumque fluctus fluctibus cumulantur ; fulgura ex vehementi impetu currunt, et illuminant terram ; tonitrua si convenienti tempore obmutescant, mox vi repentina perstrepunt ; arbores fructus germinant ; arbusta, plantæ et germina omnium olerum hilarescentia virescunt ; et omnia in rebus juxta genus suum producendis firmiter perseverant : et ex cæteris rebus nulla est quæ quiescat die sabbati, præter homines, et bruta, quæ sub servitute sunt laboris defatigantis eos.

III. Porro si sabbatum datum esset ad justitiam assequendam, oportuisset dari Adæ, ut servaret, et justificaretur per illud, priusquam daretur Israëli, et non præceptum arboris scientiæ boni et mali. Sed quia Deus non imposuit Adam opus laboris ante transgressionem præce-

[1] Deut. XII, 23.

pti, non dedit ei sabbatum; sed post transgressionem præcepti præscripta sunt ei opera sudoris et laboris, ut sudaret in colenda terra tanquam reus et criminosus, in quem sententia mortis pronuntiata erat. Et si ex observatione sabbati esset justitia, Enoch per illud placuisset Deo, et justi omnes qui ejus similes fuerunt.

IV. Etenim Noë non observavit sabbatum, et tamen dixit ad eum Deus : « Vidi te justum, et sanctum, et immaculatum in generatione ista[1]. » Itaque non in observatione sabbati justificatus est, sed quia servavit integritatem vitæ immaculatæ in sæculo illo corrupto; sicut res ipsa comprobavit. Neque enim matrimonium contrahere volebat : nam animadvertens generationem Seth cum maledicta generatione Caïn commixtam fuisse, secum statuerat uxorem non ducere, ne filios susciperet qui commiscerentur cum generatione illa, et simul cum illa et ipsi maledicerentur. Cum autem vidisset Deus cor ejus quod esset sanctum et immaculatum, voluit ut ex eo esset secundum fermentum multiplicationis, procreationis hominum : decreverat enim delere et interimere iniquos. Apparuit igitur Deus Noë, cum esset quingentorum annorum, et dixit : « Vidi te sanctum et immaculatum coram me in generatione hac[1]. Nunc fac tibi arcam ligneam, ut sit tibi veluti arx ad quam confugias, et in qua servari possis, quia delendo delebo omnes homines propter peccata eorum[3]. » Cum audisset Noë, qui erat quingentorum annorum, hoc mandatum, duxit de filiabus Seth, ex benedicto semine justorum, uxorem, et genuit tres filios Sem, Cham et Japhet[4]. Et monuit filios ne ducerent uxores ex filiabus Caïn, sed elegit eis uxores ex filiabus justorum, quando ingressuri erant in arcam, ut servaretur ex eis semen super faciem terræ, et fieret pater regum et justorum. Præclare autem demon-

[1] Gen. VII, 1. — [2] Ibid. — [3] Id. VI, 9, 14. — [4] Id. V, 31.

stratum est, quod per eum transivit spiritus sanctitatis, adeo ut et Christus Salvator mundi et abrogator maledictionum Adæ ex semine ejus nasceretur. Genuit igitur Noë Sem patrem justorum anno quingentesimo secundo vitæ suæ; et cum genuisset tres filios, cœpit ædificare arcam : et cœlibes servavit filios nonaginta septem annos, et postea dedit eis uxores. Ingressus igitur est Noë cum suis in arcam, cum esset sexcentorum annorum, et Sem filius ejus nonaginta septem annorum; et manserunt in arca duodecim mensibus et decem diebus usque ad diem exitus. Ex Noë factus est secundus mundus; et recte ambulavit, stetitque firmus in proposito suo, servans se immunem a contaminatione in sæculo illo corrupto. Et non quia servavit sabbatum, neque quia circumcisus fuit, justificatus est, sed ex eo quod dixi et ostendi tibi. Ex Noë autem ortum habuit vir fidelis caput justorum, Abraham, observator Legis, qui servavit præcepta Legis cum non esset ei adhuc imposita Lex. Et genuit Isaac filium benedictionis, et Jacob patriarcham generationum et tribuum populi. Isti autem patres et patriarchæ justi fuerunt, et non servaverunt sabbatum ; sed justificati sunt per fidem, et virtutibus claruerunt : sicut et scriptum est : « Credidit Abraham Deo, et » reputatum est illi ad justitiam[1]. » Et Isaac et Jacob filii ejus ambulaverunt in lege et in præceptis patris sui, et justificati sunt per fidem, et non per sabbatum. Et Joseph in terra Ægypti non in observatione sabbati justificatus est, sed innocentia sua justus vocatus est, qui cum domina sua decoram ejus in flore ætatis pulchritudinem concupiscente noluit peccare in Deum. Si propter mortem et vitam constitutum esset sabbatum, et in eo positum esset peccatum vel justitia, his quos dixi justis mandatum fuisset ut illud servarent, et viverent. Verum enim ideo hoc sabbatum

[1] Rom. IV, 3.

præceptum est, ut quiescant servi et servæ, et advena et peregrinus, et mercenarius et jumentum, nempe ut qui fatigantur quiescant.

V. Profecto cura est Deo de omnibus creaturis, feris, brutis, avibus, et sylvestribus belluis. Moyses iterando Legem suam dixit ad populum : « Sex annis seminabis, ut » comedant pauperes populi tui, et reliquum edat bestia » agri[1]. » Et pro avibus dixit : « Si inveneris nidum passe- » ris vel in arbore, vel super terram, in quo stent mater et » ova vel pulli, et sedeat mater super ova vel pullos, non » accipies matrem cum ovis ; sed dimittes matrem abire, et » accipies ova tibi ; et propter hoc benedicet tibi Dominus » Deus tuus[2]. » Et David : « Pullis, *inquit,* corvorum in- » vocantibus eum ipse dat cibum et escam : hominem et » jumentum vivificas tu, Domine[3]. » Et Job : « Quis fecit, » *ait,* onagrum campestrem liberum ad ambulandum, et » accepit ab eo jugum tributi obedientiæ? Nam fecit deser- » tum domum habitationis ejus, et agrum salsuginis locum » receptaculi ejus[4]. » Et iterum : « Pullis aquilarum præparat » cibum. » Et rursus David de avibus et jumentis : « Om- » nia, *inquit,* a te expectant, et tu das illis escam in tem- » pore. Das tu illis, et vescuntur : aperis manum tuam, et » imples illa. Avertis faciem tuam ab eis, et turbantur[5]. » Et Isaias dixit : « Illic congregabuntur milvi ad invicem[6]. » Nam ipse imperavit imperio oris sui, et spiritus Domini congregavit eas, et manus Domini divisit cuique earum mensuram sortis hæreditatis. Ex his igitur observa, et percipe, quanta cura sit Deo de omnibus creaturis suis ; et nihil fallit et præterit sapientiam ejus oblivisci nesciam. Propterea monuit et præcepit ut eis esset requies die sabbati.

VI. Attende, et audi iterum quid dixerit Scriptura : « Sex

[1] Exod. xxiii, 10. — [2] Deut. xxii, 6. — [3] Psal. cxlvi, 9. — [4] Job, xxxix, 5. — [5] Psalm. ciii, 27. — [6] Isai. xxxiv, 15.

» diebus fecit Deus cœlum et terram, et die septimo requie-
» vit ab omnibus operibus suis : propterea benedixit diei
» septimo, et sanctificavit illum [1]. » Porro quid dicemus ad hæc? vel quomodo intelligemus quod requievit Deus die septimo? Audi, et ostendam tibi, non quia Deus defatigatus sit eo quod laboraverit in operibus sex dierum, ideo requievit die septimo; absit a te hæc opinio; sed vis et sensus verborum est, quod sex diebus perfecit omnia opera sua, et die septimo cessavit ab omnibus operibus suis quæ fecit. Audi probationem, quod Deus non fatigetur. Dixit enim David : « Non dormit neque dormitat, qui custodit Israël [2]. » At qui non dormit et non dormitat, neque laborando defatigatur. Similiter ad filios Israël locutus est Isaias : « Quo-
» niam cecidit in corda vestra cogitatio hæc, quod non
» possit Deus salvare vos. Numquid messem messui, et de-
» fatigatus sum? vel non habeo virtutem eripiendi? quo-
» niam ecce increpatione mea exsicco mare, et facio flu-
» mina sicut desertum, et fœtent pisces defectu aquarum :
» et induo cœlos tenebris, et facio vestimenta eorum tan-
» quam colorem sacci. Sicut exsiccavi mare Rubrum in
» diebus patrum vestrorum; divisi Jordanem, et feci eos
» transire. Et nunc poteram salvare vos; sed in iniquitate
» vestra vos venundati estis, et cum non fatigarer, fecistis
» me defatigari [3]. » Sicut etiam Malachias propheta : « De-
» lassari, *inquit,* vos fecistis Dominum sermonibus ves-
» tris [4]. » Insuper audi, et cognosce quod Deus non fatigatus neque laboret, imo quod confirmet omnia opera sua. Nam scriptum est : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spi-
» ritu oris ejus omnis virtus eorum [5]. » Adamum fecit manibus suis, et non est scriptum quod fatigatus sit in operatione sua. Et omnes creaturas cum fecisset verbo oris sui,

[1] Genes. II, 2, 3. — [2] Psal. CXX, 4. — [3] Isai. XL, XLI, L. — [4] Malach. II, 17. — [5] Psal. XXXII, 6.

dixit, et facta sunt; dixit, sed de labore et fatigatione mentionem nullam fecit : sed sic audivimus : « Cessavit Deus » ab omnibus operibus suis, et requievit die septimo[1]. » At si Deus, qui non fatigatur, requievit et cessavit ab operibus suis; quanto magis debuit requiescere ille qui manens in servitute obnoxius est defatigationi? Etiam Isaias propheta alio loco[2] affirmavit de Deo, quod non fatigetur et non laboret, et quod non sit indagatio altissimæ sapientiæ ejus. Et alibi Deus dixit de peccatis populi : « Fecisti me » delassari peccatis tuis; et fecisti me laborare[3]. » Jam vide qualiter modo scribit quod non fatigetur, et modo quod non dormitet, et de peccatis eorum dicit : « Fecisti me la» borare. » Omnia verba Scripturarum bene scripta sunt, et sapientes assentientes audiunt et intelligunt, juxta dictum Apostoli, quod lex bona sit, sed si quis intelligens legat illam[4]. Nam etiam propheta Osea dixit, « quod recta » sit via Domini, sed iniqui labuntur, et offendiculum pa» tiuntur in ea : justi autem pura mente ambulant in ea, » et delectantur[5]. » Porro hujusmodi esse videtur sermo ille, si verbotenus intelligatur, quod *quieverit Deus ab operibus suis.* Nam dementes putant quod defatigatus fuerit Deus et laboravit. Ita etiam cum vellet delere et interimere homines propter multam impietatem peccatorum eorum, dixit : « Pœnitet me quod fecerim eos[6]. » Age insuper, et audi Apostolum dicentem : Quod si non ita est, « quomodo judicabit Deus hunc mundum[7]? » Sed audi demum, charissime, accipe, et disce id de sabbato quod dixi tibi de circumcisione, scilicet in ejus observatione frustra et inaniter gloriantes illos superbire.

VII. Nam neque Jesus filius Nave fecit eos quiescere die sabbati, dum pugnaret contra civitatem Jericho; quem-

[1] Gen. II, 2. — [2] Isai. v, 27. — [3] Malach. II, 27. — [4] I Tim. I, 8. Rom. VII, 12. — [5] Ose. XIV, 10. — [6] Gen. VI, 7. — [7] Rom. III, 6.


admodum testatur Apostolus, dicens : « Nam si Jesu" us
» Nave præstitisset eis requiem, nihil aliud diceret ille de
» die sabbati ; at vero, ecce remanet sabbatum Dei[1]. » Et Machabæi sabbatum custodientes, cum occiderentur ab hostibus suis, ceperunt consilium communi voluntate, ut pugnarent et inirent certamen potius quam servarent sabbatum : et inde ibi sabbatum solverunt. Etiam sacerdotes in ipso templo solvebant sabbatum, et erant sine crimine[2] : nam in ipsa die sabbati offerebant sacrificia, mactabant victimas, incidebant ligna et igne comburebant, et quod solverint sabbatum non reprehendebantur, quia sic jussum erat ut facerent. Quod si sacerdotes admonitores populi solvebant sabbatum, præsertim in ipso templo, unde exibat propitiatio omnium peccatorum, et nullum eis imputatum est peccatum; quare gloriantes superbiunt in custodiendo sabbato, quod datum est ad requiem, sicut dixi tibi ?

VIII. At vero agesis, et audi quale sabbatum, quo nomine requies significatur quam Deus imperat servari. Isaias dicit : « Illa est requies mea, cum feceritis requiem afflictis[3]. » Et iterum ait : « Qui autem servabunt sabbatum, et non sol-
» vent, sunt qui firmi et stabiles sunt in pacto mandatorum
» meorum, et eligunt quod ego volo[4]. » Profecto isti non solvunt sabbatum : siquidem Deus pollicitus est et promisit se eis requiem suam daturum. « Dabo eis, *inquit*, locum
» et habitaculum in domo mea et in vallo meo, et nomen
» quod melius est filiis et filiabus[5]. » Porro nihil prodest sabbatum peccatoribus, neque furibus, et fornicatoribus, et homicidis, « sed iis qui, *ut ait*, quærunt quidquid ego
» volo, et abstinent a maleficiis ; » in his utique inhabitat Deus, et in eis, juxta eloquium Prophetæ : « Inhabitabo, et

[1] Hebr. IV, 8. — [2] Matth. XII, 5. — [3] Isai. XXVIII, 12. — [4] Id. LVI, 4. —
[5] Ibid. 5.

» quiescam in eis. » In diebus quoque Isaiæ illi servabant sabbatum, et ambulabant juxta opera coïnquinationis alienigenarum gentium, et juxta opera Sodomæ et Gomorrhæ, et dicebant gentibus superba locutione : « Abi, secede a » me, quoniam ego sanctus sum[1]. » Propterea dixit Dominus per Isaiam : « Hoc totum accensio est iræ meæ, et inflam» matio ignis sempiterni accensi. » Itaque accipiens projecit eos a terra illa sua, et dispulit et dispersit eos per omnes gentes, quia non servaverunt requiem voluntatis Dei, et servaverunt sabbatum corporaliter. Nos autem servemus sabbatum Dei, ut faciamus requiem voluntatis ejus, ut intremus in sabbatum requiei; quia per eam sabbatum agunt cœlum et terra, et quiescunt, et cessant creaturæ omnes. Et ne simus pravi cordis, fugientes, vertentes pharetram, et fiamus transfugæ, juxta ea quæ monuit Salvator, « Ne » fiat, *inquiens*, fuga vestra in hieme neque sabbato[2]. » Et Apostolus dixit, « quod usquemodo restat adhuc sabbatum » Dei[3]. » Hæc quidem sunt quæ opus esse duxi ut ad te scriberem de sabbato, contra eos qui superbientes in illo gloriantur.

[1] Isai. LXV, 5. — [2] Matth. XXIV. — [3] Hebr. IV, 9.




# SERMO DECIMUS TERTIUS.

## DE CIBORUM DELECTU.

I. Mens et cogitatio ignari et rudis hominis huc illud vertitur, dubius atque incertus de quibuscumque cibis qui in os ingrediuntur, etsi non possint pollúere hominem. Nam qui hujusmodi animi infirmitate laborant, ita secum loquuntur : Deus discrevit et selegit, ostenditque Moysi servo suo[1] et indicavit, quidquid licitum est manducare, et quid illicitum, quidve pollutum ; et monuit eum de animalibus, et avibus, et etiam de piscibus maris, juxta genus suum. Idcirco, charissime, quoad potero, paucis tecum hac de re agam.

II. Cibi nihil juvant eos qui ipsis abstinent, nihilque nocent illis qui eos adhibent eisque utuntur. Etenim sancto ore suo ita Deus testatus est : « Non quod intrat in os coïn» quinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coïnqui» nat hominem[2]. » Et hoc dixit Salvator noster, ut obstrueret os Pharisæorum et Saducæorum, qui jactabundi et superbientes gloriabantur de lavacris et baptismis, et lotione manuum, et electione ciborum. Accessit enim tum ad eos, graviterque objurgans, ait : « Pharisæi cæci et amen» tes, quare lavatis vos exteriora calicis et paropsidis, intus » autem pleni estis peccatis et rapinis? et similes estis vos » sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus spe» ciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni » immunditia[3]. » Atque ita, re omni exposita atque æsti-

[1] Levit. xi. — [2] Matth. xv, 11. — [3] Id. xxiii, 25, 26.



mata, demonstravit nullum esse emolumentum a variis immersionibus et lavacris, statutisque abstinentiis servandis. Et dixit eis : « In corde fiunt cogitationes malitiæ; et mala » illa quæ exeunt ex corde coïnquinant hominem, et non » cibi : nam cibus vadit in ventrem, et exinde per alvum » foras emittitur, et nequaquam coïnquinatur homo per il- » lum[1]. » Siquidem omnes cibos bonos et suaves, qui faucibus delicati videntur ob odorem, speciem et saporem, comedit homo, eisque utitur, sed fauces solum sentiunt eorum suavitatem et gustum : inde autem recipit eos stomachus, et dividit vires virtutis eorum in ventrem et membra corporis : cum vero esca descendit intus, suavis odor in malum ac fœtidum vertitur, et amabilis species in tetram ac deformem, et delicati sapores in pravos immutantur; et quod reliquum est, emittitur foras per alvum. Et quamvis homo edat panem vilem et secundarium, cujus nec species sit bona, neque sapor suavis, neque gratus aspectus, haud dissimili separatione in corpus hominis diffunditur, tribuitque vires et robur membris, quæ aëre circumdantur, et inde similiter per alvum foras emittitur : et accidit ut e suavibus cibis fiat fœtidior odor quam e vulgaribus. Ab omnibus autem hujusmodi cibis nec peccatum est neque justitia.

Quare B. Apostolus refellit eos qui gloriabantur in escis, et hoc sensu ac mente elati improbabant et approbabant cibos, dicens eis : « Cibi nos non commendant coram Deo. » Non enim, si edamus, habebimus utilitatem aliquam; ne- » que, si non edamus, habebimus nocumentum aliquod[2]. » Porro, quemcumque cibum et quodcumque edulium edat homo, si ea mensura ac modo quo licitum est, et sine crapula utatur creaturis Dei, imo cum justitia, rectitudine et fide suscipiat dona ejus, nullum peccatum et nullum de-

[1] Matth. xv, 17, 18, 19. — [2] 1 Cor. viii, 8.

lictum est in eo. Contra vero, si terram edat, quasi serpens, et in cibo ex venenis serpentis composito perseveret; nullum inde est ei emolumentum, et nulla utilitas : namque creaturæ Dei bonæ sunt, et nihil est immundum et contemptibile in eis; et sanctificantur verbo Dei per preces. Et hoc, charissime, dixit Apostolus contra filios populi sui, cum vidisset eos contaminatos et contemptibiles putare cibos gentium. Nam filii Israël non communicant cum gentibus per omnia, et in omnibus cibis quos illæ comedunt, et vinum quod gentes mittunt in torcularia, ipsi non bibunt : quippe nationes gentium super omnia torcularia et areas hostias offerunt, et commemorant nomen idolorum suorum; propterea Hebræi non communicant cum illis in omnibus cibis : sed ita sapiunt qui mente debiles atque infirmi sunt. Quare Apostolus abstulit errorem eorum qui in hac sententia firmi stabant, et ait : « Omnes cibi verbo » Dei sanctificantur per orationes[1]. » Nam homo qui utitur creaturis Dei, et, antequam manducet aliquid ex eis, sanctificat, et glorificat, et benedicit, orat et commemorat nomen Conditoris creaturarum, per spirituales ejus orationes illæ sanctificantur et purificantur, et expelluntur ab eis virtutes Maligni. Et iterum dicit Apostolus : « Si quis infide- » lium vocat vos, et vultis ire; omne quod vobis apponitur » manducate, nihil interrogantes propter conscientiam[2]. »

Propterea, charissime, quantum potero, plane id tibi ostendam. Sanctus Deus noster elegit designavitque cibos et escas, non quod in eis posita sit justitia aliqua; sed propter Hebræorum lasciviam et gulam, industri quadam solertia legem de his constituit, ut ab earum rerum cultu et adoratione Israëlitas avocaret quas peccantes in terra Ægyptiorum coluerant. Nam ab initio, quando fecit hominem, man-

[1] Rom. xiv, 14, 20. 1 Cor. x, 30, 31. 1 Tim. iv, 1, 2, 3. Tit. i, 15. —
[2] 1 Cor. x, 27.

davit Sanctus Adæ. et deinde semini ejus, talia dicens : « Ecce dedi vobis animalia, et aves, et omne genus pecorum campi : effundetis sanguinem eorum super terram, » et manducabitis illa, et tanquam olus habebitur vobis : » tamen solum sanguinem non edetis, sed effundetis in terram, tanquam aquam[1]; quia sanguis est spiritus animalium, et omnium avium[2]. » Hoc mandatum dedit Deus in primo sæculo, et non demonstravit eis discretionem ciborum : nam si esset aliquod peccatum et prævaricatio in cibis, primum Adam et Evam docuisset Deus eligere et discernere sanctum a polluto, sicut admonuit eos de sanguine. Et similiter Noë et filiis ejus idem de sanguine præcepit[3], et nullum ciborum discrimen assignavit. Scimus enim quod justi, qui fuerunt a primo sæculo usque ad Moysen, qui delectum et separationem ciborum filios Israël edocuit, toto illius temporis spatio omnia quæ non abominatur et horret homo, libere et sine exceptione edebant absque peccato. At ideo mandavit filiis Israël ut discernerent et separarent cibos, quia retro conversi sunt, et derelicto Deo patrum suorum, declinaverunt in adorationes et cultus Ægyptiorum, qui bovem et vitulum adorabant. Id autem hoc loco planius edisseram. Cum advenissent fratres Joseph ad eum in Ægyptum, dispensatorem suum parare eis prandium magnum jussit : hora autem prandii postquam discubuerunt, scriptum est Joseph manducasse solum seorsum, et fratres ejus solos seorsum ; nam Ægyptii non poterant manducare panem cum Hebræis, quia æstimabant se pollui si cum eis ederent[4]. Etenim filii Israël, priusquam migrarent in Ægyptum, manducare solebant carnem vitulorum et ovium, minime autem Ægyptii, quia colebant illa et tanquam numina habebant. Cum itaque Jacob venisset in Ægyptum, Joseph assumpsit secum quinque ex fratribus

[1] Gen. I, 28, 29. — [2] Levit. XVII, 14. — [3] Gen. IX, 3. — [4] Id. XLIII, 32.

suis, et ducens eos ut sisteret coram Pharaone, hæc singulis eorum enixe præcepit : Cum interrogabit vos Pharao quod opus exercetis, vel cui arti operam datis, sic ei respondebitis : « Pastores sunt servi tui, pascentes oves, et domini armentorum, et nos et patres nostri [1]. » Nam si vos ita dicetis, fovebit vos atque honore afficiet, quia pastores estis numinum Ægyptiorum ; et dabit vobis bonum et nobilem locum, apricam terram, ut oves in ea maneant, terram Gessen, et demittet et relinquet vos, neque assumet quemquam ex vobis ut jussibus suis subjiciat, constituatque super opera sua. Sicut et in Scriptura habetur, quod « Abjectus reputabatur apud Ægyptios omnis pastor pascens oves [2]. » Et similiter scriptum est quod, cum dixit Moyses Pharaoni : « Ibimus, et offeremus sacrificium Domino Deo nostro in deserto [3], » ait ei Pharao : « Colite Dominum Deum vestrum hic in terra Ægyptiorum [4]. » Respondit ei Moyses : « Nos non possumus perficere sermonem istum ; nam si offeramus sacrificium oves Ægyptiorum coram eis, lapidabunt nos [5]. » Et iterum scriptum est, « quod contra simulacra Ægyptiorum fecit Dominus judicium iræ, quando percussit et occidit armenta ovium et jumentorum grandine [6]. » Quippe Ægyptii in honore habebant greges ovium et jumentorum armenta, et ea non comedebant, quia adorabant. At esca Ægyptiorum usque ad hodiernum diem est caro suina, et pisces, quibus eorum terra abundat : sicut dixerunt filii Israël dum desideraverunt cibum, dicentes : « Recordamur nos piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, cum odoriferis cæpis, et alliis, et porris, et cucumeribus, et peponibus [7]. » Et filii Israël secundum consuetudinem illam Ægyptiorum ambulantes, cibos eorum comedebant, et idola adorabant.

[1] Gen. XLVI, 34 ; XLVII, 3. — [2] Id. XLVI, 34. — [3] Exod. III, 18 ; V, 1, 2, 3. — [4] Id. VIII, 25. — [5] Ibid. 26. — [6] Id. IX, 23 et seq. — [7] Num. XI, 5.

V. Jam vero id faciam, ut intelligas certoque scias eos in terra Ægyptiorum idololatriæ inserviisse, et simulacra eorum adorasse. Nam Jesus filius Nave cum morti proximus esset, vocavit filios Israël et dixit eis : « Eligite hodie » quem vos colitis : utrum idola quæ coluerunt patres vestri » trans fluvium Thare pater Abrahæ et avus Nachor? an » vero idola quæ coluistis vos in terra Ægyptiorum? Ego » enim, domus et familia mea, colimus Dominum Deum, et » illum solum adoramus[1]. » Et responderunt : « Dominum » Deum colemus, et ipsum solum adorabimus, quoniam » ipse est Deus noster[2]. » Et ut certior factus credas ovem et taurum adoravisse Israëlitas in terra Ægyptiorum, attende et percipe. Quando Moyses moratus est in monte, declinaverunt illi a Domino in adorationem idolorum : de omnibus autem rerum imaginibus nullam aliam fecerunt ad adorandum, quam imaginem et similitudinem vituli, quem solebant adorare in Ægypto; et coacta magna turba, et conventu facto, convivati sunt, et ad pristinos mores redeuntes fecerunt ludos ante caput vituli. Et Roboam filius Nabat, quando a Dei cultu eos avocavit, fecit caput vituli, ut illud adorarent, sicut adorabant in Ægypto. Cum autem Sanctus glorificatus vidisset quod usque ad illud tempus mundati non essent a fermento Ægyptiorum, et in eadem mente ac sensu idololatriæ persisterent, jussit Moysi ut seligeret et discerneret eis escas; et contaminata declaravit quæ eis sancta erant in Ægypto; et jussit ut comederent quæ ibi adorabant, et de quibus propter stultam et perversam eorum mentem non edebant. Et sacrificium quoque quod offerebant coram eo, jussit ut offerrent ex iis quæ in Ægypto colebant. Insuper animadverte et vide quod, quamvis separaverit et munda declaraverit eis multa animalia, tamen non jussit ut ex omnibus illis offerrent sacrificium,

[1] Jos. xxiv, 14. — [2] Ibid. 16, 17.

sed solum de ovibus et de pecoribus. Quapropter tibi persuasum habeas velim, dilectissime, quod frustra, immerito et inaniter gloriantur Israëlitæ de delectu ciborum.

VI. Accede, et dic mihi, o scriba et sapiens doctor populi : si enim apud Israëlem pollutio censebatur tangere et edere quidquid Lex pollutum declaraverat, quare Nazaræus Samson, nobilis et fortis pugnator Israëlis, ab immunda bestia, nempe ab ore leonis, ad eum accedens collegit mel [1] ? Ibat et redibat manducans mel quod distillabat et descendebat super manus ejus, nec delicto et opprobrio datum est ei opus illud : non est enim scriptum quod fuerit ille pollutus. Et cum ostendisset robur fortitudinis suæ per maxillam asini, et congessisset magno cumulo thoraces alienigenarum, sitivit, et oravit coram Deo, dicens : « Domine Deus, tu fecisti fortitudinem hanc magnam per manum servi tui ; et ecce nunc æstuans siti morior [2]. » Et exaudivit Deus preces ejus, et exivit aqua ex maxilla illa asini : bibit, saturatus est, et extinxit sitim. Si itaque delictum aliquod vel pollutio erat in maxilla asini, quoniam a lege polluta et immunda deputata est, quare exibat aqua ex illa ut Nazaræus biberet ? Si enim hinc pollui censebatur, oportebat et conveniebat aquam exire e petra, sicut educta est in deserto filiis Israël ; vel ex terra, sicut educta est Agar, et bibit Ismaël. Insuper si immunditia aliqua est in cibis, nulla certe est inter omnes aves impurior et immundior corvis, qui tamen tollentes carnem et panem ferebant Eliæ sancto prophetæ, dum absconditus sedebat in valle Carith [3]. Et undenam ferebant corvi cibum Eliæ, nisi ex Jerusalem ? nam portiunculam ejus partis quam reponebant sacerdotes ex portione sanctuarii, fidenter tradebant unguibus corvorum, a quibus accepta ferebatur Eliæ jussu Dei excelsi. Et reputatus est mundus

[1] Jud. XIV, 9. — [2] Idem, XV, 18. — [3] 3 Reg. XVII, 6.

cibus Eliæ, quem ex ore corvi accipiebat, nempe ab ave illa quæ contaminata habetur[1]. Profecto plane intelligis ac cognoscis, charissime, ut omnem causam et occasionem Hebræis Deus adimeret, ne adorarent caput vituli et idola Ægyptiorum, propterea elegisse et discrevisse eis cibos, et jussisse ut ex iis offerrent sacrificia quæ venerabantur et colebant in terra Ægypti. Quoniam non indigebat Deus holocaustis sacrificiorum; sed ideo instituta sunt sacrificia, ut hac via et ratione avocarentur ab adoratione idolorum, imaginum, et simulacrorum gentium; ne cum intrarent eorum terras et miscerentur cum eis, adorarent et colerent idola et imagines eorum, sicut adoraverunt idola Ægyptiorum cum Ægyptum ingressi cum eis mixti sunt. Propterea obligavit et constrixit eos ut ante altare ejus offerrent sacrificia, et immolarent holocaustorum hostias. Et quamvis frequenter eos allocutus sit atque admonuerit, nihilominus declinantes ab eo, adoraverunt et coluerunt idola gentium, et subverterunt et corruperunt vias suas; sicut et Moyses dixit eis : « Scio ego vere quod post » mortem meam corrupti corrumpemini vos, et declinabi» tis ab ista via quam vobis præcepi : et eventura sunt vo» bis ingentia mala in fine dierum temporum[2]. »

VII. Deum autem eorum festis, sacrificiis, thuribus et hostiis non indiguisse, sed hæc omnia imperata fuisse ut ab idololatria avocarentur, ex eo utique percipies, quod, cum declinassent, et terga Deo vertissent, et legibus atque institutis sacrificiorum quæ eis dederat uti cœpissent ad immolandum idolis gentium, idololatrici cultus servitium obeuntes, deorumque simulacra adorantes, ita Deus locutus est per Prophetam : « Quid inter me et vos, et multitudinem » victimarum vestrarum? Sic dicit Dominus : Jam satiatus » sum, satis est mihi. Holocausta arietum, et adipem agno-

[1] Levit. XI, 15. — [2] Deut. XXXI, 29.

» rum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo videre : » et omnino venire vos ante conspectum meum nolo. Quis » quæsivit hoc de manibus vestris? Nolite post hoc calcare » et frequentare atria mea. Si offeratis similam in sacrifi- » cium, frustraneum illud est vobis. Incensum abominatio » est mihi. Neomeniam et sabbatum vestrum, et alias vestras » festivitates non suscipio [1]. » Et per os David dicit : « Non » manduco ego carnem taurorum tuorum, neque sangui- » nem hircorum tuorum bibo. Sed pro his omnibus im- » mola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. » Et cum feceris hoc, clamabis ad me in die angustiæ tuæ, » et exaudiam te : glorificabo te, et benedices mihi [2]. » Et iterum per Prophetam : « Jejunia, et festivitates, et initia » annalium vestrorum odit anima mea [3]. Plenus sum : vo- » bis non est remedium [4]. Deinceps amplius non parcam » peccatis vestris, et non suscipiam odorem thurium ves- » trorum [5]. » Et similiter scriptum est : « Et quamvis mul- » tiplicaveris mihi holocausta vestra, in multitudinem sacri- » ficiorum vestrorum ego non respiciam [6]. » Et rursus ait : « Numquid holocausta et sacrificia obtulistis mihi quadra- » ginta annis in deserto, domus Israël? Nonne vos ipsi man- » ducabatis et bibebatis? dicit Dominus [7]. » Et per Isaiam iterum : « Qui immolat mihi bovem in sacrificium, quasi » qui interficit virum; et qui offert pecus in sacrificium, » quasi qui mactat canem; et qui offert similam in sacrifi- » cium, quasi qui fundit sanguinem suillum; et qui offert » thymiama in thus, quasi qui blasphemat; et qui offert » preces coram me, quasi qui honorat et honorificat cultu » servili idola et simulacra idolorum extraneorum [8]. » Et ita allocutus est Saül, quando audivit Samuël vocem ba- latus ovium et armentorum quæ abduxerat de Amaleci-

[1] Isai. I, 12. — [2] Psal. XLIX, 13. — [3] Isai. I, 13, 14, 15. — [4] Jerem. VI, 20. — [5] Amos, V, 21. — [6] Ibid. 22. — [7] Ibid. 25. — [8] Isai. LXVI, 3.

tis : « Quæ est vox hæc ovium, quam ego audio[1] ? » Respondit ei Saül : « Pepercit exercitus iste pulchritudini » ovium istarum, et adduxerunt ad offerendum sacrifi- » cium Domino Deo tuo[2]. » Ait Samuël : « Ecce obedire » præceptis acceptabilius est victimis; et perficere ver- » bum cum obedientia, adipe taurorum et hircorum[3]. » Et iterum ait : « Non vult Dominus holocausta peccato- » rum. » Et iterum scriptum est : « Non expiabuntur pec- » cata et iniquitates domus Heli holocaustis et victimis us- » que in æterna temporum[4]. » Et iterum scriptum est : « Non placent Domino multitudines arietum, neque decem » millia armentorum et gregum vitulorum : sed pro his om- » nibus ego ostendam tibi, fili hominis, quod bonum et utile » est tibi, et quod Dominus Deus tuus exigit a te, ut facias » justitias, et quæras fideliter veritatem, et promptus sis » ire post Dominum Deum tuum[5]. » Et quando Deus contempsit et sprevit holocausta et sacrificia in diebus Isaiæ, « Ostendam, *inquit,* tibi quid sit illud quod quæro a te : » Quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite ju- » dicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, et defendite » viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus : si fue- » rint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; » et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba » erunt[6]. » Et Micheæ : « Nolite, *inquit,* offerre oblationem » super altare meum, quia vos non placetis mihi, dicit Do- » minus[7]. » Et Daniel dixit Nabuchodonosor : « Peccata tua » eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis su- » per egenos, et non holocaustis et victimis[8]. » Sprevit itaque Dominus Israëlem et sacrificia ejus, sicuti dixit Jeremias : « Argentum abjectum vocate eos, quia sprevit Do- » minus illos[9]. » Et iterum : « Educ illos, *ait Dominus,* a

[1] 1 Reg. xv, 15. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 22. — [4] 3 Reg. ii, 27. — [5] Mich. vi, 7, 8. — [6] Isai. i, 16. — [7] Mich. vi. — [8] Dan. iv, 24. — [9] Jer. vi, 30.

» facie mea, et exeant. Et si dixerint tibi : Quo ibimus? di-» ces eis : A gladio in gladium, a fame in famem, a captivitate » in captivitatem, et a peste in pestem[1]. » Et rursus apud eum scriptum est : « Amplius non addam respicere in eos. » Et per Isaiam ait : « Separamini ab eis, et pollutos vocate » ipsos[2]. » Et iterum per Jeremiam dicit Dominus : « Reli-» qui domum meam, reliqui hæreditatem meam, dedi di-» lectum meum in manibus hostium[3]. » Et alio loco scrip-tum est : « Dedi filiæ populi mei scripturam repudii. » Et iterum apud Oseam : « Fecit Dominus transire a Sion pas-» cha et sabbatum[4]. » Et per Ezechielem exposuit et osten-dit eis miseriam suam, et dedit eis holocausta et sacrificia, si forte in functionibus eorum obeundis occupati et detenti minuerent peccata sua. Nam cum paulo ante eis dixisset : « Dedi, *inquit*, eis præcepta et judicia; ostendi et mani-» festavi eis ut, si faceret homo ea, viveret per illa[5]. » Post-ea subdit : « Dedit eis mandata non proficua, et judicia per » quæ non viverent : et contaminaverunt se in primitiis et » indignis donis suis, et in oblationibus holocaustorum et » victimarum[6]. » O stulte et difficilis ad credendum et in-telligendum, scriba Legis et doctor populi, induc animum tuum et crede : nam dum os sanctum testatum est quod dederit mandata et judicia inutilia et non bona, quid stupet petulans facies tua? et quid recalcitras, et perfricta fronte impugnas? Nam ecce propter peccata et iniquitatem tuam dedit tibi Deus holocausta et victimas, et separavit et discrevit tibi cibos. De quibus autem mandatis et judiciis revera di-xit Ezechiel, quod qui faceret viveret vita[7]? et e contrario de quibus mandatis vere ait : Dedi vobis mandata non uti-lia et non proficua, in quibus non viverent? Profecto præ-cepta et judicia salutifera et vivificantia utique sunt illa

[1] Jer. xv, 1, 2. — [2] Isai. lii, 11. — [3] Jerem. xii, 7. — [4] Ose. ii, 11. — [5] Ezech. xx, 11. — [6] Ibid. 25, 31. — [7] Ibid.

quæ primum scripta sunt; et certum et justum judicium justificationum, quod eis servandum proposuit, sunt decem sancta præcepta quæ Deus exaravit manu sua, et dedit Moysi ut doceret ea : et quando conflaverunt caput vituli, et verterunt terga, et declinaverunt ab eo, tunc addidit, et tribuit eis præcepta et judicia inutilia; sacrificia, et legem leprosi, et seminiflui, et menstrualis, et partus, et ne quis tangeret mortuum, et sepulcra, et ossa, et occisos, et ut pro omni peccato offerretur sacrificium, et pro omnibus immundis pollutionibus membrorum; et ex his singulis dixit et præcepit ut homo fieret immundus usque ad vesperum, et aquis ablueretur. Profecto propter ea omnia quæ scripta sunt, nec una dies est in qua Israël sit immunis a peccatis, sed omnibus annis et diebus temporum suorum in peccatis et in immunditia jacent ac versantur, et in ea consumuntur : eodemque in statu pereunt, et ex lege illa justificari nequeunt, nisi quis faciat ea omnia quæ scripta sunt in Lege ut vivat. Sed manifestum est quod nemo possit ea servare et facere. Itaque Dominus noster videns ea esse gravia, vocavit nos, inquiens : « Venite ad me, » qui laboratis et fatigati estis, et qui habetis onera gravia, » et ego reficiam vos : tollite jugum meum super vos; ju» gum enim meum suave est, et onus meum leve[1]. » Fateamur igitur abundantiam misericordiæ Domini qui abstulit a nobis durum et grave jugum, et dedit nobis jugum suum suave et leve. Charissime, ego scripsi tibi hæc ut in memoria tua sint cum populi Judæorum in superbiam elati se jactant et gloriantur mundos ab immundis cibos discernere atque eligere : nam in his tribus valde gloriantur, in circumcisione, et in observantia sabbati, et in delectu ciborum. Itaque de his tribus, quantum assecutus sum, scripsi tibi, et persuadere conatus sum. Et de aliis etiam, quan-

[1] Matth. xi, 28.

tum Deus dederit nobis, cum opportunum et congruum fuerit, scribam, eaque tibi explanare conabor.

---

# SERMO DECIMUS QUARTUS.

## DE PASCHA.

Jussit Sanctus Moysi ut facerent pascha die decima quarta primi mensis, et ait : « Dic filiis Israël ut accipiant » sibi agnum anniculum. Sument ex agnis et ex hædis, et » facient festivitatem magnam, Pascha Domini : et sument » agnum die decima mensis, et servabunt usque ad deci- » mam quartam diem illius mensis : et immolabunt agnum » ad occasum solis, et aspergent ex sanguine ejus super » ostia ædificiorum et domorum suarum, ne noceat eis » Angelus cum transibit per terram Ægypti ad disperden- » dum. Et comedit agnum omnis populus festinanter. Sic » autem comedent illum renes suos cingentes, calceamenta » habentes in pedibus, tenentes baculos in manibus. Et non » comedent ex eo crudum, nec coctum aqua, sed assum » igni; et extra domum nihil educent de illo, et os non » frangent in eo[1]. » Et ita fecerunt filii Israël, et comederunt pascha decima quarta die primi mensis, qui est ille idem mensis qui dicitur Mehecus, mensis florum, mensis primus mensis anni. Age itaque, et observa, charissime, cæremonias quas servandas præscripsit Sanctus cum facerent pascha, et quomodo monuit eos de omni ritu paschali : nam dixit eis ut in una domo comederent, et extra domum non extraherent quidquam de eo. Insuper consi-

[1] Exod. XII, 3.

dera quomodo locum celebrationis paschatis præscripsit eis Moyses, « Cum intraveritis, *inquiens,* in terram quam » dabit vobis Dominus, et feceritis pascha suo tempore, ne » audeatis facere pascha in quacumque ex civitatibus et » vicis vestris, sed in loco quem elegerit sibi Dominus Deus » vester. Comedetis itaque pascha, et comedetis coram Do- » mino Deo vestro vos, et domestici vestri, et cum gaudio » exultabitis in festivitate Paschæ vestri[1]. » Et iterum sic eis præcepit, dicens eis : « Advena alienigena et mercena- » rius non comedet ex pascha illo. Et servus emptitius tuus » cum circumciderit præputium carnis suæ, tunc comedet » de pascha[2]. »

II. Grandia et admirabilia sunt mysteria hæc, charissime. Si enim in terra sua cum esset, Israël non audebat facere Pascha, nisi solum in Jerusalem, hodie autem cum dispersus sit per omnes nationes et linguas, inter incircumcisos et pollutos, et comedat panem suum cum pollutione inter gentes, sicut dictum est de eis apud Ezechielem prophetam, quando Deus in imagine ac signo id præmonstrans jussit ut comederet panem suum cum pollutione, et ita eum Propheta deprecatus est : « O Domine Dominan- » tium, non comedit anima mea commune, neque unquam » intravit in os meum cibus pollutionis[3]. » Et ait ei Dominus : « Signum quod ostendi tibi hoc est, quod comedent » filii Israël panem suum cum pollutione inter gentes, ad » quas dispergam eos[4]. » Quomodo, inquam, si Israël, sicut superius dixi, in terra sua non poterat comedere pascha, nisi coram Domino in Jerusalem; hodie quomodo audet celebrare mysterium Paschæ inter extraneas gentes? Insuper potestatem celebrandi Paschatis ademptam eis fuisse, per Prophetam Deus testatus est, de illis dicens :

[1] Deut. xvi, 5. 6 et seqq. Num. ix, 2. — [2] Exod. xii, 43. — [3] Ezech. iv, 14. — [4] Ibid 13.

« Multos dies sedebunt filii Israël sine sacrificio et altari, » et sine sacerdote qui induebatur amictu ad imponen» dum thus[1]. » Et iterum dixit ad Jerusalem : « Dissipabo » Jerusalem, et festivitates Paschatum ejus, sabbata et » kalendas ejus. Et non glorientur ultra de arca fœde» ris[2]. » Iterum ait : « Dissolvens reliqui domum vestram » desertam[3]. » Et iterum ait : « Non recoletur amplius no» men Israël[4]. » Et rursus iisdem fere verbis Moysi eadem prænuntians multo ante de illis per eumdem Moysem dixerat : « Probabo eos in gente ignobili, et in gente stulta » irritabo illos[5]. » Nunc itaque veni, et interrogabo te, o Scriba sagax, et sapiens doctor populi, qui non intelligis verba Legis. Ostende mihi quando hoc impletum est, quod Deus probaverit populum suum in gente ignobili, et in populo stulto irritaverit illos? Porro haud negabis, per populum istum, qui est ex gentibus, impletum esse verbum Scripturæ, quod utique Moyses ex littera Legis tibi significavit. Quapropter si facis Pascha alicubi in regione peregrinationis tuæ, in prævaricatione Legis insolescens facis illud.

III. Nam libellus repudii scriptus est, et datus est vobis : Quod si non credis, audi Jeremiam prophetam dicentem : « Relinquam domum meam, relinquam hæreditatem inter » inimicos meos : grex discolor avium factus est mihi hæ» reditas mea[6]. » Porro quid est grex discolor avium, interrogo te, o sagax et sapiens magister? Grex discolor avium est Ecclesia gentium. Jam vide quare vocet eam gregem discolorem avium : quoniam ex multis nationibus et linguis aggregata est, et remotis gentibus vicinas conjunxit. Si non credis quod gentes fuerint hæreditas Domini, audi iterum quomodo locutus fuerit Jeremias,

[1] Osc. III, 4. — [2] Isai. I. — [3] Jer. XII, 7. — [4] Ibid. 11. — [5] Deut. XXXII, 21. — [6] Jer. XII, 7, 9.

cum ex persona Domini compellans vocat gentes, et despiciens spernit Israëlem, ita ad eos dicens : « State super » vias, et videte, et interrogate de semitis hujus mundi, et » videte viam quæ est bona et ambulate per eamdem ; et » dixistis : Non ambulabimus nos[1]. » Et iterum ait : « Con- » stitui super vos speculatores, et audietis vocem tubæ; et » vos dixistis : Non audiemus. » Et cum non audissent filii Israël, aversus est, et prænuntians de eis, inquit : « Jam » deinceps audite, nationes gentium ; nosce et scito, Eccle- » sia, quæ ego faciam eis[2]. » Et iterum ait David : « Memor » esto populi tui, quem possedisti ab initio[3]. » Et Isaias ait : « Audite; gentes, quod fecerim; et cognoscite et scitote, » longinqui, opus fortitudinis meæ. » Et iterum de Ecclesia, quæ futura erat ex gentibus, Spiritus sanctus per eloquium Prophetæ : « Erit, *inquit,* in novissimis diebus mons Do- » mini, et domus Dei in vertice montium : elevabitur, et » exaltabitur super colles; et venient, et confluent ad eum » omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, » et ascendamus nos ad montem Domini, et domum Dei » Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semi- » tis ejus[4]. » Et quare dixit Isaias : « Audite, gentes, quod » fecerim; et cognoscite et scitote, longinqui, opus robur » fortitudinis meæ. Festinantes properaverunt peccatores » in Sion : et terror pressuræ cecidit super gentes ? » At quid est hoc quod eloquens prædicit, quod faciet et ostendet robur fortitudinis suæ, et quod properantes festinaverunt peccatores in Sion, et quod immiscet timorem et terrorem super gentes ? Hoc certe sermone advocat gentes æmulatores populi, et indicat remotis fortitudinem virtutis suæ, inducendo atque infligendo furorem iræ vindictæ tum, cum judicavit condemnavitque populum suum, præparavitque in ejus pressura gentes in Sion, quam nominans vocabat

[1] Jerem. VI, 16. — [2] Ibid. 15. — [3] Psal. LXXIII, 2. — [4] Isai. II, 2.

civitatem sanctitatis, et incussit terrorem terrefacientem, tanquam febrilem æstum in gentes, quæ factæ sunt prophetæ veritatis; sicut e diverso dixit de Prophetis Jerusalem, quod ab eis exierit fermentum gentilitatis per omnem terram.

IV. Audi nunc, charissime, quid dicam de hoc Paschate, cujus mysterium et figura data fuit primo populo; veritas autem ejus narratur et annuntiatur hodie in gentibus; siquidem dubiæ et ambiguæ stultorum et rudium hominum mentes valde hæsitant circa magnum hunc diem primi et principalis Paschatis : dicunt enim, Quomodo recte celebramus et servamus illud? Profecto verus agnus est vivificans Salvator noster, anniculus, immaculatus, nulla in exteriori parte mancus et mutilus; sicut et Propheta spirituali eloquio ait : « Non est peccatum iniquitatis » in eo, neque est inventus dolus aliquis in ore ejus[1] : sed » voluntas Domini voluit humiliare eum, et tradere ad passionem crucis[2]. » Vocavit eum Agnum anniculum, ex eo quod esset ille parvulus, et immaculatus a peccato et ab iniquitate; sicut et dixit discipulis suis : « Nisi conversi » fueritis, et efficiamini sicut parvuli isti, non intrabitis in » regnum cœlorum[3]. » Et Isaias ait de justis : « Senex puer » consummabitur, et puer qui non fuerit centum anno» rum, maledictus morietur[4].» Salvator quidem noster comedit Pascha cum Discipulis suis in decima quarta nocte illa qua captus est, et sacramentum veri paschatis præstitit Discipulis. Nam postquam exivit ab eis Judas, accepit panem, benedixit, et dedit Discipulis suis, dicens eis : « Hoc » est corpus meum; accipite, et manducate omnes ex isto[5].» Et super vinum sic benedixit, et ait eis : « Hic sanguis meus » novum Testamentum, qui pro multis effunditur in remis-

[1] Isai. LIII, 9. — [2] 1 Petr. II, 22. — [3] Matth. XVIII, 3. — [4] Isai. LXV, 20. — [5] Matth. XXVI, 26.

» sionem peccatorum. Ita facietis in meam commemora-» tionem, cum vos congregati fueritis[1]. » Dominus autem noster hoc fecit priusquam caperetur; et a loco illo, ubi fecit pascha, et dedit corpus suum ut manducarent, et sanguinem ut biberent, abiit, et eo profectus est cum Discipulis suis ubi ceperunt eum. Cum ergo manducatum fuit corpus ejus, et bibitus ejus sanguis, reputatus est esse cum mortuis. Nam Dominus noster manibus suis dedit corpus suum in cibum; et cum non adhuc esset crucifixus, dedit sanguinem suum in potum. Ceperunt autem eum in nocte illa decima quarta, et causa ejus ac judicium tractatum est usque ad horam sextam; et hora illa sexta constituerunt eum reum, et crucifixerunt. Cum autem ipse judicaretur, nihil locutus est, et responsum non dedit judicibus suis[2] : nam poterat quidem loqui et dare responsum, sed non poterat bene ac recte res tota sibi constare, si qui reputatus est cum mortuis loqueretur et verbum aliquod diceret. A sexta autem hora usque ad horam nonam fuerunt tenebræ; et in hora nona tradidit spiritum in manus Patris sui. Et fuit ipse inter mortuos nocte quæ lucescebat in decimam quintam, et tota die sabbati, et tribus horis diei Parasceves : nocte vero illa, quæ lucescebat in dominicam, eadem hora qua corpus et sanguinem suum dedit Discipulis suis, surrexit a mortuis.

V. Jam ostende nobis, o perite et sapiens sacrarum Litterarum, ubinam sint tres dies et tres noctes quibus Salvator noster fuit inter mortuos : quoniam ecce videmus fuisse eum inter mortuos tribus horis duntaxat diei Parasceves, et nocte quæ lucescebat in sabbatum, et tota integra die sabbati; nocte enim dominicæ diei surrexit. Age igitur computa mihi probe integras tres dies et tres noctes, et videamus quænam sint; etenim inter mortem et

[1] Matth. xxvi, 28. — [2] Id. xxvii, 12, 14. Marc. xv, 45. Joan. xix, 9.

resurrectionem integra dies et nox solum intercessit. At vero ambigi nequit quod Salvator noster dixit : « Sicut » fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus ; » sic erit Filius hominis in corde terræ[1]. » Verum enim si tempus numeretur ex ea hora qua dedit corpus suum ad manducandum et sanguinem ad bibendum, habentur tres noctes dies et tres hoc modo. Nox erat hora illa qua Judas exivit ab illis, et undecim Discipuli manducaverunt carnem et biberunt sanguinem Salvatoris nostri. Jam ecce una nox illa est quæ lucescebat in Parasceve. Et inde usque ad horam sextam, qua condemnaverunt eum, ecce fuit dies unus et integra una nox. Præterea tres horæ in quibus fuerunt tenebræ a sexta hora usque ad horam nonam, et tres horæ postquam factæ sunt tenebræ, quæ alteram noctem et diem constituunt. Ecce autem duo dies et duæ noctes. Demum tota nox quæ lucescebat in sabbatum, et tota dies sabbati : jam vero completæ sunt tres dies et tres noctes quibus Dominus noster fuit inter mortuos; nocte enim diei dominicæ surrexit a mortuis.

VI. Porro Pascha Judæorum est dies quarta decima, dies et nox. Et nostra magna dies passionis est Parasceve dies decima quinta, nox et dies. Post Pascha manducat deinceps Israël per septem dies azyma, usque ad vigesimam primam diem mensis. Et nos totidem diebus servamus Pascha festum Salvatoris nostri. Illi comedunt azymum et lactucas agrestes : et Salvator noster repudiavit calicem amaritudinis mixtum felle; nam accepit, et abstulit omnem amaritudinis gentium, quando gustavit et noluit bibere. Porro Judæi recolunt peccata super animas suas ex anno in annum : et nos facimus commemorationem crucifixionis et passionis Salvatoris nostri. Illi in Pascha exierunt e tyrannide servitutis Pharaonis : et nos in die crucifixionis Do-

[1] Matth. XII.

mini nostri erepti sumus e captivitate servitutis Satanæ. Illi immolaverunt agnum ex grege ovium, et sanguine ejus liberati sunt ab Angelo exterminatore : et nos sanguine Agni Filii electi erepti sumus ab operibus corruptionis quæ operati sumus. Illis fuit salvator Moyses : et nobis fuit Jesus Salvator et dux. Illis Moyses divisit mare, et trajecit : et Salvator noster divisit infernum, et fregit portas ejus, cum ipse ingrediens eas aperuit, et omnibus fidelibus suis viam munivit. Datum est eis manna in cibum : et Dominus noster dedit nobis carnem suam in escam. Illis eduxit aquam e petra : et nobis Salvator noster fecit aquam vitæ fluere e ventre suo[1]. Illis promisit terram Chananæorum in possessionem : et nobis terram vitæ donaturum se promisit. Iliis appendit Moyses serpentem æneum, ut qui semel respiceret in illum viveret et a morsibus serpentium liberaretur : nobis vero ipse Dominus noster Jesus pependit in cruce, et per eum a morsu Satanæ erepti sumus. Moyses erexit tabernaculum testimonii, et docuit vota, et sacrificia ad eorum peccata expianda tradidit : et Jesus erexit tabernaculum David, et firmatum est ; ita enim ipse dixit Judæis : « Cum destruxeritis templum hoc, in » tribus diebus erigam istud[2]. » In hoc tabernaculo promisit nobis vitam[3], et per ipsum expiantur peccata nostra. Et quidem tabernaculum vocavit ille tentorium, quod ad horam esset ; nam brevi tempore ministravit : at nobis est templum Spiritus sancti in sæcula. Jam vero, charissime, attende, et considera de agno Paschæ, quomodo præceperit eis Sanctus ut illum comederent in una domo, et non in multis domibus[4], nempe in domo unius Ecclesiæ Dei. Et insuper ait : « Non comedet ex eo advena, et » peregrinus, et mercenarius[5]. » Et quinam isti sunt, nisi

[1] Joan. VII, 38. — [2] Id. II, 19. Matth. XXVI, 61. — [3] Hebr. VIII ; IX, 11. — [4] Exod. XII, 46. — [5] Ibid. 45, 48.

studia, et voluntates malæ, quæ auferunt potestatem manducandi pascha? Enimvero Salvator noster de mercenario dixit, quod mercenarius, qui non est dominus gregis, quando videt lupum venientem, relinquit et dimittit gregem et fugit. Præterea jussit Sanctus non comedere « ex » eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum » igni. » Hoc etiam bene constat, et apertissimum est, quoniam sacrificium illud, quod offertur in Ecclesia Dei, in igne assatur, neque coquitur aqua, neque crudum offertur super altare. Insuper ostendit quomodo comederent illum : « Renes, *ait,* accingentes, calceamenta habentes in pedi» bus, et baculum in manibus [1]. » Valde magna in his mysteria sunt : nam qui manducat de Christo, vero agno, accingit renes suos fide, et induit pedes fortitudine Evangelii, et habet in manu sua gladium spiritus, qui est ipsum verbum Dei. Tunc etiam præcepit, « ne os frangeretur in » eo [2]. » Hoc impletum est in cruce, quando non fregerunt ejus crura [3]. Addidit post hæc : « Servus emptitius, cum cir» cumciderit carnem præputii sui, tunc comedat de pas» cha [4]. » Servus emptitius homo peccator, qui agens pœnitentiam emitur sanguine Christi, et circumcidens cor suum ab operibus malis, accedit ad baptismum lavacri, quod est perfectio et complementum veræ circumcisionis, et venit, et fit particeps mysteriorum Dei, et communicat corpori et sanguini Christi. Demum et illud adjunxit : « Co» medent festinanter. » Hoc in Ecclesia Dei servatur; nam festinanter, cum tremore et timore comedunt Agnum, stantes in pedibus suis cum reverentia. Quippe accelerant ad comedendam vitam ex donis Spiritus, quem acceperunt. Baptizatus est Israël in mari illa nocte Paschæ in die salutis : et Salvator noster abluit pedes Discipulorum in nocte

[1] Exod. XII, 11. — [2] Ib. 46. Num. IX, 12. — [3] Joan. XIX, 36. — [4] Exod. XII, 45.

Paschæ, ostendens eis sacramentum humilitatis, et baptismi, et passionis mortis suæ, juxta dictum Apostoli : « Si baptizati estis cum eo, in baptismo mortis vivite et vos cum » eo virtute Dei[1]. » Nam Salvator noster, accepta aqua, et in pelvim ad lotionem peragendam immissa, linteo se præcinxit; et incipiens lavare pedes Discipulorum, cum pervenisset ad Simonem Petrum, dixit ei Petrus : « Domine tu » lavas mihi pedes? non lavabis in æternum[2]. » Respondit ei Dominus : « Si non lavero ego te, non habebis partem » et portionem mecum. » Dicit ei Simon : « Cum ita sit, » Domine mi, lava non tantum pedes meos, sed etiam ma- » nus meas, et caput. » Tum respondit ei Jesus : « Qui lo- » tus est non indiget nisi ut pedes solum lavet. » Et cum lavisset pedes Discipulorum, ad mensam accubuit, et deinde dedit eis corpus et sanguinem suum.

VII. Hæc pauca ego tibi scripsi, ea mente et consilio proferens, ut quo modo respondeas Judæis in promptu habeas. Siquidem illi prævaricantes Legem, ritum Paschalem observant, cum nullam potestatem habeant, et faciunt sibi tabulas Legis et arcam testamenti. Et non intelligunt neque percipiunt id quod prædixerit Propheta, inquiens : « Non amplius facient arcam testamenti. Neque ejus recor- » datio in mentem cadet, neque recoletur, neque visitabi- » tur, neque quæretur, neque aliquid de illa erit amplius » penitus et omnino[3]. » Cum ergo dicitur, « Non amplius » erit, et non cadet in mentem recordatio ejus, neque vi- » sitabitur neque quæretur de illa; » qui eam renovare studet, prævaricator est. Et iterum ait Jeremias : « Dissipave- » runt filii Israël et filii Juda testamentum meum[4]. » Et de testamento quod daturus erat populo Gentium, sic prænuntiavit : « Mittam, *ait*, domui Israël et domui Juda tes-

[1] Rom. VI, 3, 4. Galat. III, 27. — [2] Joan. XIII, 6. — [3] Jerem. III, 16. — [4] Ibidem.

» tamentum novum, non sicut illud quod dedi patribus eo-
» rum in die in qua suscepi eos et eduxi ipsos de terra
» Ægypti. Et quia dissipaverunt testamentum meum, et ego
» contempsi et sprevi eos, ait Dominus[1]. » Si autem respondeant, quod prædixerit : « Israëli et Judæ, » non populo gentium « dare novum testamentum. » Certe qui nuncupavit Israël principem Sodomæ, et populum Gomorrhæ; idem ipse Deus vocavit Abraham, et promisit ei ore suo, dicens : « Non amplius vocetur nomen tuum Abram, sed Abraham :
» quia dedi te patrem multarum gentium[2]. » Et iterum dixit ei : « In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ[3]. »

VIII. Cum autem hæc omnia probe intellexeris, ac certo tibi persuaseris, communicabis cum illis fratribus et filiis Ecclesiæ nostræ qui dubitantes controversantesque difficultatibus implicantur circa tempus Paschæ : at veris fidelibus hoc scire non est difficile. Si contingat nobis diem passionis Salvatoris nostri incidere in dominicam diem, licet altera dominica die subsequenti eam celebrare; ita ut servetur tota hebdomada in recolendo opere passionis et celebratione Paschæ. Nam post Pascha septem dies paschales sunt, et deinde usque in quinquagesimum diem, et non ultra. Quod si in alia die hebdomadæ contingat recoli opus Dominicæ passionis, res est extra controversiam, et nulla hac de re remanet difficultas. Dies autem Parasceve nobis dies magna est : etenim secundum numerum dierum mensis, dies crucifixionis, in qua passus est Dominus noster, est decima quarta ; tempus autem quod fuit inter mortuos die ac nocte, est dies decima quinta a sexta hora Parasceve, usque ad vesperam diei quæ lucescit in dominica, quæ fuit dies decima sexta, qua ille resurrexit. Nam vespere diei quæ lucescit in die decima quarta, manducavit pascha cum Discipulis suis secundum legem Israël. Et illa die Parasceve,

[1] Jerem. XXXI, 31. — [2] Gen. XVII. — [3] Ibid.

quæ fuit decima quarta, judicatus est usque ad horam sextam, qua ascendit in crucem, et in ea vivus tres horas permansit. Et descendit ad mortuos vespere diei quæ lucescebat in die decima quinta, quæ est dies sabbati, et eadem ipsa est decima quinta, qua fuit ille inter mortuos. Et in nocte quæ lucescebat in dominica, quæ est dies decima sexta, surrexit, et apparuit Mariæ Astracsensi, et duobus Discipulis illis qui iter faciebant. Hinc autem intelliget qui de hisce diebus controversiam facere ac quæstiones nectere amat, quod nocte quæ lucescit in die decima quarta Dominus noster fecit pascha, comedit et bibit cum Discipulis suis : at vero ex quo cantavit gallus, ulterius non comedit neque bibit, quoniam ceperunt ipsum et ad tribunalia duxerunt. Et sicut paulo ante dixi tibi, in decima quinta die ac nocte fuit ille inter mortuos. Itaque oportet nos servare hoc pascha suo tempore de anno in annum, jejunia sancta et preces perpetuas custodire, et laudem benedictionum diligenter, prompte et verbis maxime decoris cantuum psalmorum Davidicorum persolvere; digne dare signaculum et baptismum lavacri suo apto et convenienti ordine, et benedictiones sanctas congrue ac rite impertiri, et implere et perficere omnia quæ ad pascham pertinent. « Namque Dominus noster mortuus est, et sur» rexit, et posthac non moritur, et mors non dominabitur » ei. Qui enim mortuus est in peccatis, ille mortuus est; et » qui vivit, vivit ad Deum; et nos quidem mortui sumus » cum eo [1]. » Si quæstio aliqua ac sollicitudo hac de re habenda est, de decima quarta magis inquirere opus erit nobis quam de pascha de anno in annum. Ita etiam oportet ut nos servemus decimam quartam omnium mensium, et studiose custodiamus Parasceven omnium hebdomadarum; nam id nobis conveniens et dignum est : ita tamen ut om-

[1] Rom. VI, 9.

nes dies hebdomadarum opportuni censeantur nobis ad operandum bona coram Domino Deo. Demum ex his paucis quæ scripsi tibi cogita, et noli existimare quod vobis utile sit contendere verborum certaminibus, quæ nullum habent emolumentum et utilitatem; sed solum contendite ut possideatis et habeatis cor custodiens præcepta, et ut Pascha suo apto tempore et observantias magnæ solemnitatis passionis Salvatoris nostri servetis.

---

# SERMO DECIMUS QUINTUS.

## DE INGRESSU GENTIUM PRO POPULO JUDÆORUM, SEU DE GENTIUM VOCATIONE ET REPROBATIONE JUDÆORUM.

Jampridem et multo ante vocatæ erant gentes ex omnibus linguis in hæreditatem Altissimi, quam vocaretur Israël. Ita enim dixit Deus Abrahæ : « Dedi te patrem mul- » tarum gentium [1]. » Et Moyses prophetavit, dicens : « Gen- » tes vocabuntur in montem Dei, et illic offerent sacrificia » justitiæ [2]. » Et in benedictione illa testimonii dixit ad populum : « Provocabo vos in populo ignobili, et in gente » stulta irritabo vos [3]. » Jacob etiam patriarcha testatus est de gentibus in benedictione illa sua, dicens ad Judam : « Non deficiet germen de Juda, princeps et dux de fœ- » more ejus, donec veniat cujus est regnum, et gentes » sperantes credent in eum [4]. » Et Isaias ait : « Erit in no- » vissimis diebus mons Domini, et domus Dei in vertice » montium elevabitur, et exaltabitur super colles, et fluent » ad eum omnes gentes. Advenient populi multi, et dicent :

[1] Genes. XVII, 5. — [2] Deut. XXXIII, 19. — [3] Ibid. XXXII, 21. — [4] Genes. XLIX, 10.

» Venite, et ascendamus in montem Domini, et ad domum » Dei Jacob : narrabit ille nobis vias suas, et ambulabimus » in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et verbum Do- » mini de Jerusalem. Faciet judicium inter gentes, et ar- » guet populos remotos[1]. Et cum judicaverit et arguerit » eos, tunc accipient consilium, et consentientes erunt; » æquabuntur, et emollientur a duritie sua. Conflabunt » gladios suos, et facient vomeres; et lanceas suas, et fa- » cient falces. Et deinceps non amplius levabit gens contra » gentem gladium, et omnino ultra non exercebuntur ad » prælia gerenda[2]. » Nam antea gentes, quæ nesciebant Deum propter rapinæ aviditatem et fraudulentam avaritiam, gladiis, et telis, et lanceis certabant : at cum venit Christus et Dominus Salvator noster, fregit et contrivit bellicos arcus, et sermones pacis habuit cum nationibus gentium; conflavit gladios illarum, et vertit in vomeres, et lanceas earum in falces; adeo ut unusquisque comederet labores manuum, et non ex præda vastatrice viverent. Et rursus scriptum est : « Dabo gentibus labia loquentia de » Deo, ut invocent omnes nomen Domini[3]. » Nam prius ora eorum præparata non erant, et non invocaverunt nomen Domini; quoniam labia earum honorabant et glorificabant idola manu sua facta, et alienigena, et invocabant ea. Et iterum Zacharias propheta ait : « Conjungentur Domino for- » tes, et multæ nationes gentium[4]. » Et Jeremias propheta prædixit palam et manifeste de gentibus in sermone illo suo, dicens : « Gentes relinquent sculptilia sua, clamabunt, » prædicabunt, et dicent : Idola illa mendacia et fallacia, » quæ patres nostri fecerunt nos possidere, nihil sunt[5]. »

II. Idem Propheta præmonuit populum suum, inquiens : « State in transitu viarum, et interrogate de semitis hujus

[1] Isai. II, 2. — [2] Mich. IV, 3. — [3] Sophon. III, 3. — [4] Zach. II, 11. — [5] Jerem. XVI, 19.

» mundi; videte quæ via sit bona, et ambulate in ea[1]. » At illi dura, pertinaci et obstinata voluntate sua responderunt, dicentes : « Nequaquam ituri sumus, neque profecto » ibimus[2]. » Et ait eis iterum : « Constitui super vos speculatores bene speculantes, ut audiatis vocem buccinæ[3]. » Reponunt autem illi : « Nequaquam eam sumus audituri[4]. » Id autem manifeste declaraverunt in diebus Jeremiæ, quando annuntiavit eis sermones Domini : illi responderunt, dicentes : « Sermones quos dixisti nobis in nomine » Domini non audimus, sed facimus voluntatem animarum » nostrarum, juxta omnes sermones qui exeunt ex ore nostro, ut offeramus incensa idolis alienigenis[5]. » Et cum vidisset quod neque semel attenderent, conversus est ad gentes, ita eas alloquens : « Audite, gentes, et agnoscat Ec- » clesia quæ est in illis, et audiat terra plenitudine sua[6]. » Cum vidisset quod procaciter resisterent, et insolenter responderent, tunc reliquit eos, sicut per Prophetam dixit : « Reliqui domum meam, et dimisi hæreditatem meam, dedi, » dilectam meam in manu inimicorum, et pro ea turma dis- » color avium facta est mihi hæreditas mea[7]. » Illa enim turma ipsa est Ecclesia gentium, quæ ex omnibus nationibus congregata est. Ut vero planius scias quod firmiter et vere reliquerit Synagogam, Isaias iterum : « Dereliquisti, » *ait,* populum tuum Jacob[8]. » Et vocavit eos Sodomitas et Gomorrhæos. Et vocavit gentes pro eis, et nominavit eas populum Jacob, inquiens : « Domus Jacob venite, ambulemus in lucem Domini, quia populus Jacob dimissus » et derelictus est; et facti sunt illi principes Sodomæ, et » populus Gomorrhæ, pater Amorrhæus, et mater Cethæa. » Conversi sunt, et facti sunt vinea diligens extraneos, et » planta extranea, quia uva eorum uva amaritudinis, et

[1] Jerem. vi, 16. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 18, 19. — [7] Id. xii, 9. — [8] Isai. ii, 6.

» botri eorum amaritudo fellis; filii rebelles, argentum ab-» jectum et maculatum; vinea Sodomæ, et planta Go-» morrhæ; vinea quæ fecit spinam pro uva, et vinea cujus » ramos comedit ignis, et ad nihil fuit utilis[1]. » Jam duos populos vocavit, eosque nominavit populos Jacob : unum, qui ambulat in luce Domini ; et alterum, qui dimissus et desertus est. Isti vocati sunt principes Sodomæ; nomine autem Jacob nominatus est populus ex gentibus. Rursus dixit Propheta de gentibus, quod illæ pro Israëlitico populo offerent sacrificium : nam ait : « Magnum est nomen » meum in generationibus gentium, et in omnibus locis » offerunt sacrificia sancta nomini meo[2]. » Et de Israël : « Sacrificia, *ait,* vestra non suscipiam[3]. » Et similiter Osee de Israël : « Cum mendacio, *inquit,* quærunt Dominum[4]. » Isaias vero : « Elongatum est cor eorum a Deo suo[5]. » Et addit : « Populi isti labiis tantum honorant me, et cordibus » suis longe sunt a me. » Et Osee iterum : « Circumdedit » me Ephrem dolo, et domus Israël et Juda mendacio, » donec descendit populus Dei[6]. » Jam vero quis est populus iste? nisi populus justus et fidelis. Et quidem de Israël et de Ephrem ait : « Circumdedit me mendacio et dolo; » quoniam regnum iniquum extitit ex Ephrem, et pertransivit in Israël. Quod si nomen Juda non posuisset in sermone isto, fortasse responderent quod Juda fuerit sanctus et fidelis, et quod ambulaverit et consenserit, et conjunctus fuerit Domino. At Propheta contrarium declaravit, manifeste dicens : « Circumdedit me Ephrem dolo, et domus » Israël et Juda mendacio. » Nam seduxit palam Israëlitas Roboam filius Nabat, a quo latenter comprehensus est et Juda dolo : nam dolo et in occulto adorabant idola alienigenarum, quando Deus ostendit et manifestavit pollu-

[1] Isai. II, 5. — [2] Malach. I, 11. — [3] Ibid. 13. — [4] Ose. VII, 1. — [5] Isai. XXIX, 13. — [6] Ose. XI, 12.

tionem eorum Ezechieli[1]. Idem quoque de eis prædicavit Osee in sermone suo, quando vocavit eos fornicatores et adulteros. Nam quod de populo Israël inquit, ut auferret « fornicationem suam a facie sua ; » idipsum etiam de populo domus Juda dixit, ut auferret « adulterium suum de » medio uberum suorum[2]. » Et ut scias quod de ambobus populis locutus est Propheta, quod sint adulteri et fornicatores : Nisi utique abstulerit fornicationem et adulterium ab uberibus suis, « constituam eam, *inquit,* nudam, » ignominiosam, et relinquam eam tanquam puerum re» center natum ex utero, et tanquam in die in qua ascen» dit de terra Ægypti[3]. » Ita utrumque eorum populum, populum Israël fornicatorem, et populum Juda adulterum vocavit; populum autem gentium, populum sanctum et fidelem, quoniam descendit et stetit, et fuit Domini. Quare, inquit, descendit? quia utique descenderunt a superbia sua. Iterum vocavit eos Ezechiel, Ahlam, et Ahlibam[4]. Et utrumque populum eorum vocavit duos ramos vineæ, quos comedit ignis. Iterum dixit David de gentibus : « Dominus » numeravit gentes in Scripturis[5]. » Gentes igitur litteris consignatæ sunt in Scriptura. Observa autem, charissime, quoniam prius scripta est vocatio populi gentium. Nam quando peccaverunt illi in deserto, dixit Deus Moysi : « Permitte mihi ut deleam populum hunc, et constituam » te in populo multo majori quam illo[6]. » Et quia non advenerat tempus gentium, et alius futurus erat Salvator earum, Moyses non consensit ut ipse fieret salvator et ductor populi gentium, etiamsi esset major populo Israël. Nam in magna et ampla gloria decebat ut Filius Dei dux et salvator fieret, et munus illud acciperet, sicut ait Isaias : « Parum est hoc, ut fiat mihi servus, et faciat florere

[1] Ezech. VIII. — [2] Ose. II, 2. — [3] Ibidem. — [4] Ezech. XXIII. — [5] Psalm. LXXXVI, 6. — [6] Exod. XXXII, 10.

» mihi populum Jacob, et erigat populum Israël. Sed dedi » te in lucem gentium, ut ostendas et manifestes salutem » meam usque ad extremum terræ[1]. » Et iterum ait : « Au- » dite me nationes, et attendite gentes, quoniam lex posita » est ante me, et justificationes judicii mei lumen sunt gen- » tibus[2]. » Et David ait : « In auditu aurium audient me filii » alienorum, et ipsi filii alienorum impedientur, et claudi- » cabunt a semitis suis[3]. » Profecto gentes audiverunt, et declinaverunt a semitis cultus simulacrorum, idolorum, alienigenarum, et imaginum. Si autem dicant : « Eas vo- » cavit filios alienigenas, » ipsos vero vocatos fuisse filios et hæredes, siquidem de eis ex persona Dei dixit Isaias : « Filios genui et enutrivi, ipsi autem spreverunt me[4] ; » et alius Propheta : « Ex Ægypto vocabo filium meum[5] ; » et ad Moysen Sanctus glorificatus : « Dices, *inquit*, Pha- » raoni : Dimitte filium meum, ut colat me[6]. » Et iterum : « Filius meus primogenitus Israël[7]. »

III. Verum enim gentes sunt quæ audiverunt Deum, et claudicaverunt, et impeditæ sunt a semitis suis. Et Isaias quidem ait : « Vocabis nationes, quas nesciebam; et populi » nescientes ad te conversi voluntatem tuam facient[8]. » Et iterum ait: « Audiverunt gentes quidquid ego feci ; et noverunt » remoti virtutem fortitudinis meæ[9]. » Et de Ecclesia populi gentium ait David : « Recordare populi tui, quem possedisti » ab initio[10]. » Et iterum : « Benedicite Domino omnes populi, » et laudate nationes nomen ejus; quoniam invaluit miseri- » cordia ejus super nos. » Et rursus : « Domini est regnum, » et ipse dominatur super populos[11]. » Et Joel : « In diebus, » *inquit*, novissimis mittam spiritum super omnem carnem : » et nemo docebit civem suum et fratrem , dicens, Agnosce

[1] Isai. XLIX, 6. — [2] Ibidem, 60. — [3] Psal. XVII, 45, 46. — [4] Isai. I, 2. — [5] Ose. II. — [6] Exod. VIII, 1. — [7] Idem, IV, 22. — [8] Isai. LV, 5. — [9] Ibid. 12. — [10] Psal. LXXIII, 2. — [11] Psal. XXI, 29.

» Dominum; quoniam omnes agnoscent me, a magnis usque » ad parvos[1].» De filiis autem Israël : «Mittam, *ait*, famem » in terram, non esuriem panis neque sitim aquæ, sed au- » diendi sermones Domini. Et ibunt ab occasu usque ad » orientem, et a meridie usque ad septemtrionem, quærere » sermonem Domini, et non invenient; quoniam elongatus » est ab eis. Cum acciderint tibi multa mala in fine dierum » temporum, dices afflicta et misera voce : Quia non est » Deus inter nationes meas, acciderunt mihi mala hæc[2].» Sicut et dixerunt in diebus Ezechielis : « Reliquit, et des- » pectam fecit Dominus terram nostram. Nec amplius in- » tuens videt nos Dominus[3]. » Et Isaias dixit de eis : « Debita malorum vestrorum separaverunt a vobis Deum » vestrum et iniquitate vestra prohibita sunt a vobis bo- » na[4]. » Et per os Zachariæ ait Dominus : « Vociferantes, » clamabitis ad aures meas voce magna, et non exaudiam » vos[5]. » Sed de populo gentium inquit David : « Plaudite » manibus, omnes gentes; clamate ad Deum in voce exul- » tationis[6]. » Et iterum : « Audite hæc omnes gentes, et au- » ribus percipite habitatores terræ, terrigenæ, et filii ho- » minum. »

IV. Quin etiam ante gentium conversionem quisquis ex gentibus simul ac Deo placuit, non minus ampliorem, quam Israël justificationem assecutus est. Jethro sacerdos fuit ex gentibus, et semen ejus benedictum et confortatum et corroboratum est in habitatione sua, et in cavernis petrosis posuit nidum suum. Et Gabaonitæ erant ex pollutis gentibus; dedit tamen eis Josuë dexteram pacis, et ingressi sunt et consederunt in hæreditate Domini[7]; et cædebant ligna, et aquas comportabant in obsequio altaris ad cultum Domini[8]. Et cum voluisset Saül interficere eos, prohibitum

[1] Joël. II, 28. — [2] Amos, VIII, 11. — [3] Ezech. VIII, 12. — [4] Isai. LIX, 2. — [5] Zach. VII, 13. — [6] Psal. XLVI, 2. — [7] Jos. IX, 15. — [8] Ibid. 21.

est cœlum a rore et pluvia, donec propter id mortui sunt filii Saül; et deinde placatus respexit Dominus terram cum misericordia, et benedixit hæreditati suæ[1]. Et Rahab, meretrix ex Jericho, cum domo paterna et cum familiaribus habuit hæreditatem in Israël[2]. Et Obededom, ex oppido Geth alienigena, recepit in domo sua arcam Testamenti Domini[3]; et magnifice et honorifice glorificata est apud eum plusquam apud omnem Israël, et benedictus fuit ipse et domus ejus a Domino[4]. Achis rex Gethæus, cibavit David tempore persecutionis, et glorificatum est nomen ejus et seminis ejus. Et Abdemelech Chusæus, vir fidelis et credens, extraxit Jeremiam a lacu in quem projecerunt eum filii Israël et pueri populi sui[5]. Hoc illud est quod ait Moyses : « Advena et peregri» nus qui sit in te, erit melior et superior te : et depressus » deprecatus descendes, humiliatus, in incurvationem in» curvatus[6]. » Illi demiserunt et projecerunt Jeremiam in lacum, et Abdemelech advena et peregrinus ex Chusæis a lutoso et profundo lacu extraxit illum. Et Ruth, mulier Moabitis, ingressa et immixta est populo[7]: ex semine ejus orti sunt reges, ductores ac rectores populi a quibus natus est Salvator gentium[8]. Et Uria Hethæus, ex polluto populo, magnus et strenuus erat inter eximios et optimos pugnatores David[9] : et quia dolo occidit eum David in pugna Ammonitarum, in illum sententia lata est, eaque pœna punitus, ut gladius cædis in domo ejus non deficeret[10].

V. Illud etiam dixit Isaias de Salvatore nostro : « Dedi te » in fœdus populi, et in lucem gentium[11]. » Profecto cum advenit lux et Salvator gentium, impeditus est Israël ne amplius adoraret idola et simulacra, et impletum est pactum fœderis cum eis initi a Deo. Propterea dixit Moyses :

[1] 2 Reg. xxi, 1 et seqq. — [2] Jos. vi, 25. — [3] 2 Reg. x, 11. — [4] 1 Reg. xxvii. — [5] Jerem. xxxviii, 7. — [6] Deut. xxviii, 43. — [7] Ruth. i, 4; iv, 13, 14 et seqq. — [8] Matth. i, 5. — [9] 2 Reg. xi, 3. — [10] Id. xii, 10. — [11] Is. xlii, 6.

« Provocabo vos in nationibus ignobilibus, et in gente stulta » irritabo vos [1]. » Provocati quidem a nobis, et ex nobis, non amplius adorant idola extraneorum, ne vituperentur, et despiciantur, et spernantur a nobis. Nam nos reliquimus idola et simulacra, et nominavimus ea mendacia quæ reliquerunt nobis patres nostri. Illi autem fracti corde irritati sunt in provocationem æmulationis; quia intravimus, et facti sumus hæredes pro eis. At impletum est pactum fœderis quod cum eis factum est, hoc est, ne adorent idola extraneorum. Et quamvis non receperint Christum, tamen per nos provocavit eos, et ipse factus est nobis lux et vita; sicut prædicavit in Evangelio suo, dicens : « Ego sum lux » mundi [2]. » Et iterum : « Credite, dum vobiscum est lux, » ne comprehendant vos tenebræ [3]. » Et rursus ait : « Ambulate in luce, ut filii lucis sitis [4]. » Et iterum scriptum est de eo : « Lux in tenebris lucebat, et tenebræ eam non com» prehendebant. » Hoc est fœdus quod initum est cum populo gentium, et lux quæ orta est omnibus gentibus; hæc impedivit et eos fecit discedere a perversis semitis suis. Sicut et scriptum est : « In adventu ejus erunt prava in di» recta, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria ejus, » et videbit omnis locus vitam et bona Dei [5]. »

VI. Hæc pauca commemoravi tibi pro gentibus. Nam gloriantes superbiunt Judæi, dicentes : « Nos sumus populus » Dei, et filii Abrahæ. » Sed nos audiamus Joannem clamantem : « Nolite superbire, dicentes : Pater noster est » Abraham : quoniam potens est Deus de lapidibus istis » suscitare filios Abrahæ [6]. » Et Salvator noster vocavit eos filios Caïn, et non filios Abrahæ; et Apostolus dixit : « Rami » infructuosi et luctiferi fracti sunt [7]. » Et nos in locum eorum inserti sumus; et facti sumus socii et participes pin-

[1] Deut. XXXII, 21. — [2] Joan. VIII. — [3] Idem, XII, 35. — [4] Ibid. 36. — [5] Luc. III, 5. — [6] Joan. VIII, 33, 39. Matth. III, 9. — [7] Rom. XI, 17.

guedinis olivæ. Ergo non gloriemur, neque peccemus, ne et nos infructuosi et fracti inveniamur; ecce enim insertione inserti sumus. Hæc autem sunt quæ responderi possunt contra Judæos, cum gloriantur dicentes : « Filii sumus » Abrahæ, et sumus populus Dei. »

---

# SERMO DECIMUS SEXTUS.

## DEMONSTRATUR QUOD CHRISTUS SIT FILIUS DEI.

I. Exponam tibi quæ responderi possunt adversus Judæos, qui populum gentium redarguentes : « Adoratis, *in-» quiunt,* et colitis virum natum, et hominem crucifixum; » et vocatis hominem Deum. Et cum nemo sit filius Dei, » dicitis quod Jesus iste crucifixus sit Filius Dei. » Hæc autem suadere etiam contendunt, dicentes : « Dixit Deus : » Ego sum Deus, et non est alius præter me[1]. » Et iterum ait : « Non adorabis tu deum alienum[2]. » Ergo, concludunt, contra Deum statis vos vocantes hominem Deum.

II. Propterea, charissime, quoad imbecillitas mea permiserit, argumenta et rationes, quibus id quod asserimus demonstrari potest, adducam. Nam, etsi concedamus eis quod Christus homo duntaxat sit, nihilominus nos haud alio honore eum colimus, nec alio nomine nuncupamus, quam quod ipsi ad hominem honorandum adhibuissent, et quo nomine vocassent et coluissent. At enim nobis pro vero compertum est, certoque persuasum, quod Dominus noster Jesus est Deus, et Filius Dei, et Filius Regis, Lu-

[1] Deut. xxxii, 39. — [2] Exod. xxxiv.

men de lumine, Filius, et Consiliarius, Dux, Via, et Salvator, et Pastor, Collector, Ostium, Margarita, et Lucerna, multisque aliis nominibus nuncupatus. Sed hæc missa faciamus, et ex iis quæ inter nos conveniunt disseramus, et afferamus rationes et argumenta cur ille dicendus sit Filius Dei et Deus : quoniam ex Deo venit.

III. Profecto gloriosum Dei nomen impositum fuit hominibus justis, et digni habiti sunt ut dii nominarentur. In quibus enim hominibus complacuit sibi Deus, illos filios et amicos suos hoc nomine vocavit. Cum elegisset Moysen fidelem et dilectum, et constituisset eum caput et Doctorem et sacerdotem populi sui, vocavit eum Deum ; nam dixit ei : « Ecce constitui te deum Pharaonis[1]. » Et interpretem dedit ei sacerdotem suum, dicens : « Aaron » frater tuus loquetur tecum cum Pharaone, et tu eris ei » deus, et ille erit tibi interpres[2]. » Et non solum Pharaonis, quia malus erat, constituit eum deum, sed etiam Aaronis sancti sacerdotis fecit Moysen deum. Nunc autem de altero agamus, nempe quod Christum Filium Dei vocavimus. Qua de re dicunt : Cum nemo sit filius Dei, vos dicitis Jesum hunc crucifixum, Filium Dei primogenitum. At vero etiam Israëlem filium primogenitum vocavit Deus, dicens Pharaoni per Moysen : « Filius meus primogenitus » Israël ; dixi tibi : Dimitte filium meum primogenitum, ut » colat me. Nisi volueris dimittere, ecce hinc adversus te » occidam filium tuum primogenitum[3]. » Et per Prophetam contestatus est hac de re, et exprobravit eis, cum ait ad populum : « Ex Ægypto vocabo Filium meum[4]. » Et quoniam, postquam vocavit eos, deinde recesserunt ab eo, et adoraverunt Baal et sculptilia, et incensum obtulerunt Idolis alienigenarum ; ideo per Isaiam ait de illis : « Filios » genui, et enutrivi : ipsi autem spreverunt me[5]. » Et alibi

[1] Exod. VII, 1. — [2] Id. IV, 16. — [3] Ib. 22, 23. — [4] Ose. XI, 1. — [5] Is. I, 2.

de ipsis scriptum est : « Filii estis vos Domini Dei vestri[1]. » Et de Salomone dixit Dominus : « Et ipse mihi filius, et » ego ero ei pater[2]. » Itaque vocavimus Christum hunc Dei Filium, quia per eum nos Deum cognovimus : sicut Deus vocavit Israël filium primogenitum; et sicut dixit de Salomone : « Erit filius meus. » Vocavitque eum Deum, quemadmodum Moysen nomine dei et filii sui donavit. Et David inquit de illis : « Ego dicebam, quod estis Angeli, » vel filii Excelsi omnes[3]. » Et cum improbi facti fuissent, postea de illis : « Sicut homines, *inquit,* morimini, et si» cut unus de principibus caditis[4]. » Porro nomen Deitatis in magno honore habitum est; sed cui voluit Deus, tribuit illud. Nomina autem Dei multa sunt et honorifica : ita enuntiavit nomen suum Moysi, dicens : « Ego sum Deus » patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus » Jacob. Hoc est, *ait,* nomen meum in æternum. Et hoc » est memoriale ex generatione in generationes[5]. » Vocavit quoque nomen suum : « Ahiah, Saharah, Elisade, et Ado» nia, Zauth. » His nominibus vocatus est Deus : et cum esset magnum et gloriosum nomen Deitatis, tamen justos illos servos suos illo donavit. Et cum ipse sit Rex magnus, et nomen Dei et Regis magnum et gloriosum sit; tamen sine invidia dedit illa filiis hominum, creaturis suis.

IV. Etenim Nabuchodonosor hominem impium ex ore Prophetæ sui vocavit regem regum, dicens per Jeremiam : « Omnis gens et regnum quod non curvaverit collum » suum sub jugo Nabuchodonosor servi mei regis regum, » gladius et fames et pestis veniet super illos[6]. » Et cum ipse sit Rex magnus, non prohibuit nomen regis a filiis hominum. « Et cum ex eo omnis paternitas sit[7], » tamen patres vocavit filios hominum, dicens ad populum : « Pro

[1] Deut. XIV, 1. — [2] 2 Reg. VII, 14. 1 Par. XXII, 10. — [3] Psalm. LXXXI, 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Exod. III, 15. — [6] Jerem. XXVII, 8. — [7] Ephes. III, 15.

» patribus tuis erunt filii tui[1]. » Et cum ejus essent principatus et potestates, dedit principatum etiam filiis hominum, unicuique super proximum suum. Et cum ei soli deberetur adoratio dominatus, concessit ut ea ad honorem uteretur unusquisque hic in mundo erga proximum. Quamvis enim homo adoret iniquos et impios, et illos qui abnegaverunt ipsam ejus gratiam; tamen non improbatur a Deo, etsi de adoratione præceperit populo suo dicens : « Non adorabitis solem et lunam, neque omnem militiam » cœli, neque omnes creaturas quæ sint super terram, in- » clinantes vos cum voluntate eas adorandi[2]. » Observa igitur redundantem misericordiam, et gratiam beneficæ miserisordiæ Conditoris nostri; quia non prohibuit a filiis hominum nomina Deitatis, et nomen adorationis, regni, principatus et potestatis. Etenim ille ipse est Pater totius mundi, et præ omnibus creaturis suis honorificavit, ornavit, exaltavit et glorificavit filios hominum : nam formavit hominem sanctis suis manibus, et inspiravit in eum spiraculum vitæ; et ab initio ipse factus est nobis domus, et refugium habitationis, et habitavit in nobis, et requievit in nobis. Nam per Prophetam ait : « Habitabo in vo- » bis, et requiescam in vobis[3]. » Et Jeremias propheta inquit : « Templum vos Dei estis, si bene et ad placitum » feceritis opera et vias vestras[4]. » Et David ait : « Do- » mine, refugium factus es nobis a generatione in genera- » tionem. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra » et orbis, a sæculo usque in sæculum tu es Deus[5]. » Sed quomodo hæc intelligenda sunt? nam unus Propheta ait : « Domine, refugium factus es nobis a generatione in gene- » rationem; » et alter ait : « Habitabo in vobis, et requies- » cam in vobis. » Primum et ante omnia ipse factus est no-

[1] Psal. XLIV, 17. — [2] Deut. IV, 19. — [3] Zach. II, 10, 11. — [4] Jer. VII, 4, 5. — [5] Psal. LXXXIX, 1.

bis refugium habitationis; deinde habitavit in nobis, et requievit in nobis. Et sapientibus ambo intellectu facilia sunt, et vera esse agnoscuntur. Etenim David ait : « Domine, refugium factus es nobis a generatione in generationem. Priusquam montes fierent, et formares terram et orbem. »

V. Nam hoc utique scis, charissime, quod creaturæ superiores et inferiores prius formatæ sunt, et deinde post eas omnes homo. Cum enim cogitasset Deus condere mundum hunc cum omni ornatu et pulchritudine sua, primo concepit et depinxit quodammodo in cogitatione sua Adamum, et deinde concepit creaturas; sicut scriptum est : « Priusquam conciperentur montes, et terra pareret [1] » partus generationis ad seminandum et crescendum. Nam homo est senior et prior conceptione quam creaturæ, sed creaturæ productione præcedunt Adamum. Conceptus est Adam, et conceptus manebat in cogitatione Dei; et dum conceptus homo retinebatur in cogitatione illa, Deus verbo oris simul in communi creaturas omnes formavit : et cum perfecisset, complevisset et ornasset mundum hunc in structura ornatuum suorum, et nihil esset incompletum, tunc genuit Adamum ex idea illa quam cogitatione conceperat, et creavit et formavit hominem manibus suis. Et Adam vidit mundum hunc extructum, et ornatum, et constitutus est princeps super omnia quæ Deus fecerat. Nam quemadmodum homo habens filium unicum, et volens ei nuptias parare, spondet ei mulierem, et deinde ædificat ei cubiculum, omnique ornatu parat et instruit, omniaque filio suo necessaria præparat, et deinde celebrat nuptias et constituit filium super omnia opera sua : ita fecit Deus cum Adamo. Propterea dixit Propheta : « Priusquam conciperentur montes, a sæculo et usque in sæculum tu es Dominus [2]; » ne quis cogitaret et opinaretur quod esset

[1] Psal. LXXXIX, 1. — [2] Ibid. 2.

alius extraneus Deus, vel antea, vel postea, sicuti et ait per Isaiam : « Ego sum primus, et ego sum novissimus[1]. » Nam posteaquam concepisset Deus Adamum in cogitatione sua, creavit eum, et inspiravit in eum spiraculum vitæ, et deinde dedit ei scientiam perspicacis discretionis, ut discerneret inter malum et bonum, et ut sciret Deum fecisse ipsum. Et quia apud Factorem suum longe nobilior erat homo omnibus aliis creaturis, depictus et efformatus est Deus in mente, et cogitatione hominis; et factus est ille templum Conditoris sui, sicut et scriptum est : « Templum estis vos » Dei[2]. » Et Deus ipse ait : « Habitabo in eis et requies- » cam[3]. » At in mente illorum filiorum Adæ, qui nesciunt factorem suum, Deus non habitat, neque in cogitatione eorum depingitur, neque concipitur; sed tanquam bruta reputati sunt coram eo, et tanquam cæteræ creaturæ. Jam ex his intelligant et fateantur homines deceptæ mentis, quod neque insolens, neque extraneum et alienum est, quod vocaverimus nos Christum Filium Dei, quoniam ecce omnes filios hominum ipse concepit et genuit in cogitatione sua. Et tandem admoniti cedant ordini quem Deus constituit, qui cum Deitatis nomen haberet, nomen Dei etiam justis suis impertivit.

III. Adoramus autem Christum, quoniam per eum cognovimus Deum. Confusi igitur, et demisso in terram vultu, humilientur; quoniam pollutis et impiis hominibus hujus mundi incurvantur, et eos adorant et magnifice et honorifice glorificant. Attamen ob hujusmodi adorationes nemo eorum contemptus, aut reprehensus est, quia Deus concessit filiis Adæ ut hujusmodi adorationis honore colerent et honorarent magnates, et eos qui sunt alii majores et præstantiores. Quare si adorant impios, et adorationis cultu eos honorant qui ob impietatem suam nonnunquam nomina-

[1] Isai. XLI, 4. — [2] Zach. II. — [3] Jer. VII, 3.

tim Deum blasphemant, et Deum tanquam factorem suum non venerantur; et tamen ut ipsi opinantur, et judicant, nullum sibi adorationis honore eos colentibus peccatum et delictum est : quanto magis oportet et convenit ut nos adoremus et glorificemus Jesum, qui deceptas mentes nostras convertit ex omni adoratione inanis erroris, et ostendit nobis unum Deum Patrem, et factorem nostrum et rerum omnium ! Colamus ergo eum, et benedicamus, adoremus, et serviamus ei. Illud etiam iterum intelligant, quod reges hujus mundi vocant seipsos deos, nomine Dei magni; et licet apostatæ et blasphemi sint, prosternunt se homines ante eos, et adorant, et colunt ipsos, et honore magno non secus ac idola et sculptilia prosequuntur; et tamen nec puniunt eos leges nec reprehendunt, neque aliqua culpa et peccatum ipsis ascribitur. Exemplum præbet Daniel, qui adoravit apostatam et blasphemum Nabuchodonosorem, et non est reprehensus. Adoravit et Joseph Pharaonem, et non est scriptum quod male fecerit, vel aliquod peccatum ei attributum fuerit. At nos vere credidimus quod Jesus sit Deus et Filius Dei; et per eum nos Patrem ejus cognovimus, et ab omni adoratione idolorum nos cohibuit et revocavit. Profecto nos nihil habemus quod ejus amplitudini et majestati conveniat. Quo igitur alio poterimus compensare id quod ei debemus ob passiones quas propter nos tulit, nisi adoratione reddamus ei gloriam et honorem pro afflictionibus angustiæ quas tulit propter nos ?

VII. Præterea possumus nos, imo conveniens est illud insuper ostendere, quod jam olim, cum Jesus promissus est, vocatus est per Prohetas Filius Dei. David ait : « Filius » meus es tu, et ego hodie genui te[1]. » Et Isaias inquit : « Parvulus natus est nobis, et factus est principatus ejus » super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus Admirabi-

[1] Psal. II, 7.

» lis, et Dux, et Deus fortis mundi, et Princeps pacis, ad multiplicandum, dilatandum principatum ejus; et pacis ejus » non mensura neque numerus [1]. » Veni ergo, et dic mihi tu, o sapiens doctor Israël : quisnam est ille qui nasciturus erat, cujus nomen Genitus, et Filius, Admirabilis, et Dux, Deus fortis sæculorum, Princeps pacis, ad multiplicandum, extendendum principatum ejus, et pacis ejus non est finis et numerus? Itaque si vocavimus Christum Filium Dei, David id nos docuit, qui jampridem vocavit eum Dei Filium. Audivimus quoque Isaiam prophetam, dicentem quoniam data est potestas ei super humerum ejus : et quidem accepit ille crucem suam, et egressus est de Jerusalem. Quod autem parvulus nasci deberet, idem Isaias dixit : « Ecce » virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus » Emmanuël. Nam est Deus noster nobiscum [2]. »

VIII. Quod si dicas quod adhuc non venit Christus, adversus ea quæ oblocutus es, respondebo tibi : Certe quod veniat scriptum est : et scriptum est quod in adventu ejus gentes sperabunt, et credent in eum [3]. Ecce ego ex gentibus audivi quod venturus sit Christus, et priusquam veniret anticipavi, et credidi in eum, et per eum adoro Deum Israël. Forsan cum veniet objurgabit me propter hoc, quia antequam venisset anticipavi et credidi in eum? Verum enim, stulte et ignorans, Prophetæ utique non sinunt te hoc dicere, quod adhuc non venit Christus. Daniel redarguit te sermone illo suo, in quo dicit : « Post hebdomadas » sexaginta duas veniet Christus, et morietur. Et in adventu » ejus destruetur civitas sanctuarii, et finis dierum ejus in » cæde et devastatione : » et ait : « Usque ad consummatio» nem abbreviationum sedebit super desolationem [4]. » Tu autem speras et expectas quod in adventu illo suo Israëlem ex omnibus regionibus terrarum orbis congregabit, et quod

[1] Isai. IX, 6. — [2] Idem, VII, 14. — [3] Agg. II, 8. — [4] Dan. IX, 25.

Jerusalem sedens super desolatione rursus ædificabitur cum plateis suis. Et Daniel testatus est quod, cum venerit Christus et mortuus fuerit, Jerusalem destruetur, et quiescet, et permanebit desolatio usque ad consummationem sæculi abbreviationum. De passione autem Christi inquit David : « Foderunt manus meas et pedes meos, et cognoverunt » omnia ossa mea. Ipsi inspexerunt et viderunt me, divise- » runt vestimenta mea inter se, et super vestem meam mise- » runt sortem [1]. » Et Isaias ait : « Ecce apparens manifesta- » tur servus meus, et exaltatus elevatur et glorificatur valde, » ita ut admirarentur multi super eum. Alia est species » ejus quam viri, et pulchritudo staturæ ejus, quam filio- » rum hominum [2]. » Et deinde ait : « Sanctificabit genera- » tiones multas, et reges stupefacti admirabuntur eum [3]. » Et iterum eodem loco : « Ludit, *inquit,* et egreditur, tan- » quam puer ante faciem, et tanquam radix in sitibunda » terra [4]. » Et prope finem sermonis sui : « Ille moritur » pro peccatis nostris, et patitur propter iniquitatem nos- » tram. Disciplina reprehensionis nostræ perficitur super » eum : et in cicatricibus vulnerum ejus sanabimur [5]. » At quibus vulneribus sanati sunt filii hominum? David non est occisus : nam in senectute cum pace mortuus est, et sepultus est in Bethlehem. Si autem de Saül dicta sunt : ille in montibus Gelboë occubuit in certamine cum alienigenis. Si dicant quod foderunt manus et pedes ejus, quando corpus ejus suspenderunt super muros Bethsan [6] ; certe prædictio tum impleta non est super Saül : nam quando foderunt membra ejus, ossa ejus non senserunt cruciatus corporis sui, quia erat mortuus. At vero inquit David : « Fo- » derunt manus meas et pedes meos, et cognoverunt om- » nia ossa mea [7]. » Prosequens inde sermonem ait : « Deus,

[1] Psal. XXI, 17. — [2] Isai. LII, 13. — [3] Ibid. 15. — [4] Id. LIII, 2. — [5] Ibid. 5. — [6] 2 Reg. XXI, 12. 1 Reg. XXXI, 9, 10, 12. — [7] Psal. XXI, 17.

» ad adjuvandum me inspice, et eripe a gladio animam » meam. » Et Christus quidem ereptus est a gladio, et egressus est ab inferis; stetit, et surrexit tertia die; et respexit Deus ad juvandum eum. Saül autem clamavit ad Dominum, et non exaudivit eum : et interrogavit per Prophetas, et non respondit [1] : lapsus est in errorem gentium, et interrogavit Pythonem [2] : cecidit, et superatus est ab alienigenis, et occidit seipsum acie gladii sui [3]. Et iterum ait David in eo sermone : « Narrabo nomen tuum fratribus » meis : in medio ecclesiæ laudabo te [4]. » At super Saül quomodo impleri potuerunt hæc omnia ? Et iterum inquit David : « Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem [5]. » Verum enim hæc omnia impleta sunt super Christum, quando venit ad illos, et non receperunt eum, sed condemnaverunt inique per falsos testes, suspendentes super lignum corpus ejus; nam injectis in eum manibus, clavis confodientes manus et pedes ejus in cruce confixerunt, et omnia ossa ejus cognoverunt. Et in die illa factum est magnum miraculum, quia obscurata est lux in meridie, juxta prophetiam Zachariæ dicentis : « Dies illa nota erit Domi- » no, non dies neque nox : et in tempore vesperi erit lux [6]. » Quæ dies est illa quæ per miraculum in tenebras atque in lucem divisa est? nam « non dies neque nox, et in tempore » vesperi facta est lux : » utique non est, nisi dies illa crucifixionis. Quippe tenebræ factæ sunt in meridie, et tempore vesperi facta est lux [7]. Et iterum ait : « Dies illa erit » frigida et amara [8]. » Nam, quemadmodum tu ipse profecto non ignoras quod frigus erat in die illa, et accenderunt ignem, et calefaciebant se; et Simon Petrus venit, et apud eos stetit [9] : similiter scriptum est : « Gladius surget super

[1] 1 Reg. XXVIII, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Idem, XXXI, 4. — [4] Psal. XXI, 23.— [5] Psal. XV, 10. — [6] Zach. XIV, 6, 7. — [7] Matth. XXVII, 45. — [8] Amos, VIII, 9, 10. Zachar. XIV, 6. — [9] Matth. XXVI, 57. Marc. XIV, 53. Luc. XXII, 54. Joan. XVIII, 18.

» pastorem, et super virum amicum meum : et percutient » pastorem, et dispergentur agni gregis ejus : et convertam » manum meam super pastores [1]. » Illud etiam David de passione ejus : « Dederunt, *inquit*, mihi in escam fel, et in » siti mea potaverunt me aceto [2]. » Et in eodem sermone : « Quem tu, *ait*, percussisti persecuti sunt, et super dolo- » res meos addiderunt [3]. » Siquidem multa Judæi addiderunt quæ non erant de eo scripta, maledictiones et convicia; quæ neque Scripturæ potuerunt manifestare, quia sordida et infanda erant convicia. At Deus voluit humilitatem passionis ejus, et ille mortuus est propter peccata nostra, et passus est propter iniquitates nostras. Posita sunt peccata nostra in ipso : itaque has commiserationes suas nos adoramus, et flectimus genua ante faciem majestatis Patris ejus, quia per eum victoria relata illuc conversa est adoratio nostra. Vocatus est autem Deus, tanquam Moyses; Primogenitus et Filius, tanquam Israël; et Jesus, tanquam Josuë filius Nave; et Sacerdos, tanquam Aaron; et Rex tanquam David; et Propheta magnus, sicut et omnes prophetæ; et Pastor, tanquam omnes pastores qui gregem paverunt et duxerunt. Et nos vocavit filios, dicens : « Filii » alienigenarum exaudient me [4]. » Et fecit nos fratres suos, secundum Prophetam : « Narrabo nomen tuum fratribus » meis [5]. » Et facti sumus amici ejus, sicut et dixit Discipulis suis : « Vocavi vos amicos meos [6]; quemadmodum Pater ejus vocavit Abraham amicum suum. Et locutus est ad nos dicens : « Ego sum Pastor bonus, ostium, via, vinea, se- » men, sponsus, nutrix, educatrix, lucerna, lux, Deus vivi- » ficans, et Salvator [7]; » et multis hisce nominibus nuncupatus est. Scripsi ad te brevem hunc sermonem, charissime, ut habeas quid respondeas contra Judæos, qui dicunt

[1] Zach. XIII, 7. — [2] Psal. LXVIII, 22. — [3] Ibid. 27. — [4] Psalm. LIX, 10; CVII, 20. — [5] Psalm. XXI, 23. — [6] Joan. XV, 15. — [7] Id. X, 9, 12.

quod Jesus non sit Filius Dei, et quod male cum nos vocaverimus Deum, Filium Dei, Regem, et Primogenitum omnium creaturarum.

---

# SERMO DECIMUS SEPTIMUS.

## DE VIRGINITATE ET SANCTITATE, CONTRA JUDÆOS.

I. Opportunum est et necessarium, dilectissime, ut sermonem instituam contra Judæos de virginitatis voto, et de sanctitate in qua vivimus. Propter enim turpitudinem suam, et luxuriosam incontinentiam corporum suorum, ea offenduntur populi Judæorum, et verbis et exemplis commovent et dejiciunt mentem stultorum et ignarorum hominum, qui allecti trahuntur, et veluti captivi in assensum eorum impuritatis abducuntur. Dicunt siquidem : Quando formavit Deus Adam, benedixit ei, et ait : « Crescite, multiplicamini, generate, et replete terram[1]. » Et Noë similiter Deus benedixit, dicens : « Multiplicamini in terra, et » propagate generationem[2]. » Et benedixit Abrahæ his verbis : « Suspice cœlum, et vide, et numerans enumera stel- » las, si poteris assequi enumerando numerum earum[3] ; » et subjicit : « Sic erit semen tuum. » Et ad Israël ait : « Non » erit tibi vir luctuosus, et mulier sterilis[4]. » Et iterum addidit, inquiens : « Non erit in terra vestra infœcundus, et » carens prole[5]. » Abrahæ quidem cum benedictione dedit Isaac : et Isaac obtulit preces pro Rebecca, ut pareret : et benedixit Jacob, ut multiplicaretur semen ejus : et Anna

[1] Genes. I, 28. — [2] Idem, IX, 7. — [3] Id. XV, 5. — [4] Id. XXVI, 4, 24. — [5] Exod. XXIII, 26.

devota cum lacrymis petiit Samuëlem, et eum concepit; et quæ erat sterilis, per generationem ei multiplicata est proles : et omnes justi generationem prolis cum benedictione susceperunt. Vos vero, inquiunt, quod non est jussum a Deo facitis, et cum sterilitatem colatis, excludentes et impedientes generationes et benedictiones justorum, recipitis maledictionem. Nec enim vos viri ducitis uxores, nec vos mulieres nubitis, et odistis generationem in benedictione, quæ data est a Deo. De hujusmodi eorum sermonibus, charissime, quantum in me est, te docebo.

II. Primum quidem Adæ benedixit Deus, et ait : « Crescite, et multiplicamini in terra. » Ideo autem benedixit, ut repleretur hominibus mundus; ex generationibus enim ejus formandi erant omnes : at cum multiplicati essent, ita corrupti sunt per impietatem, et peccatis iniquitatum suarum voluntatem Conditoris sui eo adduxerunt, ut eos fecisse ipsum pœniteret; ideo terribili judicio delevit eos per diluvium. Dic jam mihi, Israëlita adversarie, quam utilitatem habuit benedictio Adæ? Corruperunt filii ejus vias suas, et deleti sunt per diluvium; et in ipsis germinantis naturæ initiis conjugia fœdaverunt, et contaminati sunt, et extincta est benedictio in iniquitatibus peccatorum. E diverso Noë cum esset parvo numero, nec ejus proles aucta et multiplicata fuisset, ædificavit altare, et accepit miserationes Sancti; et exigua paucitate sua fuit melior universo sæculo corrupto, et ex eo formatus est secundus mundus : nam iterum benedictus est, ut cresceret et multiplicaretur, ita ut repleret mundum, et propagarentur filii Adæ. Postquam autem multiplicati, corroborati et per generationem propagati fuissent, obliti sunt Dei; et adoraverunt sculptilia omnes generationes et linguæ quæ fuerunt ex semine Noë; et contempserunt Deum, et tanquam guttam aquæ, et veluti nullius momenti ac pretii reputaverunt. Solum

autem semina justorum non perierunt, et convaluerunt coram Deo. Itaque quam utilitatem habuit benedictio per decem sæcula ante diluvium? vel cui utilitati fuit Sodomitis? quoniam deleti sunt, et vita eorum interempta est igne et sulphure. Et extincta est benedictio in peccatis iniquorum. Quod bonum et quam utilitatem reportavit benedictio sexcentorum millium qui egressi sunt de Ægypto? etenim perierunt in deserto, quia provocaverunt Sanctum excelsum. Et quod lucrum et quæ utilitas ex benedictione fuit generationibus pollutarum gentium quas Josuë interfecit? benedictio utique versa est in maledictionem. Quam utilitatem attulit Israël benedictio, cum semina generationum ejus tanquam stellæ multiplicata sunt? nam gladius cædis et furor bellorum sæpe contrivit eos.

III. Etenim Deo unus justus magis acceptus est, et coram eo plus valet, quam decem centena millia millium impiorum et iniquorum præ quibus Noë electus est; et melior æstimatus est coram Deo, quam decem corruptissima sæcula quæ fuerunt ante eum. Et Abraham habitus est coram Deo melior et præstantior decem sæculorum hominibus qui eum præcesserunt; et qui ex eo nati sunt, Isaac et Jacob, filii donationis, meliores et præstantiores æstimati sunt coram Deo omnibus Amorrhæis, inter quos habitaverunt. Et Joseph coram Deo melior et præstantior habitus est universo populo Pharaonis. Et Moyses, magnus propheta Israël, melior et præstantior reputatus est coram Deo sexcentis millibus quos eduxit de Ægypto, qui pervicaci inobedientia sua irritaverunt Dei voluntatem, et in terram donorum ingredi nequiverunt.

IV. At de virginitate et sanctitate insuper illud tibi demonstrabo, in numeroso illo populo eam majori in pretio ac honore habitam fuisse coram Deo, plusquam multiplices eorum generationes qui inutiles fuerunt. Nam Moyses ma-

gnus propheta, dux totius Israël, ex quo locutus est Dominus cum eo, dilexit sanctitatem, et coluit sanctum, et repudiavit consortium vitæ hujus mundi et generationis ejus, et cælibem vitam duxit, et mansit solus, ut placeret Domino suo. Nihil apponas, sapiens doctor populi, sed attende mecum, et videamus utrum ab eo tempore quo locutus est Deus cum Moyse, obiyerit ille opera conjugii. Quod si perfricta fronte affirmaveris, ego sane non cedam obstinatæ voluntati turbidæ perversionis tuæ; quia ecce tu vis esse pollutum Prophetam sanctum propter lascivam turpitudinem tuam. Profecto si exercuisset ille opera conjugii, non potuisset stare in ministerio cultus supremæ majestatis magni Domini : siculi sane non potuit Israël suscipere sancta mandata, et audire verba vivifica quæ loquebatur Sanctus cum Moyse in monte, priusquam Moyses sanctificaret populum tribus diebus; et deinde Sanctus cum eis loqui dignatus est. Quippe dixit Moysi : « Descende » ad populum istum, et sanctifica eos tribus diebus[1]. » Et descendit, et dixit eis Moyses : « Cavete ne accedat vir ad » uxorem suam[2]. » Et cum sanctificati essent, postmodum tertia die apparuit Sanctus in terrore majestatis, et in gloria magnitudinis, et in sono vehementiæ, resonantibus subitis fragoribus, horribilemque vocem emittentibus tonitruis, et crebro celeriter discurrentibus ardentibus fulminibus, et ignitis scintillantibus fulgurationibus : moti sunt montes; steterunt et se continuerunt in loco suo sol et luna, singuli a gressibus suis. Ascendit Moyses in montem Sinaï; progrediens ingressus est in nubem turbine mixtam, et recepit Legem præceptorum. Vidit Moyses spiritum magnificentiæ, et decorem pulchritudinis : trepidavit, et terrefactus est, et contremuit; nam vidit sanctitatem mysteriorum Excelsi, qui descendens et subsistens stetit supra montem.

[1] Exod. XIX, 10. — [2] Ibid. 15.

cum virtute et majestate magna : ipse autem stupore correptus est coram honorifica sede Dei excelsi. Ministrabant ei decem centena millia Angelorum, et mille chori atque exercitus vigilum velabant faciem suam ante lucidissimum ac terribilem aspectum ejus, et currebant volantes velocissimis alis, et clamantes dicebant : Sanctus ! Sanctus ! et glorificabant Majestatem. Prompti erant et parati, celeres ac veloces in cursibus suis : pulchri, gloriosi et decori, lucidi, speciosi et amabiles currebant, dicentes : Sanctus! et glorificabant, et implebant jussa Majestatis ejus. Ascendebant, et descendebant per aëreas regiones, tanquam fulgura celera et velocia aspectum fugientia. Moyses loquebatur, et Deus vocem ejus audiebat. Stabat die illa Israël correptus timore, ac tremore perculsus : perterriti ac pavore concussi omnes ruebant in faciem suam, nec poterant perferre terribilem metum Excelsi Dominatoris Domini. Cœperunt autem dicere ad Moysen : « Vultu pleno gloriæ suæ » non loquatur nobiscum Deus, ne interempti pereamus[1]. » O qui reluctaris ac repugnas his, ac difficultates in mente tua nectens moribus nostris offenderis, audi. Si una hora tantum locutus est Deus, et Israël sanctificatus per tres dies non potuit audire sermonem Dei, licet non ascenderit in montem, et non intraverit in nubem, gravi ac vehementi turbine perturbatam : Moyses vir propheta, oculus ac lumen totius populi, qui jugiter stabat coram Deo, et cum eo os ad os loquebatur ; quomodo potuisset res tantas atque hujusmodi obire, easque ad finem usque perducere et complere, si permansisset in operibus conjugii? Et si Deus, quia Israël per tres dies solum sanctificatus est, locutus est cum eo, quanto digniores erunt qui assidue omnibus diebus suis sunt sancti et vigiles, qui sunt puri et parati ut stent in conspectu Dei ! Nonne hos amplius dili-

[1] Exod. xx, 19.

get Deus, et implebit eos spiritu suo? sicut ait, dicens: « Habitabo in eis, et ibo cum eis[1]. » Et Isaias ait: « Ad » quem respiciam et habitabo, nisi ad mites et humiles, et » qui timent sermones meos[2]? »

V. Neque dubitandum est quod valde amabilis et pretiosa sit virginitas coram Deo. Præcepit Sanctus sacerdotibus filiis Aaron, qui ministrabant coram eo, ne quis eorum uxorem duceret viduam, vel dimissam, vel fornicatione pollutam; sed acciperet virginem ex populo illo, quæ non esset commixta cum alio. Profecto vides quod polluta sit vidua præ virgine. Insuper si melius est matrimonium quam virginitas et sanctitas, quare opus erat præparare Israëlem et sanctificare tribus diebus, ut deinde Deus cum eo loqueretur? vel quid necesse erat sacerdoti accipere virginem, et ad viduam et ad repudiatam non accedere? Et quare continuit seipsum Moyses, et per quadraginta annos sanctificatus est abstinendo ab uxore sua? Nam si aliter ab ipso factum esset, alios utique filios ex ea suscepisset, præter Gersam et Eliezer. Certe scio me haud opinione mea falli: utinam non esset natus Zambri! nam propter ejus fornicationem una hora de Israël viginti quatuor millia ceciderunt[3]. Utinam non esset formatus Achan in utero matris suæ, qui fuit anathema in castris Israël[4]! Et utinam stetisset et mansisset Heli in sanctimonia sine conjugio, et non genuisset Ophni et Phinees, qui contaminaverunt sacerdotium et ambulaverunt in crapula[5]! Et quæ utilitas fuit ex filiis Samuëlis, qui non observaverunt Legem Domini, et non ambulaverunt in semitis patris sui[6]? Multi quoque sunt his similes, quibus melius fuisset si nunquam nati vel geniti essent. Moyses dilexit sanctitatem, et dilectus est a Deo, qui sanctus est, et ostendit ei splendorem gloriæ

[1] Exod. XXIX, 45. — [2] Isai. LXVI, 2. — [3] Num. XXV, 9. — [4] Jos. VII, 13, 25. — [5] I Reg. II, III, IV. — [6] Id. VII, 5.

suæ. Et Josuë filius Nave amavit virginitatem, et habitavit in tentorio Tabernaculi, ubi colebatur Sanctus. Et Elias excelluit virginitate, et habitavit in deserto in montibus, et in petrarum foraminibus; et tulit eum Sanctus in regionem sanctorum, ubi non est turpitudo nec amantium incontinentia. Et Elisæus stetit, et mansit solitarius in castitate; et signa magna et mirabilia fecit Deus per eum. Et Jeremias ait : « In die Domini non concupivi[1] : » et Dominus præcepit ei, dicens : « Non ducas tibi uxorem, et non fiant » tibi filii et filiæ[2]. » At de Jeremia respondet quidem Judæus : Ideo præcepit ei Dominus ne acciperet uxorem, et ne generaret filios et filias, quia dixit Deus quod mala morte morerentur, nempe fame[3]. O quantum a vero aberras, qui hæc opinaris ! ille qui præstitit misericordiam Jeremiæ in oculis regis Babyloniorum, filios quoque ejus, si quos genuisset, poterat eripere a gladio et fame : et quidem Ezechieli fecit Dominus gratiam beneficentiæ suæ, et amovit ab eo tristitiam oculorum in plagis suis, et repente abstulit et projecit ab eo jugum detrimentosum. Sin autem secus quam ego sentis, ostende mihi tu, o doctor, quod Josuë filius Nave acceperit uxorem et genuerit filios. Idem mihi demonstra de Elia et de Elisæo ejus discipulo. Quænam eis domus vel proprium habitaculum in mundo fuit? etenim in deserto, in montibus et in speluncis habitabant, patientes angustias et persecutiones; et nulla eis uxor, sed discipuli eorum ipsis ministrabant. Animadverte autem quod cum Giezi, discipulus Elisæi, pervertisset mentem suam, et inclinasset animum suum in bona hujus terræ, et concupivisset possessiones et uxorem et filios, Elisæus eum punivit, dicens : « Cum hoc feceris, Giezi, lepra Naa- » man indueris in sempiternum. » Si quod contendis mihi ex Scripturis probaveris, accipiam et credam : si vero ex

[1] Jerem. xvi, 16. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 4.

animo ac voluntate tua falsum et inane mihi obtruseris, totum rejiciam et reprobabo. Ad quid enim falsa suasione tua sanctum et verum vis fuisse pollutum?

VI. De conjugio, quod Deus instituit, absit a nobis ut male sentiamus : nam scriptum est : « Vidit Deus omnia » quæ fecit, et erant valde bona [1]. » Verumtamen ita res comparatæ sunt, ut earum una alteram excellat. Formavit Deus cœlum et terram, et melius et excellentius est cœlum quam terra; creavit tenebras et lucem, et melior et præstantior est lux quam tenebræ; et fecit diem et noctem, et melior et præstantior est dies quam nox; et fecit solem et lunam, et lux solis splendidior est luce lunæ; et disposuit stellas cœli et locis suis aptavit, at stella una lucidior est altera in lumine suo; et fecit Adamum et Evam valde bonos, sed melior est Adam quam Eva : et constituit conjugium ad generationes mundi, et quidem valde prodest; sed virginitas melior est conjugio. Et mundus iste, quem fecit Deus, bonus est et excellens; sed postmodum, cum descendissent super terram pluviæ, germinavit spinas et tribulos.

VII. Adam in cælibi vita sua erat innocens et bonus; et cum ex eo producta est Eva, deceptus est et transgressus est præceptum. Et filii Seth boni et honesti erant in generationibus suis; cum autem fuissent commixti cum filiabus Caïn, deleti sunt per diluvium. Speciosus erat Samson in Nazaræatu et in virginitate sua; sed fornicatione sua Naza ræatum fœdavit. Decorus erat David in integritate sua; sed concupiscentia Bethsabeæ transgressus est Legem, et ex decem tria præcepta violavit : « Non concupisces; non occi- » des; non furtum facies. » Pulcher erat Ammon in virginitate sua; sed quia sororem suam vitiavit, occidit eum Absalom. Laudabilis erat Salomon in continentia sua; sed

1 Gen. I, 31.

jam senex nimia concupiscentia mulierum aversus est a Deo.

VIII. Audivimus a Lege : « Relinquet homo patrem suum » et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne » una [1]. » Profecto magna et grandis est prophetia hæc, horumque verborum, « relinquet patrem et matrem propter » uxorem, » forte et talis sententia est : cum adhuc homo non duxit uxorem, diligit et honorat Deum patrem suum, et Spiritum sanctitatis matrem suam, et non est in eo amor alienigenæ; at posteaquam duxit uxorem, relinquit patrem et matrem suam, et depravatur, et inficitur mens ejus hoc mundo implicata. Nam sensim abalienantur cor et mens et cogitationes ejus a Deo, et depravatus adhæret huic mundo : eum amat, et eum amplectitur, sicut vir diligit uxorem suam. Et ait : « Erunt duo in carne una. » Et verum est hoc; nam cum vir et mulier fiunt una caro et una mens, tum a patre et a matre illa sua separat ac dividit homo mentem et cogitationes suas. E diverso homo qui non adhuc duxit uxorem, et manet solitarius, uno spiritu unaque mente inhæret patri suo.

IX. Charissime, hæc scripsi tibi de virginitate et sanctitate. Nam audivi ego a viro Judæo, qui exprobravit cuidam ex fratribus nostris qui in clero sunt, dicens : « Vos polluti » estis, qui non ducitis uxores; nos autem sancti sumus, » quia generamus, et multiplicamur, et crescimus, et efficimur habitatores et hæredes mundi : » ideo scripsi tibi hunc sermonem. Verum enim de virginitate et sanctitate etiam antea scripsi, et plura significavi tibi, in sermone de iis qui se Deo devoverunt, ostendens quam pulchra et amabilis sit virginitas, si quis eam studiose colat et integre servet; sicut et Dominus noster ait : « Non unusquisque attin» git illam, sed quibus data est [2]. » Et Apostolus ait : « Si ex

[1] Gen. II, 24. — [2] Matth. XIX, 11.

» hoc mundo periculum est, bonum est hoc homini ut sic » stet [1]. » Certe vel de hac causa valde magna retributio nobis est, qui libere ac sponte nostra eam servamus, et non ex obligatione et necessitate præcepti. Etenim non est ea imperata nobis per Legem, sed formam ejus et speciem invenimus in Scripturis; siquidem conspeximus et vidimus eam fuisse in hominibus justis et sanctis : nam imago est et similitudo vigilum cœlorum. Et hic in terris dono Dei acquiritur, semel deperdita amplius non reparatur, nulloque pretio comparari potest : cujus non est, si quærat, non invenit illam; et qui non invenit, si currat, nequit ad eam pertingere. Ama, charissime, donum hoc; quia non est ei simile in toto terrarum orbe. Ex his autem quæ scripsi tibi, resiste ac responde Judæis, qui propter concupiscentiam ac libidinem suam ad virtutem virginitatis et sanctitatis nequeunt pervenire.

[1] 1 Cor. vii, 26.

# SERMO DECIMUS OCTAVUS.

## REFUTATIO, ADVERSUS JUDÆOS DICENTES PROPEDIEM SYNAGOGAM INSTAURANDAM ESSE.

I. Sermo Dei sanctus factus est ad Moysen, et misit eum ut educeret populum suum de Ægypto, ex domo servitutis, ex tyrannide Pharaonis. Et ait ei : « Dices ad Pharaonem : » Filius meus primogenitus Israël, dimitte eum, ut colat » me[1]. » Et cum eduxisset eos ex Ægypto signis et portentis in manu forti et brachio excelso, et in visionibus grandibus, et traduxisset eos in desertum, et fuisset dux eorum quadraginta annis, duxit eos in terram donorum, et fecit eos transire Jordanem, et possidere terram, occisis et deletis ante faciem eorum illius habitatoribus. Habitaverunt autem in ea quadringentis et quadraginta annis, usque ad illud tempus quo Salomon ædificavit templum sanctitatis; et insuper aliis quadringentis annis, usque ad tempus quo dominatus est in eos rex Babyloniorum. Nam, multiplicatis eorum peccatis, dispersit et dissipavit eos per orbem terrarum; quoniam non audiverunt Prophetas quos misit ad eos. Et cum fuissent in Babylone septuaginta annis, recordatus est iterum pacti cum patribus eorum, et prædicavit eis per Prophetas suos ut converterentur et exirent de Babylone. Et cum impleti essent septuaginta anni juxta prophetiam Jeremiæ, oravit Daniel, et humiliter orans preces obtulit, ut converteret Deus captivitatem eorum, et misericordiam haberet super eos. Et suscitavit Dominus spi-

[1] Exod. III, 18; V, 1.

ritum Cyri regis, qui vocem imperii sui per totum regnum emisit, intimavitque, dicens : « Si quis est qui stet et va» leat ex omni populo Domini, et Deus suus sit cum eo, re» vertatur et ascendat in Jerusalem quæ est in Judæa[1]. » Illi autem, quia mixti erant cum gentibus, ædificaverant et plantaverant, et possessiones acquisiverant in terra captivitatis suæ, noluerunt omnes exire; sed alii exierunt, et alii remanserunt. Deus vero, qui non ignorabat quam prave colligati et implicati essent in terrâ Babylonis, nequaquam coëgit eos ut exirent de Babylone. Et quidem sine coactione proposuit eis exitum Cyrus rex Persarum. Quando autem ex Ægypto eduxit eos Deus per Moysen, nisi necessitas ex tyrannide Pharaonis invaluisset in eos, noluissent exire de Ægypto : sicuti dixerant Moysi, quando cum contemptu adeuntes, et murmurantes de eo in deserto, aiebant : « Hæc verba sunt quæ dicebamus tibi in Ægypto : Sine » nos manere in servitute Ægyptiorum. Quia bonum erat » nobis in Ægypto[2]. » Et jam vide, et attende, quod, quamvis oppressi essent, tamen de servitutis angustiis nolebant exire ex Ægypto, donec eos graviter afflicti Ægyptii impulerunt ut egrederentur e terra ipsorum. Nam cum vidissent mortuos fuisse omnes primogenitos suos, cœperunt cogitare, et dicere : « Forte omnes moriemur[3] : » et coegerunt Judæorum populum exire de terra ipsorum, sicut et scriptum est. A Babylone quoque, si fuisset qui coëgisset eos, exiissent omnes usque ad unum.

II. Hæc autem tibi scribo, quia inani spe efferuntur Judæi dicentes : « Prope est tempus quo ex nostra dispersione » rursus congregabimur; » quoniam Propheta ait : « Non re» linquam ex eis inter gentes[4]. » Dicunt itaque : Congregabit Deus totum populum nostrum, qui hodie dispersus est per omnes gentes. Contra vero, dilectissime, quantum erit

[1] Exod. I, 3. — [2] Id. XVI, 3; XVII, 3. — [3] Ibid. 12. — [4] Jer. XXIX, 14.

in me, ostendam tibi non esse amplius Israëlem congregandum in sempiternum ; quamvis id futurum confidant, quasi omnes Prophetæ spem hanc Israëli dederint. Audite igitur omnes doctores et disputatores Israël : Deus nulli legi subjectus est ; et nemo est qui ei præsideat ; et non est aliquis qui impediat eum in opere, quodcumque efficere velit : nam ait per Prophetam : « Si dixerim super gentem et re- » gnum, Ædificare, et plantare ; et postea fecerit ille mala » in oculis meis : et ego iterum mutabo verbum meum quod » promisi ut facerem ei, et in peccato et in iniquitate ipsius » perdam eum. Quod si iterum dixerim super exercitum » et regnum, Ut eradicem, et destruam, evertam, et disper- » dam ; et fecerit bonum in oculis meis : et ego avertam » malum ab eo, quod cogitavi ut facerem ei [1]. » Et Isaias ait : « Væ qui prædatur ! vos ergo nolite prædari, aut lo- » qui mendacium : quando enim vultis prædari, prædabun- » tur vos ; quando vultis mentiri, mentientur vobis [2]. » In his omnibus non est qui resistat voluntati Dei. Jam scripsi, et ostendi tibi, quod Deus non sibi complacuit in eis ; ita nec Moyses, neque alii omnes Prophetæ. Nam Moyses ait eis : « Vos exasperatores estis coram Domino a die ex quo » novi vos [3]. » Et similiter inquit : « Populus pravæ cogita- » tationis, et stultus [4]. » Itidem ex persona Domini : « Ipsi, » *ait*, irritaverunt me in diis suis, et in idolis suis zelare me » fecerunt ; et ego provocabo eos in eo qui non est popu- » lus, et in gente stulta irritabo illos [5]. » Et rursum ipse Moyses dixit : « Scio quod post mortem meam destructi » destruemini vos, et declinabitis a via hac quam præcepi » vobis. Et evenient vobis mala multa in fine dierum tem- » porum [6]. Et ecce in vita mea, dum eram vobiscum, exa- » sperastis Dominum [7]. » Et per Oseam ait Dominus : « Oc-

[1] Ezech. XVIII, 7. — [2] Isai. XXXIII, 1. — [3] Deut. IX, 24. — [4] Id. XXXII, 6, 28. — [5] Ibid. 21. — [6] Idem, XXXI, 29. — [7] Ibid. 27.

» cidi prophetas, et interfeci eos in sermonibus oris mei; » et vos, filii Israël, non estis conversi ab iniquitatibus ves- » tris, a temporibus dierum patrum vestrorum[1]. » Et eodem loco paulo ante : « Gratia vestra quasi nubes matutina, » et sicut ros matutinus cito præteriens[2]. » Et Jeremias : « Quia abominabiles facti sunt mihi, mala inducam super » eos[3]. » Et iterum per Oseam : « Intraverunt ad Beel- » phegor, et posuerunt vota incurvationis confusione ple- » na[4]. » Et per eumdem prophetam : « Quasi avis avolat » gloria ipsorum ab eis. Quamvis genuerint et enutriverint » filios, tamen absque liberis eos faciam in hominibus, et » occidam concupiscentiam viscerum eorum[5]. » Et Jeremias ait : « Argentum vile vocabitis eos, quoniam Domi- » nus sprevit eos[6]. » Et per Oseam ait Dominus : « A domo » mea extraham eos, et non amplius adjiciam misereri su- » per eos[7]. » Quid autem habent illi quod respondere possent ? nam ibidem Propheta : « Sprevit, *inquit,* eos Do- » minus, quia non audiverunt eum[8]. » Et iterum : « Erunt » errantes errabundi inter gentes[9]. » Et rursus : « Juxta » ubertatem terræ suæ, ita multiplicaverunt altaria et ædi- » ficaverunt idola[10]. » Et iterum : « Suscipiet Ephrem con- » fusionem, et Israël confundetur in cogitationibus suis[11]. » Et iterum : « Circumdedit me Ephrem dolo, et Juda et do- » mus Israël mendacio[12]. » Et paulo post : « Devastavi te, » quis præerit tibi ? » et deinde : « Dedi tibi regem in ira » mea, et abstuli eum in furore meo[13]. » Et Michæas ait : « Non elevabitis capita vestra sursum, et non ambulabitis » recta statura : surgite, et ambulate, quia hic non est re- » quies mea[14]. » Et iterum : « Confundentur qui vident, et » confundentur sciscitatores, consulentes pythones, et ope-

[1] Osc. vi, 5, 7. — [2] Ibid. 4. — [3] Jer. xi, 11. — [4] Ose. ix, 10. — [5] Ibid. 11. — [6] Jer. vi, 30. — [7] Ose. ix, 15. — [8] Ibid. 17. — [9] Ibid. — [10] Idem, x, 1. — [11] Ibid. 6. — [12] Id. xi, 12. — [13] Id. xiii, 11. — [14] Mich. ii, 3, 10.

» rient omnes labia sua, quoniam non exaudit eos Deus [1]. » Et quare ait de consulentibus, et de videntibus visiones, quod confundentur et cooperient labia sua? Quia hæc plaga est absque sanatione.

III. Nam scriptum est in Lege, quod cum fuerit leprosus in Israël, veste conteget labia sua, et induetur curto indumento, et in capite suo habebit capillos albescentes, et extra castra erit locus habitationis ejus, et pollutum vocabit seipsum omnibus diebus in quibus habuerit lepram [2]. Propterea Propheta qui prædicat mendacium labiis suis, recipit plagam lepræ, et omnibus diebus sedet curvatus, confusione repletus : tanquam Ozias, rex de domo Juda, quia voluit rapere sacerdotium, exiit in eum lepra a sanctuario, et percussit eum intra oculos ejus, et sedit in domo curvatus et confusione repletus omnibus diebus vitæ suæ [3]. Et fuit commotio in omni populo; sicut ait Zacharias : « Fugietis, » sicut fugistis in motu qui fuit in diebus Oziæ regis Ju- » da [4]. » Sedenim observa, et vide quod ab ipso initio ex quo fuerunt reprehensi, se non correxerunt : nam per Prophetam Deus ait : « Percussi vos æstu et grandine, et multitu- » dinem hortorum vestrorum comedit ærugo; et tamen » non estis conversi ad Dominum [5]. » Et iterum : « Everti » eos, sicut evertit Deus Sodomam et Gomorrham [6]. » Et ostendit, et manifestum fecit quod eis nulla amplius spes superest : « Cecidit, et devoluta est, et non addet amplius » surgere virgo ista Israël [7]. » Et insuper addit : « Decidens » derelicta est in terra, et non est qui erigat eam [8]. » Et rursus : « Per omnem plateam ululatus et fletus, et per » omnes agros dicent : Væ [9] ! » Nam sprevit, et projecit eos a facie sua; propterea ait : « Odi et sprevi vestras annuas

[1] Mich. III, 5. — [2] Levit. XIII, 45. — [3] 2 Par. XXVI, 19, 20, 21. — [4] Zach. XIV, 5. — [5] Amos, IV, 9. — [6] Ibidem, 11. — [7] Idem, V, 1. — [8] Ibid. 2. — [9] Id. V, 16.

» festivitates, et non accepto odorem thurium vestrorum[1]. » Non placuerunt mihi sacrificia vestra, neque respexi spe- » cies eorum[2]. » Et iterum : « Nam quadraginta annis in » deserto holocausta et sacrificia obtulistis mihi, filii Is- » raël[3] ? » Et quia relicturus erat eos, dixit Jeremias : « Re- » liqui domum meam et hæreditatem meam[4]. » Et iterum : « Dedi filiæ hæreditatis meæ libellum repudii[5]. » Et quia superbientes gloriantur, dicentes : Nos sumus populus Dei; locutus est ad eos Propheta, inquiens : « Ecce quasi filii » Indorum putati estis mihi, filii Israël[6]. Ecce eduxi Israël » ex terra Ægypti, et alienigenas ex Cappadocibus, et So- » domam de Cethim, et oculi Domini dominorum super » iniquum regnum, et disperdam illud a facie terræ[7]. » Intellige autem et agnosce, quod quasi alienigenas repu- taverit eos. Et Jeremias ait de illis : « Ego plantavi te vi- » neam ad semen prolis veritatis, et tu conversa es, et » rebellasti contra me, tanquam vitis aliena et ab extraneis » plantata[8]. » Et Moyses : « Vinea eorum de vinea Sodomæ » et de vite Gomorrhæ; uva eorum uva acerbitatis, et bo- » trus eorum plenus amaritudine fellis[9]. » David autem : « Vineam, *inquit*, quam transtulisti de Ægypto, inspexisti » eam, et plantasti radicem ejus. Et perdidisti gentes, et » plantasti eam[10]. » Et cum peccavissent, et iniquitatem fe- cissent, ait : « Exterminavit eam aper de silva, et singula- » ris ferus depastus est eam[11]. » Et Ezechiel : « Duos ramos » ejus comedit ignis, et medium ejus destructum est[12]. » Et addit, « quod dum omnino intacta erat vinea, non erat » utilis ad opus; nunc vero, quoniam comedit ignis, et de- » structa est, quomodo erit utilis ad opus[13] ? » Et de vinea hac dixit Isaias : « Benedicam dilecto meo, vineæ meæ di-

[1] Amos, v, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Ibid. 25. — [4] Jerem. xii, 7. — [5] Id. ii, 8. — [6] Id. xxiii, 14. — [7] Ibid. 39, 40. — [8] Id. ii, 21. — [9] Deut. xxxii, 32. — [10] Psal. lxxix, 9. — [11] Ibid. 14. — [12] Ezech. xv, 4. — [13] Ibid. 5.

» lectæ. Plantavi vineam in loco dilecto, in loco ubertatis, » in loco pretioso : sepivi, munivi, mundavi, putavi, mol- » livi, palis excelsis ornavi, plantavi vineam electam, turrim » erexi, torcular extruxi : expectavi ut faceret mihi uvas, » et fecit mihi labruscas [1]. » Cum autem fecisset labruscas, destruxit munitionem sepis, et fuit illa in rapinam; subvertit murum, et fuit in conculcationem ; demisit, et reliquit incultam et desertam; mandavit nubibus ne pluerent super eam imbrem. Et propterea dixit Prophetis : « Væ illis qui » extruunt Sion sanguine, et Jerusalem iniquitate [2] ! » Itidem scriptum est : « A Prophetis Jerusalem egressa est » idololatria per omnem terram [3]. » At vero de gentibus Isaias : « Erit, *inquit,* in novissimis diebus mons Domini, » et domus Dei in vertice montium excelsorum, et fluent » ad eum gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite, » et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Ja- » cob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis » ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Je- » rusalem [4]. » Et cum exivisset Lex de Sion, et ad eum ad quem debebat profecta est, ait : « Judicabit inter gentes, » et arguet nationes multas remotas [5]. » Judæis autem idem Isaias propheta : « Separamini, *inquit,* ab eis, et pollutos » vocabitis eos, quia sprevit eos Dominus [6]. » Et iterum : « Spreverunt bona sua, tanquam pannum comestum a ti- » nea. » Et rursus : « Irati discedent a semitis suis, et a » Domino Deo nostro contremiscent et timebunt. » Et similiter : « Suffocabo fumo populum tuum, et pueros tuos oc- » cidet gladius. » Et demum : « Væ civitati sanguinis, plenæ » mendacio, et plenæ omni iniquitate, quia non est impedi- » ta ab ea factio magna [7]. » Michæas quoque ait : « Mentitus » est Juda, et patrata est pollutio in Israël et in Jerusalem,

[1] Isai. v, 1. — [2] Habac. II, 12. — [3] Jerem. XXIII, 15. — [4] Isai. II, 2. — [5] Ibid. 4. — [6] Isai. LII, 11. — [7] Nahum. III, 1.

» quia polluit Juda sanctuarium Domini[1]. » Et insuper inquit : « Declinavistis a via, et fecistis multos apostatare a » Lege, et impedivistis pactum Levi : et ego æstimavi vos » abjectos et contemptos cum gentibus, quia non servavis- » tis viam meam[2]. » Et de gentibus ait : « Convertam ad » eas labia fidelia[3]. » Similiter Judæis Malachias : « Tædio, » *inquit,* affecistis Dominum sacrificiis vestris[4]. » Et iterum : « Vos, filii Jacob, non destitistis a malis, a diebus pa- » trum vestrorum, et non servastis præcepta mea[5]. »

IV. Præterea adverte, charissime, bis duntaxat Deum e captivitate liberasse Israëlem, semel ab Ægypto per Moysen, iterum a Babylone per Esdram, juxta prophetiam Aggæi et Zachariæ. Nam ait Aggæus : « Ædificate domum hanc, et » acceptabilis erit mihi, et glorificabor in ea, dicit Domi- » nus[6]. » Et iterum : « Ego vobiscum sum, et Spiritus meus » habitat in medio vestri; nolite timere. Namque sic ait : » Dominus fortis[7]. » Et rursus : « Iterum ego moveo cœlum » et terram, mare et aridam. Et movebo omnes gentes : et » venient, et ferent desideria cunctarum gentium : et im- » plebo domum istam gloria. Et erit gloria novissima domus » istius magna plus quam prima[8]. » Hoc totum locutus est Aggæus in diebus Zorobabel, et cum Zacharia instanter accelerabat ædificationem domus[9]. Quia ait Zacharias : « Re- » vertar ad Jerusalem in misericordiis, et ædificabo domum » meam in medio ejus. Et ædificabit Dominus Sion, et eli- » get Jerusalem[10]. Et zelatus sum Jerusalem et Sion zelo » magno; et ira magna irascar super gentes quæ motæ ve- » nient[11]. Et in plateis sedebit Jerusalem in multitudine ho- » minum et animalium quæ erunt in medio ejus. Ego ero » in ea, dicit Dominus, tanquam murus æneus, et in gloria

[1] Malach. II, 11. — [2] Ibid. 8. — [3] Id. I, 11; II, 6, 7. — [4] Id. II, 13. — [5] Idem, III, 7. — [6] Agg. I, 8. — [7] Ibid. 13. — [8] Id. II, 7. — [9] I Esdr. V, 1 et seqq. — [10] Zach. I, 16, 17 et seqq. — [11] Ibid. 14.

» ero in ea[1]. » Et iterum ait : « Eia ! fugite de terra ista
» Aquilonis, dicit Dominus : quoniam in quatuor ventos
» cœli dispersi vos. Porro revertimini in Sion erepti habita-
» tores filiæ Babyloniorum[2]. » Et iterum : « Hæreditabit Do-
» minus Judam portionem suam in terra sanctitatis suæ, et
» acceptabit iterum Jerusalem[3]. » Et : « Manus Zorobabel
» fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam[4]. »
Hoc prædixit Zacharias. Et cum congregati essent ex Babylone, impleta et consummata sunt omnia, et non est, sicut ipsi dicunt, quod adhuc congregabuntur : quoniam secundo liberavit Deus Israëlem. Nam dicit Isaias quod adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relictum est ab Assyriis, et ab Ægypto, et ab Æthiopia, et ab Elam, et a Sennar, et ab Emath, et ab illis remotis Insulis[5]. Porro si credendum est eos esse congregandos, quare dixit Isaias quod adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relictum est? Etenim si adhuc eis salus e captivitate constituta et reservata est, licebat Isaiæ dicere quod adjiciet Dominus tertio manum suam ad possidendum residuum populi sui, non autem dicere, ex dispersione ad possidendum secundo. Audi insuper quod dicam tibi de oratione Danielis. Oravit Daniel coram Deo suo, et devotis supplicationibus postulavit pro filiis populi sui, ut reverterentur et exirent ex Babylone : quippe erat ipse propheta, et super verba Prophetarum ædificabat. Etenim cum populus ductus fuisset captivus in Babylonem, extiterunt inter illos prophetæ falsi, qui prophetabant cum mendacio et iniquitate, et dicebant : Sic dicit Dominus : « Post duos annos ego
» frangam jugum Nabuchodonosor regis Babyloniorum ex
» collo omnium nationum[6]. » Tunc cum audisset Jeremias

[1] Zach. II, 4, 5. — [6] Ibid. 6. — [2] Id. VIII, 3. — [3] Id. IV, 9. — [4] Isai. XI, 11, — [5] Jerem. XXVIII, 11.

prophetiam pseudoprophetarum, misit epistolam Babylonem, dicens : « Nolite audire pseudoprophetas istos, quia » sic dicit Dominus : Ædificate domus, et habitate; plantate hortos, et comedite fructus eorum ; ducite uxores filiis vestris, et date viris filias vestras. Nam mansuri estis » isthic septuaginta annis, deinde isthinc revertemini[1] ? »

V. At vero Daniel, quoniam plenus erat Spiritu, certo persuasus vera esse quæ prædixerat Jeremias, cum impleti essent septuaginta anni, obtulit preces pro eis, anno primo Darii regis filii Artaxerxis ex genere Parthorum[2], qui regnavit in regno Chaldæorum : « Ego Daniel, *inquit,* cum » complerentur septuaginta anni desolationis Jerusalem, » elevavi oculos meos sursum ante Dominum Deum, et » oravi, et confessus sum peccata mea et peccata populi » mei Israël, faciebamque obsecrationes cum supplicationibus ante Dominum Deum meum pro monte sancto ; et » dum adhuc ego in oratione hac perseverarem, venit Gabriel, quem vidi in visione prius. Venit de cœlo, et tetigit me in tempore sacrificii vespertini; locutus est mihi, » et ait : Daniel, nunc veni ut docerem te : ab exordio precum tuarum egressus est sermo et decretum ; ego autem » veni ut indicarem tibi quia amabilis es. Percipe sermonem hunc, et intellige. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam » tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat » peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte. Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum » ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta » duæ erunt. Et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas oc-

[1] Jerem. XXIX, 5, 8. — [2] Dan. IX, 1.

» cidetur Christus; et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus » cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem » belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis » hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hos- » tia et sacrificium : et erit in Templo abominatio desola- » tionis[1]. » Dixit ergo ei Angelus : « Septuaginta hebdoma- » des abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem » sanctam tuam. »

VI. Septuaginta hebdomades sunt quadringenti nonaginta anni, qui elapsi sunt ex tempore quo Daniel obtulit preces usque ad ultimam desolationem Jerusalem, quæ non amplius ædificabitur. At vero ibidem dicitur : « Hebdoma- » des septem, et iterum ædificabitur Jerusalem. » Illæ autem septem hebdomades complectuntur tempus illud captivitatis quo per Esdram sub Dario rege Partho jacta sunt fundamenta Templi, et ejus ædificatio impedita est a Judæorum inimicis in diebus Darii, et Artaxerxis, et aliorum regum Persarum, et permissum non est illud ædificari et perfici. Id autem ostendam tibi ex sacri Eloquii verbis; sic enim scriptum est a Zacharia propheta : « Ego vidi can- » delabrum, et septem lucernæ super illud, et septena ora » lucernarum[2]; » hoc est, quadraginta novem, quot anni sunt septem hebdomades. Et in eadem prophetia : « Hoc » est verbum Domini super Zorobabel, non in exercitu, » nec in robore, sed in spiritu meo[3]. » Et paulo inferius legitur : « Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et » manus ejus perficient eam[4]. » Omnes autem dies ex quo posita sunt fundamenta domus Domini, usque ad diem consummationis ædificii, prorsus quadraginta novem annos faciunt, et hæ septem hebdomades ex illis septuaginta sunt. Et hæc est visio septem lucernarum candelabri, quarum

[1] Dal. IX, 2 et seqq.— [2] Zach. IV, 2. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 9.

quadraginta novem ora fuerunt, quæ sunt quadraginta novem anni : et hoc est verbum Domini quod fuit ad Zorobabel. Et post hàs septem hebdomadas ædificationis domus in diebus Zorobabel, tunc ædificatur Jerusalem : deinde sexaginta duæ hebdomades, donec veniat Christus et moriatur. Nam sexaginta duæ hebdomades sunt quadringenti triginta quatuor anni. Et quare supra in prophetia Danielis ait : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super po- » pulum tuum, et super urbem sanctam tuam[1] ? » Et infra : « Erunt illæ septem et sexaginta duæ[2], » quia detrahendi sunt anni illi quadraginta novem. Inferius autem inquit : « Hebdomas una, et in dimidio hebdomadis deficiet » hostia et sacrificium[3]. » Ecce hebdomas una ex illis septuaginta, in qua defecit votum et sacrificium. Itaque numerati sunt septuaginta anni, pro tempore quo Judæi manserunt in Babylone. Quievit deinde eorum terra omnibus septuaginta hebdomadum diebus, in quibus non amplius abducti sunt in captivitatem. Post hæc attende, et intellige quod post has hebdomadas venit Christus, et mortuus est complendo visiones et prophetias; siquidem primo Jacob pater noster, cum benedixit Juda : « Non de- » ficiet, *inquit*, sceptrum de Juda, dux et princeps de fœ- » more ejus, donec veniat ille cujus est regnum[4]. » Jam igitur certo agnoscis, charissime, et percipis quod impletæ et consummatæ sunt hebdomades, et habuerunt finem visiones et prophetiæ, et facta est abscissio et abrenuntiatio de Juda, et ecce destructa est Jerusalem, et dispersus et dissipatus est populus ejus per omnes nationes, et sedent Filii Israël sine sacrificio et sine altari. Et usque ad consummationem abbreviationum destructa erit, et sedebit Jerusalem super desolationem. Destructa est vinea, et fecit spinas et tribulos, et duos ramos vineæ comedit ignis; sepes

[1] Dan. IX, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 27. — [4] Gen. XLIX, 10.

vineæ, quæ turris instar erat, corruit; turris habens murum firmum eversa est; funditus destructus est puteus, et torcular ad formam lavacri. Spretum est argentum, et factum est inutile, et non est adhibitum ad opus. Libellus repudii scriptus [1], et datus est Hierosolymis. Hunc brevem sermonem misi ad te, ut resistas ac respondeas quando necesse fuerit, et ita corrobores mentes eorum qui audiunt, ne assentiantur verbis eorum qui turbas excitant. Nam illi persuaderi nolunt, ut dicit Scriptura : « Conclusit et coarctavit » eos, ne audiant et ne intelligant, ut super omnem homi- » nem misereatur Deus [2]. » Nam ait de illis : « Populus hic » labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me [3]. » Et dicunt ad Jeremiam : « Verba hæc, quæ tu dixisti in » nomine Domini, non audiemus nos [4]. » De visionibus Danielis, quantum ego assecutus sum, charissime, tibi scripsi. Id autem observes velim, quod erat annus tertius Cyri regis quando Danieli Gabriel exposuit quidquid eventurum erat ejus populo. Et ipsi verbum revelatum est, et inquit : « Verum est verbum, et magnum est virtute [5]. » Et intelligens quæ prædicebantur in visione illa : « Sedi, *ait,* in » luctu trium hebdomadarum diebus, panem desiderabi- » lem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os » meum [6]. » Insuper attende, et vide, quod quando tertio anno regni Cyri vidit Daniel visionem hanc, erat vigesimus quartus dies primi mensis Marcri, nempe post duos annos ex tempore quo promulgatum est in ejus regno edictum jussionis ut reverterentur captivi in Jerusalem. Erat autem prima dies Darii filii Artaxerxis [7], cum ille obtulit preces coram Deo suo, et impleti sunt septuaginta anni juxta prædictionem verborum Jeremiæ : quod, sicut rerum historia manifestum facit, contigit primo anno Darii Medi; nam

[1] Jer. vi, 29, 30. — [2] Isai. vi, 9, 10. — [3] Matth. xv, 8. — [4] Jer. vi, 17. — [5] Dan. x, 12. — [6] Ibid. 1. — [7] Id. ix, 1.

cum occidisset Baltassarem, ejus loco regnavit : sed exiguo tempore regnum retinuit ille, nam ab eo abstulit Cyrus Persa. Et quare primus Darius habuit regnum? ideo, sicut nobis videtur, ut impleretur visio quam exposuit Daniel Baltassari : « Hæc est interpretatio sermonis istius, et lec- » tio scripturæ istius : NUMERAVIT, ÆSTIMAVIT, PONDERAVIT, » ET EXPOSUIT. Numerando numeravit Deus regnum tuum, » et abstulit illud. Appensus est in statera, et inventus est » minus habens. Divisum est regnum tuum, et datum est » Medis et Persis[1]. » Propterea Darius primus regnum obtinuit, et deinde Cyrus Persa, ut impleretur visio.

[1] Dan. v, 26.

# SERMO UNICUS (4).

*De adversitate, et schismatibus quæ fiunt alicubi in provinciis; et de superbia, arrogantia; et de pugna certaminis elationis capitalis principatus.*

Accipimus consilium mente communi, quasi congregati simus omnes occulta concordia, scribere epistolam hanc ad omnes fratres nostros ecclesiasticos dispersos per provincias, episcopos, presbyteros et diaconos, et omnes clericos Dei cum cunctis generationibus suis, amabiles et optabiles, præcipue qui sunt Sceli et Tisponi, in Domino Deo vivificatore, qui per Christum suum vivificavit nos, et remotionem nostram admovit sibi : quibus omnibus salus valde.

I. Demonstramus vobis, fratres et dilecti nostri, et quasi ostendimus vobis, et facimus vos ut recordemini nostri, de eventu qui accidit annis et diebus nostris. Nam propter multitudinem, et vehementiam, et amaritudinem peccatorum nostrorum, obtenebratæ et obscuratæ sunt mentes nostræ ab ipsa sapientia; neque per exhortationem excitamus nosmetipsos, ut respiciat super nos Deus : sicut et ait per Prophetam suum : « Convertimini ad me, et convertar » ad vos[1]. » Et Osee ait : « Sumite super vos luctum, et » convertimi ad Dominum Deum vestrum[2]. » Et Isaias : « Quærite Dominum, et cum inveneritis, invocate eum. » Et quando prope est, delinquat peccator vias suas, et vir » iniquus cogitationes suas. Quærite Dominum, et invenie» tur vobis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos[3].»

[1] Zach. I, 3. — [2] Osc. XIV, 3. — [3] Isai. LV, 6.

Et David ait : « Dominus de habitaculis prospexit, ut vi- » deat si sit aliquis intelligens qui requirat Deum. Omnes » declinaverunt simul, et inutiles facti sunt : et nullus erat » qui faceret dulcedinem, neque unus[1]. » Jeremias ait : « Quæsivi ego in populo meo virum unum qui sepiret se- » pem, et resarciret pro terra, ne corrumperem eam; et » non inveni[2]. » Et iterum dixit ad Jeremiam : « Vade, et » dic viris Juda, et habitatoribus Jerusalem : Quoüsque » non accipitis admonitionem[3] ? » Et iterum ait per Pro- phetam : « Vocavi vos, et non audistis : clamabitis ad au- » res alta voce, et non exaudiam vos. » Et iterum scriptum est, quod non erat aliquis quem pœniteret de peccatis, et diceret, Quid feci ? jam introgressi sunt, et steterunt hic in populo nostro primatu principales.

II. Nam reliquerunt Legem, et gloriati sunt in iniqui- tate : adepti sunt divitias, et occupavit eos parcitas ava- ritiæ : mutuum dederunt cum usura, et exegerunt cum fœnerationibus. Et non erat qui recordaretur Scripturæ, dicentis : « Non accipies usuram et fœnus[2] ; » et illius : Qui vult habitare in tabernaculo Domini, pecuniam suam non dat ad usuram; et illius : Qui non acceperit mercedem usuræ, et non exegerit mutuum cum fœnore, et aliquam ex illis contaminationibus non fecerit quas numeravit Eze- chiel[3]. Porro sunt aliqui in hoc tempore, qui vim fecerunt pauperi cum malitia, depravaverunt jura justitiæ, et fece- runt conventionem cum hypocrisi : justificaverunt reos pravos, et culpaverunt justos jurisperitos; dilexerunt di- vites immunes, et odio prosecuti sunt pauperes afflictos; paverunt seipsos; disperserunt et dissipaverunt oves : ob- tenebravit et excæcavit illos mundus hic ; assentati et blan- diti sunt muneribus, jura corrumpentibus ; manifeste perse-

[1] Psal. LII, 3. — [2] Jerem. v, 1. — [3] Id. XXXV, 13. — [4] Lev. XXV. Deut. XXIII. — [5] Ezech. XVIII.

culi sunt veritatem; oderunt reprehensionem certitudinis, amplexi sunt impietatem iniquitatis; facti sunt crudeles in humiles et in simplices, amatorii et tranquilli in gloriosos, in ambitiosos et in superbos. Obtenebratum est lumen in diebus eorum, factum est insipidum sal veritatis, obscurata est disciplina justitiæ, transierunt ordines legum : inutilis facta est vinea fructifera, quæ erat plena racemis, cum sagacibus et fertilibus palmitibus et arbustis; germinaverunt et apparuerunt spinæ et tribuli. Dormitaverunt et dormierunt homines communiter. Seminavit Malus zizaniam nocivam : accumulati sunt fluctus cumulatim spumantes; convaluerunt et vehementes facti sunt gurgites ex illis insolentibus fluctibus; ceciderunt et eversi sunt aurigæ, pullulantes et velociter currentes currus declinaverunt; immersi sunt in profundum somnum duces navium, submersæ sunt naves cum eis. Plicatæ sunt leges et sigillata sunt testimonia : factus est sacerdos sicut populus; princeps petit oblationem, et judex dicit, Ferto ad me munus. Magnus loquitur voluntatem animæ suæ : spernunt et contemnunt pauperes, et impediunt et arcent afflictos terræ : æquant et mordent dentibus suis, et prædicant pacem ædificationis; et quos non projiciunt in infernum, halitus oris ipsorum prædicant super eos certamen turbationis : aspernantur et contemnunt jura, et pervertunt et corrumpunt omnem justam et fortem rectitudinem : ædificant et conficiunt Sion per sanguinem, et Jerusalem per peccata iniquitatis. Patriarchæ ejus muneribus judicant; prophetæ et sacerdotes ejus mercede docent; prophetæ ejus argento prophetant, et sperant in Domino, et dicunt : Ecce Dominus apud nos est, non venient super nos mala. Propterea obscurata est nox eorum, et obtenebrata est ad interrogandum datorem responsi. Pleni sunt indignatione furoris, inflati et tumefacti malevolentia : diligunt ignominiam derisionis, et vo-

lunt inutilitatem maculæ scandali. Dulcis et jucundus est sermo detractionis de se invicem, sicuti si quis comedat mel delitiosum et incredibili modo sugat favum mellis. Corruit et labefacta est veritas : egressa est, et tradita est fugæ reprehensio securitatis : mutata et levia reddita sunt gravia pretiosa. Spreti et contempti sunt doctores docentes : vocaverunt bonum malum, et malum bonum ; æstimaverunt lucem tenebras, et tenebras lucem ; nominavérunt amarum dulce, et dulce amarum. Sapientes sunt in oculis animarum suarum, et prudentes juxta voluntatem mentis suæ. Justificant reos propter munera, et justitiam justi palam persequuntur. Visiones occultæ erraverunt, et prophetiæ invisibiles et immanifestæ sunt.

III. Hæc opera operati sumus nos, et hoc totum accedit nobis, juxta malam et iniquam injustitiam : amaræ et sinistræ compensationes redditionis. Nos dispersi, et in prædam projecti, et persecutionem passi. Qui miserebantur tribuere nobis, jam a nobis postulant ut demus eis modicum et plus : quia nos odio prosecuti sumus nos invicem, frustra multiplicati sunt nobis odio prosequentes ; quia flagellavimus, facti sumus derisio opprobriorum ; et spreti sumus, erasi sumus a substantiis, et contempti sumus : et quia mentiti sumus in oculis omnium, et quia superbivimus, victi sumus, et in pravitatem cecidimus ; et quia calumniati sumus, privati sumus omni re ; et quia recusavimus, convicti sumus de cæcitate. In hujusmodi operibus ambulaverunt aliqui ex nobis, o amabiles nostri : jura non judicant, et partem certitudinis non inquirunt ; et non est qui recordetur sermonis Prophetæ, dicentis : « Quærite justitias, et » bene facite defraudatis[1]. »

IV. Porro Deus secundum copiosas miserationes dedit suasiones suas filiis hominum secundum quamlibet cau-

[1] Jerem. XXII, 3.

sam, secundum delicta præterita; et ingressus est cum filiis hominum in tribunal judicii. Et cum esset sui arbitrii et suæ potestatis, tamen neminem violentavit : namque inquit de facto Isaias propheta : « Surgit Dominus ad judican- » dum, et paratus est ad judicandum populum [1]. » Et ait : « Intrabit Dominus ad tribunal judicii cum principibus et » senibus populi, quia combusserunt vineam, et congrega- » verunt ad prædam rapinam pauperum ; nocuerunt populo, » et confuderunt imbecilles et afflictos. » Et Jeremias ait : « Judicavi vobiscum, dicit Dominus, sicut et judicavi cum » patribus vestris. » Et Michæas ait : « Judicat Dominus » populum suum, et arguit Israël [2]. » Et Isaias : « Prope » sunt judicia vestra, dicit Dominus, et cogitationes vestræ » appropinquaverunt ad Regem Jacob [3]. » Et Moyses dixit ad Israël : « Scribas et judices constitues in omnibus natio- » nibus tuis, et judicabunt populos secundum jura justi- » tiæ [4]. » Et ait : « Non accipies munera, neque accipe perso- » nam hominis cum injustitia ; sed pauperem sicut divitem » audies, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus [5]. » De terribili judicio Sodomitarum, fuit longaminis beneficus Deus noster in illo suo parcere, et accipiens dabat suasionem Abrahæ suo dilecto, in illo sermone suo cum illo, quod non fiat judicium cum ira. Et iterum fecit decretum responsioni Ezechielis, de nimio et terribili judicio, quando motus et egressus est corruptor qui corrumperet Jerusalem [6]. Et cœpit Propheta cum supplicationibus conqueri, dicens : « Sed quare hoc? cur facis occisionem omnium carnalium » qui remanserunt, parvum residuum de Israël [7] ? » Et ille sumens dabat tunc suasionem, manifestans ei contaminationem viginti virorum. Et suasus est Propheta, et habuit in se ; et accedens laudabat certa et justa statera probata ju-

[1] Isai. III, 13. — [2] Mich. IV, 3. — [3] Isai. XLI, 12. — [4] Exod. XVIII, 25. Deut. I, 12. — [5] Id. X. — [6] Ezech. IX, 12. — [7] Ibid. 8 et XI, 13.

dicia, dicens, in illo sermone suo : « Digne, et certe recipiunt justas compensationes redditionis[1]. » Et offerebat suasiones Jonæ, cum germinaret hedera, et cum ille doluisset super illa arefacta et exsiccata. Et ait ad eum : « Tu » doluisti super ista hedera, quæ mane germinavit et mane » aruit : et quomodo ego non parcam Ninive civitati mag» næ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum » inscientium, et puerorum pusillorum, qui nesciverunt » quid sit inter dexteram et sinistram suam, et multitudi» nes jumentorum[2]? » Et cum voluisset evertere vineam ad formam campi structam, quia illa tulit spinam et tribulum pro uva, sumpsit et fecit sedere judices viros Juda et habitatores Jerusalem, et ait ad eos : « Judicate inter me et vi» neam meam[3]. »

V. Et jam videte, amabiles mei, copiosas miserationes benefici Factoris nostri, qui dum perdit malos in ira, vivificat et eripit justos immaculatos. Jam occidit et perdidit sæculum in diebus Noë, quia impii facti sunt in iniquitate sua; eripit autem Noë cum domesticis, secundum clementissimas miserationes suas. Et evertit et desolavit Sodomam cum iniquis civitatibus; eripuit autem Lot a desolatione eversionis. Cum occidisset et perdidisset in Ægypto primogenitos Ægyptiorum, eripuit primogenitos Israël. Et in diebus Ezechielis cum corrupisset civitatem, scripsit intra oculos virorum justorum, et eripuit eos et non perdidit frustra cum iniquitate[4].

VI. Porro hodie comperiuntur in populo isto nostro viri judices, qui putati sunt sapientes in oculis animarum suarum, quasi præscientiam quamdam habeant illi. Nam dum adhuc homines non sunt ingressi in tribunal judicii, aperte expediunt judicium, et constituunt reos. Sed hoc valde malum est : nam quamvis etiam habeant illi præscientiam,

[1] Ezech. IX, 9; XI, 15. — [2] Jon. IV, 10. — [3] Isai. V, 3. — [4] Ezech. IX, 4.

tamen in tribunali illo judicii sui non tantum aliquos scientes dexteram et sinistram constituunt reos, sed etiam pueres, et fœtus multos qui adhuc sunt in utero matris suæ et adhuc non sunt nati, et pauperes, et afflictos, et habentes votum sanctitatis, multitudinem et decena millia populi. Et jam inventus est apud nos quidam frater noster qui ligavit coronam, et posuit in capite; et factus est dominus ornatus corona, et ligator diadematis; et terra ejus nec scivit neque sensit de eo : et cum noluisset Regnum recipere eum, profectus est ad alia remota et longinqua regna, et petiit ab ęis catenas et vincula, et cœpit distribuere civitatibus et regno suo. At nos expectabamus et sperabamus, quod pro catenis quas petiit rex recenter coronatus a regibus sociis suis, oporteret eum petere ab illis dona et honores, et distribuere magnatibus et provincialibus et civitatibus suis, pro catenis et vinculis. Jam sapiens audiat, et percipiat; quia hoc totum ideo scripsimus ad amabiles nostros : quia rex cum ponit coronam in civitate ipsa sua, et accipit regnum a magnatibus suis, consensu omnium, quando omnes voluerunt eum, cum intrat in domum thesauri sui, accipit dona et honores multos, et distribuit omnibus magnatibus suis, et præstat jussum libertatis per omnem potestatem regni sui ; et accipit catenas ab omnibus in carcere positis, qui sunt per totum dominium, et absolvit ligatos, et extrahit impeditos; et facit tranquillitatem pressis, et renovat suos omnes : quia recepit recenter regnum, et postea sperat confidenter quod firmatus et corroboratus sit in regno illo suo, et habuerit regnum totius terræ suæ. At pejora sunt delicta hæc delicto Jerohoam, et in scientia judices isti rudiores sunt pueris consiliariis Roboam. Jam audite, amabiles nostri, quia si acciderit et fuerit rex magnus, et constituerit dispensatores super omnes facultates suas et super domum suam, et ipse dispen-

sator per insipientiam lapsus fuerit, et deditus inani gloriæ superbierit super socios suos, et ministros regios cum arrogantia contempserit, et cum iniquitate non habentes delicta ceperit, et ligaverit eos, et percusserit, et ipse causas juxta jura non examinavit, neque quæsivit neque scivit utrum essent rei an justi, et ex detentorio et carcere illo servi appellaverint, et perite ostenderint domino suo, dicentes : Dispensator iste tuus, socius noster, ligavit nos cum malitia, et non judicavit nos cum interrogatione et probatione, et non corripuit nos juxta digna delicta. Jam vos quid dicitis, fratres nostri? Numquid laudabit et honorabit dispensatorem illum dominus ejus? At nos hoc scimus, quod removeat a potestate sua dispensatorem qui socios suos cum malitia ligat et spernit; et sicuti se gessit cum sociis suis, ita similia in se experietur. Namque Rex sic nobis scripsit, dicens : Quo judicio judicatis vos, eo judicant vos; et anticipate admonuit.

VI. Nam superbia et arrogantia plurimos subvertit. Propter superbiam suam egressus est Adam a Paradiso, et factus est pulvis et cibus Serpentis. Et Caïn ob superbiam occidit fratrem suum, et factus est vagus et profugus in terra. Et Cham, quia superbivit et flagellavit patrem suum, maledictus est, et factus est servus servorum fratrum suorum. Et Esaü propter arrogantiam suam perdidit primogeniturам primatus sui. Et Pharao, quia exasperatus est et superbivit, submersus est in mari cum exercitu. Et filii Heli, quia superbiverunt super populum, contempti sunt a sacerdotio illo sancto. Et Goliath de Get, jactantia sua quam habuit super David, depravatus est, et eversus est in superbia illa sua. Et Abimelech filius Gedeonis, quia superbivit super fratres suos, et occidit illos, succubuit, et subjacuit maledictionibus Joatham fratris sui. Et Absalom, quia superbivit et rapuit regnum patris sui, miserrime ever-

sus est coram servis David. Et Adonia filius Haggith, quia furatus est regnum, non gustavit nec fruitus est regno illo suo. Et Achitophel dator consilii malorum, per se ipsum depravavit superbia sua. Et Jeroboam filius Nabath, servus Salomonis, quia immisit schismata in populo illo, reliquit malam memoriam sui in Israël. Et Achab filium Amri convicit avaritia sua, et recepit vindictam ab exercitu in hæreditate illa. Et rex Edomitarum, quia superbivit super Achab, fuit potentior ligans dimissore. Et Aman, quia superbivit super Mardochæum, recepit malam redditionem crucis cum filiis suis. Et ossa Babyloniorum qui oblocuti sunt de Daniele, comminuerunt leones. Et Judas, quia tradidit Salvatorem nostrum, cum mola ad animam submersus est in abysso maris. Hos omnes quos numeravi vobis, superbia eorum depravavit; sicut et scriptum est: « Superbia hominis humiliabit eum; et qui habet men- » tem humilem, multiplicat sibi honorem et honorificen- » tiam[1]. »

VIII. Jam videte, amabiles mei, quoniam successu temporum secundum quodlibet sæculum fecit Deus virtutes maximas per homines sapientes, ut conciliaret et faceret pacem inter divisos; et non solum per viros, sed etiam per mulieres. Mulier Thecuita conciliavit Absalom cum David, consilio et adminiculo Joab. Et per mulierem facta est pax in Israël, cum rebellavit Seba filius Bochri a David : et mulier sapiens habuit loqui cum Joab ex muro illo, et ait ei, dicens : dicebat antea : « Prius interrogabant prophetas, et » deinde occidebant. Num ego sola digna sum vindictæ in » Israël, ut ecce velis perdere matrem cum puero[2]? » Et ait : « Absit ut faciam istud : sed vir quidam nomine Seba, » filius Bochri, levavit manum suam contra regem David; » tradite istum nobis extra, et recedemus nos hinc[3]. » Et

[1] Prov. XXIX, 23. — [2] 2 Reg. XX, 18. 19. — [3] Ibid. 20, 21.

mulier ingressa est, et locuta est cum omni populo : et abscidit caput Seba, et projecit illud ex muro illo ad Joab. Et facta est ædificatio in Israël per mulierem. Et Debbora facta est mater, et regit Israël secundum jura justitiæ. Et Jahel uxor Haber Cinæi, sagax valde, extinxit gloriam Sisaræ, ducis exercitus Azor, quando clavum positum supra tempus capitis ejus, percussumque malleo defixit in cerebrum. Hi Cinæi soceri Moysis, de quibus ait Balaam filius Beor in prophetia illa sua, dicens : « Firmum est asylum » habitaculi sui, et nidus tuus positus in cavernis petro- » sis[1]. » Et Rebecca, mater justorum, fecit pacem inter Esaü et Jacob, dum misit eum ad Laban. Et Salvator noster Rex magnus conciliavit totum mundum cum Patre suo : cum essemus peccatores, ipse suscepit delicta nostri omnium, et factus est Angelus et nuntius pacis inter Deum et creaturas : cum essemus peccatores et rebelles, ipse petiit a nobis ut reconciliaremur cum eo, sicut ait Apostolus, dicens : « Ipse factus est Angelus pacis, et ipse conciliavit » nos cum Patre suo[2]. » Nam sic dignum et æquum erat ut nos prævaricatores et peccatores peteremus et rogaremus eum ut conciliaretur nobiscum Conditor noster : at pro nobis ille ipse petiit a nobis ut conciliaremur cum eo. Verum ille ipse, qui fuit solutor et destructor malorum nostrorum, suscepit in se pœnas punitionis malæ redditionis.

IX. Nam consilio Serpentis Adam egressus est a Paradiso illo : cujus pœna punitionis est amara et dura : sumpsit ab eo cibum ejus, et dedit ei terram : et cecidit in terram, et serpsit in umbilico suo ; et privavit eum pedibus, quibus corrupit ; et cucurrit, et irruit in Adamum : comedit terram omnibus diebus suis, usque in sæculum, quia decepit ille Evam per escam ; et fecit eum inimicum, et posuit caput ejus ad conculcationem. Jam juxta similitu-

[1] Num. XXIV, 21. — [2] 2 Cor. V, 18.

dinem Serpentis, qui decepit Adamum, surrexerunt et steterunt in medio nostri aliqui seductores et turbatores, mali et duri, dolosi et iniqui, fabricatores peccatorum et destructores justitiæ, plantatores impietatis, et evulsores et eradicatores gratiæ et misericordiæ, nutritores zizanii, et deperditores et dissipatores tritici, inimici et contemptores sanctorum, benedictores et blanditores iniquorum; amici et benedictores superborum, maledictores et exosores humilium; laudatores et verificatores mendacia loquentium, accusatores et blasphematores veridicorum; auctores peccatorum et impletores iniquitatis, conceptores et genitores verborum corruptionis; huc et illuc loquaces et maledici, evacuati et facti inanes gratia, pleni et repleti mendacio. Non habent fructum in extremitatibus ramorum ad opus ciborum, quia infecti sunt veneno serpentis. Porro quam utilitatem lucrata est adversitas? vel quæ utilitas fuit invidiæ eorum qui moliti sunt mala? Divisit Caïnum ab Abel dilecto suo. Adversitas maledixit Caïn et vendidit Joseph, occidit Pharaonem, persecuta est Jacob, submersit Core et perdidit socios ejus, interfecit Zambri, persecuta est Zachar, dementem fecit populum, subvertit Sisaram, occidit Jabin, turbavit Saül, delevit Amalech, et projecit ad conculcationem Goliath; penitus abstulit Absalom, et occidit Adoniam; fecit iniquum Roboam, et divisit populum; evertit Gabaa, et delevit gladio habitatores ejus; turbavit Sennacherib, et eduxit per gladium castra ejus; reddidit reum Aman; flagellavit obloquentes; eradicavit Israël, et dispersit eum per omnes nationes. Hos omnes invidia et adversitas perdidit.

X. Redeamus ad Salvatorem nostrum, qui dixit nobis : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem[1]. » Et Apostolus ait : « Nemini quidquam debeatis, nisi ut invi-

[1] Joan. XV, 12.

» cem diligatis[1]. » Et dilectionem magis honoravit, et ait : « Si fecerim omnia placita et bona, et dilectionem non ha- » buerim, nihil mihi profuit[2]. » Dilectio arguit immunditias : dilectio delet peccata, et longe est a jactantia : dilectio sejuncta est a superbia, et distat ab adversitate : dilectio elongata est ab invidia : dilectio disjuncta est a divisionibus schismatum : dilectio aliena est ab avaritia : dilectio declinat, et secedit a flagellis : dilectio evadit a malis. Nam decori, et optabiles, et amabiles sunt fructus dilectionis : dilectio eripuit Noë a diluvio, et vivificavit Rahab a gladio Josuë; exaltavit David, et delevit peccata ejus; salvavit Ezechiam a manibus inimicorum; justificavit Aza, et purgavit Osiam : dilectio extinxit ignem fornacis ab Anania et a fratribus ejus; eruit a lacu Danielem, et eripuit Esther et Mardochæum a manibus Aman. Dilectio vincit odium, et delet peccata iniquitatis, et elongat impietatem, et facit transire invidiam, et impedit adversitatem; solvit inimicitiam, et conciliat iratos, et frangit brachia malorum. Dilectionis multi sunt amici, et copiosa sunt beneficia gratiæ ejus. Dilectio exosos inimicitia conciliat, et unit divisos. Dilectio suffert turbationem, opprobria, contemptum et detractionem. Dilectio patiens est, diligit silentium, diligit humiles, diligit parvulos, diligit sapientes, diligit jejunia, preces et eleemosynas; diligit simplices, mites, religiosos et pœnitentes; diligit pueros pacis, miseretur et complectitur, congregat et admovet, lætificat et confortat. Dilectio, in contemptu sui ipsius, inhæret menti sui et suffert : tolerat commotionem, et silet, et humiliat se. Dilectio non amat iram, non lætatur de divisionibus; non videtur ei dulcis invidia, non est sollicita de diebus, nec obsecratur de annis. Dilectio est longanima et tolerans, possidens mentem firmam et tranquillam, et habens cogitationem et sen-

[1] Rom. XIII, 8. — [2] I Cor. XIII, 1.

sus suos demissos. Dilectio nec spernit, nec vituperat, nec deridet, nec est ambitiosa, nec jactat, nec est arrogans, neque superbit. Dilectio videt se ipsam, et scit mensuram ordinis sui. Dilectio est tranquilla, et silens, et constans; testimonium habet de mente, diligit omnem hominem, et diligitur ab omni homine. Dilectio concipit ædificationem, et generat pacem; educit et ponit bona; curat et cogitat digna bonorum. Dilectio non vincitur a malo. Dilectio lux, dilectio sal, dilectio fons, et oculus bonorum. Dilectio forma, et lapis lucidus; margarita bona, et lapis pretiosus, et idea omnium. Dilectio studet sapientiæ, et optabilia sunt lucra gressuum ejus. Dilectio mens sanitatis, cogitatio ampla, inventio spei, mos perfectus, et consilium fidele. Beatus qui possidet dilectionem, quia per eam perficiuntur fructus suaves. Dilectio longe est a contentione, quia ipsa nociva est paci.

XI. O Rex orbis terrarum, adoramus te, quia longanimis es super creaturas tuas. Manifesti sunt ante te omnes occulta operantes, et scis cogitationes omnium hominum. Multi sunt apostatæ a te, et multi blasphemant te, et accipiunt vestem pabulorum tuorum, et defraudant te in operibus tuis; et tu beneficus et longanimis ad omnes homines. Non judicasti nos ante judicium tuum; non corripuisti nos, neque reos constituisti; et non removes beneficia gratiarum tuarum a malis. Facis solem tuum oriri, et mittis pluviam tuam, et spiras austrum dulcedinis tuæ, et cibas, nutris, et facis tranquillitatem, et præbes pabulum. Relicti et laxati sunt mali, mixti cum bonis in hoc mundo, et zizanium cum tritico, et peccatores cum justis, et rei cum sanctis. Propter triticum servatum est zizanium usque ad tempus messis; et propter bonos relicti sunt mali usque ad consummationem; et propter justos stant et manent iniqui usque in finem; et propter certos non judicantur apostatæ

usque ad diem judicii. Nam si inventi fuissent decem justi, salvarentur quinque civitates propter eos : propter Loth non est subversa Segor. Et si inventus esset in diebus Jeremiæ sustentator ruinæ qui sepivisset sepem, fortasse non destructa fuisset Jerusalem : sicut et stetit Moyses sustentator populi; et Jesus filius Nave sepivit sepem; et Ezechias obtulit preces devotas; et Aza obtulit supplicationem precibus; et Josias mundavit terram a contaminatione; et Daniel revertit captivitatem populi; et Mardochæus monstravit fortitudinem virtutis. Et singuli ex justis illis steterunt in singulis temporibus in jussu illo populi, et obtulerunt preces cum supplicatione, et obtinuerunt miserationes Excelsi.

XII. Et jam hoc tempore quis erit vir ingeniosus, et sapiens medicus, ut sit in jussu, et sepiat sepem? ne impleatur super nos verbum Prophetæ, exprobrantis pseudoprophetas populi, et dicentis: « Tanquam vulpes fuere Prophetæ » tui, Israël, per ruinas; quia non steterunt in jussu, neque » sepiverunt sepem domus Israël[1]. » Beatus medicus ingeniosus, qui fert remedia et fatigatur apud infirmos. Speculator sapiens et ingeniosus annuntiet populo ensem gladii appropinquantem et venientem. Et pugnator pugnans per vim, fortis et utilis, roboretur in probatione illa, ne depravetur in ludo stadii. Et sapiens et industrius cæmentarius fodiat fundamentum, ne structura ejus multitudine fluctuum cadens subvertatur. Et operarius robustus congreget fruges ex æstivo, ne fiat indigens in hiemali. Vigil princeps janitorum non vincatur a somno, ut, cum pulsaverit dominus suus, illico aperiat ei. Et negotiator et intimidus mercator vendat facultates suas, et emat magnam margaritam, per quam ditescere valeat. Et vigilans dux navis custodiat eam rectam, ne submergatur navis et perdat merces cum

[1] Ezech. XIII, 4.

lucris. Et peritus auriga stringat et construat currum suum, ne cadens confringatur, et causet dolorem. Et luctator bonus prompte certet in probatione stadii, ne amittat coronam suam, et fiat derisio sociorum suorum. Et dispensator probe videns administret socios suos, et non insipienter factus iners dicat in corde suo : Ecce dominus meus tardavit venire. Et operarii adjutores fatigentur in vinea, ut custodiant superadditum cum vigilantia oculorum. Et paranymphi præparent vestem nuptialem, ut, cum venerit dominus, intret cum eo in thalamum. Et adjutores pauperum distribuant facultates suas, et mittat thesauros suos in mundum, in quem tendere nituntur. Et pueri pacis extinguant turbationes adversitatis, ut fiant digni fieri filii Patris cœlestis. Et clangentes tuba, canentesque buccina, annuntient exercitui, ne requirantur a manibus eorum animæ captivorum et cadentium. Et ligati populi sedeant in munito et in occulto jejunantes, seque parantes, expectent redditionem. Et habentes claves aperiant januam iniquis, ne claudatur janua Regni contra eos. Et mortui huic mundo, et elongati separatique a concupiscentia, abstineant in hoc mundo ab omni deturbativa voluptate. Et generati ex aqua, ac salvati pretioso et inæstimabili sanguine, caveant ab igne et a tenebris exterioribus. Et armati thorace mittantur cum exercitu, ne fiant derisio omnium suorum sociorum. Et qui expectant clamorem, parent lucernas suas, ne fiant indigentes instar virginum stultarum. Et ædificantes turrim numerent et ponderent sumptus turris, ne fiant derisio viatorum. Et pastores suspecti suspicionemque habentes, sint oculati in greges suos cum attentione, ut accipiant redditionem a summo Pastore illo. Et accipientes argentum ostendant utilitatem et lucrum crumenæ, ne sint in tenebris cum servis pravis et inutilibus. Et homines sanæ mentis spolientur passionibus infirmitatum, et non formi-

dent a motu fluctuum cumulatorum. Et invitati ad nuptias parent dotes et adjutores, et induantur veste digna thalami. Et mœstitiam habentes sufferant opprobria. Et virgines prudentes præparent lucernas suas.

XIII. Perveniamus ad nos ipsos, amabiles mei, per laborem, et fatigationes, et vigiliam, et petitiones, et jejunia, et preces, et devotas supplicationes; forte cito transibimus ex hoc mundo, et inveniemur rei in certo judicio Dei. Non negligamus quidquam in ministerio Sancti, ne spernamur ab eo; sicut et ait per Prophetam : « Quia sprevisti tu Le» gem Dei, sprevimus te a sacerdotio illo[1]. » Et iterum scriptum est : « Gloriantes spernam, et contemptores mei » spernentur[2]. » Jam videte quamnam redditionem acceperint sacerdotes qui contempserunt ministerium ejus. Nadab et Abiu, sacerdotes Sancti, habentes amictum, ornatum deauratum, induti purpura et bysso, coronati, habentes rationale et torquem, offerentes sacrificia et expiantes Israël, magistri populi, et sanctificantes gentes, cum ingressa fuisset in eos modica plena negligentia inertia, contempserunt ministerium Sancti, et tulerunt extraneum ignem in importuna hora : accensus est ignis a thuribulis illis eorum, et combussit eos; et extraxerunt et projecerunt eos extra castra. Ophni et Phinees quoque, filii Heli sacerdotis, quia magnificaverunt semetipsos plus quam ministerium quod committebatur eis, et acceperunt digna a populo de ordinata fornicatione, et contempserunt mulieres quæ veniebant orare in tentorio officii; et Heli pater eorum non corripuit eos acriter et dure acerbis verbis, sed remissis et solutis verbis punivit eos : nam cum audivisset a populo murmurationem quod pessime procederent sacerdotes, magister vocavit, et ait eis : « Filii mei, quinam est iste rumor quem » audio de vobis ab omni populo isto, quod spernatis vos

[1] Osc. IV, 1. — [2] 1 Reg. II.

» populum Dei? non est rectum quod audio. Nam, *inquit*, » si vir peccat in virum, a Domino petit; si autem peccet » in Dominum, a quo petet[1]? » Hæc est remissa et soluta correptio reprehensionis : namque corripuit filios suos, et siluit; et ab illa correptione ejus non receperunt correctionem. O Heli vir sacerdos, caput et patriarcha populi, cum non audiverint filii tui, viri impii, non licebat tibi sacerdotium, quo fungebaris, communicare peccatis quæ patrabant filii tui. At manifestum et evidens est quod ad oculos populi corripuerit eos, et non ex toto corde suo. Propterea cautos reddidit nos Salvator noster, dicens : « Quod si oculus tuus scandalizat te, abscinde et projice abs te; vel » manus tua, vel pes tuus[2]; » quia hæc membra pretiosa sunt in corpore : oculus videt, manus operatur, et pes ambulat. Et ait : Si hæc membra faciunt te apostatam, abscinde et projice ea abs te. Et si tu solus, non sit additum ex vita illa. Et Moyses itidem admonuit, sicut Salvator noster : « Si filia tua, vel uxor tua, vel omnis amicus tuus, » ut anima tua amabilis; vel aliquis ex his exhortetur te, » dicens : Relinque Dominum, et veni, eamus et colamus » idola aliena; noli exaudire, et noli assentire : et noli parcere, et noli abscondere eos, sed lapidibus lapidentur, et » moriantur[3]. » Et Salvator noster iterum docuit : « Qui » non diligit me plusquam patrem, et matrem, et animam » suam, non potest esse meus discipulus[4]. » Moyses ait : « Dilige Dominum Deum tuum ex tota anima tua, et ex » tota virtute tua, et plusquam omnia tua[5]. » Docuerunt nos Scripturæ sacræ ut festinantes inclinemur in eas, ut diligat nos Deus et ducat nos in regnum suum gloriosum. Jam pro peccatis filii Aaronis induti sacris vestibus, gloriosi, et dicati sanctitati, projecti sunt extra castra sine in-

[1] 1 Reg. II, 24, 25. — [2] Matth. v, 29. — [3] Deut. XIII, 6, 8, 9. — [4] Matth. x, 37. — [5] Deut. VI, 5.

dulgentia in locum pollutionis. Et pro iniquitate filiorum Heli cecidit populus in ense gladii Philistæorum, et capta est arca testamenti; et asportarunt et introduxerunt in Azotum in custodiam Dagon, in domum contaminationis. Et iterum Oza sacerdos, quia contempsit ministerium arcæ, desolavit Dominus in eo desolationem, et mortuus est. Et quinam quidem fuit contemptus Ozæ, amabiles mei? nisi quia portavit ille arcam plaustro : transgressus est Legem, et fecit quod non præcepit ei Moyses. Nam cum Patriarchæ obtulissent in sacrificium festivitatis Tabernaculi officii vitulos et vitulas, præcepit Sanctus Moysi servo suo, dicens : « Accipe ex istis, et trade Levitis, ut » his vitulis operentur opus tabernaculi officii, filiis Ger» son, et filiis Merari [1]; » sed ait : « Filiis Caath noli da» re; quia obsequium sanctuarii committitur eis, ut hu» meris suis portent cum honorificentia, honore et caute» la [2]. » Et id scitis vos, fratres mei, quod arca testamenti nunquam fuit posita super plaustrum, ut portaretur, usque ad tempus quando primates alienigenarum miserunt eam, et posuerunt eam super plaustrum, et junxerunt ad illud duas vaccas lactantes vitulos. Et cum suscepissent et recepissent filii Israël, deposuerunt illam Levitæ ex plaustro illo, et posuerunt eam in domo Aminadab in Gaboth, secundum consuetudinem portandi eam humeris suis, sicut et jussit Sanctus Moysi. Et Oza non intellexit. Nam et Jesus filius Nave, cum transiret per Jordanem, jussit sacerdotes portare, et anteire populum, ut daret locum, et divideretur Jordanes. Tamen et ex eo non intellexit Oza, et recepit certam sententiam judicii iræ. Et David timuit asportare ad se arcam testamenti Dei, et tulerunt eam in domum Obededom Gethæi, qui erat ex alienigenis illis, ex

[1] Num. VII, 5. — [2] Ibid. 9.

populo polluto, et non ex Israël. Et ex hoc sciemus quod is qui non honorabat arcam testamenti Dei immergebatur in dolores et in plagas amaras, sicut percussi sunt alienigenæ in secretiori parte natium; et exclamaverunt Accaronitæ clamore magno, dicentes: « Revertatur arca in Geth[1]. » Tunc temporis sciebat quidam Gethæus nomine Obededom, cum alienigenæ in tempore illo cepissent et tulissent arcam, et fecissent arcæ dotes sacrificiorum. Et mortui sunt Ophni et Phinces, contemptores ministeriorum cultus. Et timuerunt, et perterriti sunt alienigenæ, et honoraverunt arcam Dei. Et cum mitterent illam, honorificis donis sacrificiorum miserunt eam; et æstimata erat in oculis eorum tanquam magnus Deus : nam et prius cum vidissent eam venire ad castra illa, clamaverunt, dicentes : « Væ! » quid fuit nobis? Ecce Deus venit in castra Hebræorum. » Confortamini, et corroboramini, state fortes, et nolite timere, viri robusti pugnatores alienigenarum; quia hic est » Deus qui percussit Ægyptum diversis plagis[2]. » Et jam videte, amabiles nostri, quod Obededom ille Gethæus, quia ingressa est in domum ejus arca testamenti, recepit benedictionem. Et cum eduxisset David ex domo Obededom arcam in civitatem Sion, jussit sacerdotibus, et portaverunt illam super humeros suos. Et ipse David pedes veniebat, et choream ducens instar saltantium, saltabat ante arcam, et exultabat gaudio magno. Et Michol filia Saül despexit eum, et merces despectus ejus fuit sterilitas uteri. Hæc, amabiles nostri, necesse fuit scribere vobis, ut reducamus in memoriam vestram et nostram, quod, quia nos contempsimus obsequium cultus Sancti, venerunt et acciderunt nobis hi omnes eventus in hoc tempore; et quia non honoravimus et non magnificavimus eum, facti sumus

[1] I Reg. v, 11. — [2] Id. iv, 8.

opprobrium subsannationis coram inimicis nostris, et contempti sumus, sicuti dixit : « Contemptorem mei contem» psi[1]. »

XIV. Obtenebrata est mens nostra propter superbiam, et superavit nos malitia avaritiæ. Facti sunt in derisum fontes sapientiæ. Ceperunt caliginosæ tenebræ angulum disciplinæ. Per avaritiam et superbiam ingressi sunt homines in mundum. Per superbiam, malitiam et cibum peccavit Adam, et exivit ex Paradiso. Reliquit et laxavit Sanctus ante Adamum omnes arbores Paradisi, quæ ferebant et habebant fructum benedictum in extremitatibus ramorum suorum. Et ait ei : « Ex omnibus comedes, de ligno autem » scientiæ boni et mali non comedas, ne moriaris[2]. » Et non fuit sufficiens lascivæ avaritiæ totus Paradisus, melior et speciosior omni terra in qua nunc seminati sunt filii Adæ. Et omnes justi sunt parati in fine quiescere in illo, quando aufertur potestas avaritiæ; sicut et ait Salvator noster ei qui a dextris erat : « Hodie mecum eris in paradiso volup» tatis[3]. » Item ait per Prophetam : « Justi hæreditant ter» ram, et habitant in ea in æternum[4]. » Et non possident illam a generatione in generationem, quia transiens transit, sicut et scriptum est : « Cœlum tanquam fumus trans» ibit, et terra hæc tanquam vestis consumetur[5]. » Et Dominus noster dixit : « Cœlum et terra transibunt, verba » autem mea non præteribunt[6]. » Cœlum hoc supra nos, quod nuncupatur firmamentum, transit; et terra hæc sicca consumitur : at terra vitæ, et cœlum supra firmamentum nec consumuntur nec transeunt. Et terra illa tota et Paradisus totus non fuit sufficiens parcæ avaritiæ quæ ingressa est in Adamum; adeo ut concupiverit, ut et de quo admonitus fuit acciperet et comederet. Et propter avaritiam

[1] Isai. XXXIII, 5. — [2] Genes. II, 16, 17. — [3] Luc. XXIII, 43. — [4] Psalm. XXXVI, 11. — [5] 2 Petr. III, 10. — [6] Matth. XXIV, 35.

vendidit Esaü primogenituram, et decidit a benedictione. Et propter malignitatem Pharaonis destructa est terra Ægypti; et non fuit sufficiens avaritiæ ejus totus populus, quem tenebat sub tributo servitutis, sed et voluit etiam Israël projicere in servitutem humiliationis. Et filii Aaron, quia malignati sunt, contempti sunt a sacerdotio. Et quia filii Israël concupiverunt escam parcitatis, quandoque dominata est in eos mortifera indignatio iræ, et serpentes et variæ aliæ plagæ. Et Achar propter insatiabilem concupiscentiam avaritiæ lapidatus est, et periit a populo suo. Et ipsos sacerdotes filios Heli avaritia maligna perdidit a vita. Et Saül electus rex populi, quia prævaricatus est in anathemate Amalech, cecidit et abcissum est regnum ejus ab eo. Et Achab filius Amri, rex Israël, concupivit et rapuit vineam Naboth; cecidit in bello illo in Ramath Galaaditarum. Et Giezi, discipulus Elisæi, per avaritiam suam indutus est lepra. Avaritia occidit multos, et orbavit eos vita sua. Judæ proditoris, qui fuit unus ex illis duodecim, avaritia non fuit repleta, quia furabatur : is cum accepisset pretium triginta argenteorum, per avaritiam separatus est a Discipulis illis sociis suis. Et Ananiam avaritia ipsius superavit, et facta sunt in eo miracula ante pedes Apostolorum. Et non fuit sufficiens avaritiæ totus mundus : nam reges omnium nationum et linguarum irritat, et non fit satis unicuique eorum potestas regni sui. Congregant et aduniunt exercitum, præliantur et pugnant inter se; prædantur et incendunt civitates, et in præda accipiunt provincias alterutrius; redigunt in captivitatem, et possident, et nihil satis est eis; laborant, fatigantur, et discunt bellum; subvertunt civitates, faciunt venationes; ascendunt, et perveniunt usque ad excelsa; nituntur, et descendunt usque ad abyssum, ut fortasse repleatur avaritia, et non repletur. Crescentibus divitiis, crescit avaritia, et affluentibus possessionibus corroboratur

cupiditas. Satis est pauperi annona diei; dives autem curat omnia multorum annorum. Vestis lacera satis est pauperibus; avaritia autem habens vestem discolorem omnium colorum, omnium provinciarum, stat mera nudis membris. Lectus pauperum terreus, et satis est eis; lecti autem divitum throni decorati pretiosis ornatibus ex omni genere colorum, et hoc parum est avaritiæ. Potus pauperis aqua, et ea satis est; dives autem bibit vinum multorum annorum, et sitiens stat stupidus. Possident divites aurum et argentum, et fiunt eis in offendiculum, et eo moriuntur. Fugit somnus omnium avaritiæ deditorum; somnus autem pauperum est tranquillus, et quietus, et securus. Cogitat afflictus præbere ex pane suo egenis; dives autem stat in magnis curis, utrum inveniat aliquem imbecilliorem se, ut deglutire eum valeat. Beatus vir quem non vicerunt dolores avaritiæ : beatus homo qui studuit scientiæ, quæ placet Deo; quia per illam discinduntur radices avaritiæ.

XV. Et de hoc quod scripsimus vobis, amabiles nostri, vos ex vobis plane scitis quod causa avaritiæ fremuerunt, odium habuerunt, et æmulati sunt qui habent potestatem doctoratus hic in populo nostro. Et non fuit proportionatum studium nostrum gressibus nostris. Oblique ambulavimus, et sinistre correcti sumus. Etiam super sanctam impositionem manuum, quam recipiunt a nobis, propter nomen solum certant. Et non statim usquam alicubi invenitur, si quis quærat quis sit timoratus Dei? sed quis antiquior impositione manuum? Et quando dicunt quod iste sit antiquior, aiunt ei : Tibi licet in primo loco discumbere. Et non est aliquis qui recordetur verborum Salvatoris, qui dabat væ Scribis et Pharisæis, dicens : « Væ vobis, qui amatis cathedras in foro, et primos recubitus in cœnis, et vocari ab hominibus : Rabbi, Rabbi[1]. » Fratres mei, nomina

[1] Luc. xi, 43.

non ducunt in vitam, et non eripiunt a morte; sicut non eripuerunt Nabath, et Abiu, et Ophni, et Phinees; sed juxta nomen opus est bonis operibus. Nam opera sine nominibus eripiunt fatigatos suos; at nomina sine bonis operibus nullatenus sunt proficua et utilia; sicut et superius scripsimus. Et fratres nostri gloriati sunt nomine quod recipiunt, ligare, et absolvere, et honorari per illa : et dicit etiam, Ego habeo potestatem. Et jam hodie impletum est verbum Prophetæ, dicentis : « Magnus loquitur voluntatem animæ suæ[2]. » Et iterum : « Oves meæ dispersæ sunt, ex eo quod non esset » pastor[3]. » Et iterum : « Paverunt pastores semetipsos, et » gregem meum non paverunt[4]. » Et iterum : « O pastores, » qui perditis et dispergitis oves pascuæ meæ[5]. » Et iterum : « In pascua bona pascimini vos, et quod manet concultatis » pedibus vestris. Aquam ex nive bibitis vos, et quæ manet » turbatis pedibus vestris; et ovis mea pascitur eo quod calcaverunt pedes vestri, et bibit aquam turbatam quam vos » addidistis[6]. » Iterum : « Pinguia ovis manducatis, et lanis » operimini, et gregem non pascitis; sed subditis eam cum » malignitate. » O pastor qui nescivit honorem sui ipsius! tu quis es, qui judicas servum qui non est tuus? nam si stat, domino suo stat; si autem cadit, domino suo cadit. Si autem non potest justificari, quare peccas peccare? si autem superbis in me, et dicis : Doctor et corrector sum ego super te; et quando non accepto te, ligas me; cum tu sis gloriatus, in superbiam elatus, et factus ambitiosus. Et quomodo doces : « Diligite alterutrum, » cum sis plenus indignatione iræ et odio? et quomodo doces me : Si quis accipiat tuum, noli exigere, cum tu exigas tuum et accipias etiam mercedem cum usura? et quomodo doces me : Humiliare, cum tu sis jactans, petulans et impudicus? et quo-

[1] Mich. VII, 3. — [2] Ezech. XXXIV, 5. — [3] Ibidem, 8. — [4] Ibidem, 9. — [6] Ibid. 18, 19. — [5] Jon. III, 23.

modo doces me : Relinque mundum, cum tu stes cadens et suffocatus inter nos ? et quomodo doces me : Redde te tranquillum pauperibus, cum tu immaniter persequaris pauperes socios tuos ? et quomodo doces : Relinque odium cordis tui, cum tu ecce tenueris in te vetus fermentum cum vindicta ? et quomodo doces : Fac pacem cum fratre tuo, cum tu ecce turbatus deturbes populum multum ? Si autem viderim in te fructum deordinatæ iniquitatis, dicis mihi : Injustus et iniquus sum, tu sequere verba mea. Qui docet et facit, magnus vocabitur. Accepisti, suscepisti, et involvisti argentum : commissæ sunt tibi claves ; tu non intras ; et qui veniunt et volunt intrare, non sinis. Ecce factus es tu oculus corporis cæcus, et corpus tuum obtenebratum est, ex eo quod non esset oculus. Factus es tu cæcus, et totum corpus tuum obfuscatum est et denigratum : ecce jam facta est mixtura. Quoniam cæcus cæcum ducis, et vis projicere te totum in foveam. Sal cum fit insipidum, projicitur foras. Et servus qui involvit argentum, exit in tenebras exteriores. Et dominus dispensatoris qui torquet socios suos, exigit a manu ejus. Et oculus indocti pastoris excæcatur, et brachium ejus exarescit. « Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Dominus ? et juris periti non moverunt me ; » et pastores mentiti sunt mihi. Et ex prophetis ipsis Hierosolymæ exivit idololatria per omnem terram. Et principes » populi mei collegerunt racemos in eo, et mulieres domi- » natæ sunt in eum. » Dominum itaque nos non timuimus : rex quid faciet nobis, væ nobis ! qui eventus acciderunt nobis ? nam aliqui reliquerunt Legem, et gloriantur in peccatis. Et non est nobis ratio sedere, tacere et stupere cum admiratione. At tu, qui es doctor, dicis mihi : Veni, et esto consors mecum, et adjutor in operibus quæ ego operor. Jam ergo, doctor, ad te impletum est verbum Domini nostri, qui ait : « Circuitis et mare et aridam, ut faciatis unum


» proselytum ; et cum inveniatur alicubi, facitis eum hære- » dem gehennæ[1]. » Propheta mentitus est, et decepit socium; et quia audivit verba ejus, traditus est in manus leonis, et fregit eum[2]. Et cum erravissent sacerdotes et prophetæ multi in diebus Achab, remanserunt Deo septem millia virorum qui non flexerunt genua sua ad adorandum idola Baal[3], et non sunt secuti in perditionem iniquos sacerdotes et cæcos præsules; quos neque Elias sciebat. Jam quod Roboam divisit regnum, ego sequor eum? et quod ille reliquit Deum suum, ego habeo viam ejus? absit. Eripe me, Deus, ab eis.

XVI. Et dicis mihi : Ego sum dignus, et elegit me Deus meus, et unxit me regnare super pueros populi mei. O homo, audi cum persuasione. Juravit Deus, et pollicitus est Phinees filio Eleazari, ut fieret pactum sacerdotii ejus, et filiorum ejus in æternum[4]; et ministravit ille sacerdotium omnibus diebus judicum, quasi trecentis sexaginta quinque annis : et deinde stetit Heli. Et cum transiisset Heli et filii ejus juxta digna Legis, mutavit Sanctus promissionem doni sui, et ait ad Heli per Prophetam : « Ego sic dice- » bam, quod tu et domus patris tui ministretis coram me » in æternum : deinceps absit, dicit Dominus. Nam glorifi- » cantes me glorificabo, et contemnentes me contemnam[5]. » Et Isaac pater noster voluit benedicere Esaü primogenitum suum ; Jacob autem electus est ex utero matris suæ, et accepit benedictionem ; sicut et prænuntiavit Rebeccæ, dicens : « Major serviet minori[6]. » Et elegit Sanctus Saül ut fieret rex ; et quia non fecit secundum voluntatem ejus, elegit David et sprevit Saül. Et jam ornant et præbent nobis fratres nostri insipidam responsionem, quæ non coordinatur, dicentes : In malo hoc tempore constituit nos præsules

[1] Matth. XXIII, 15. — [2] 3 Reg. XIII. — [3] Ibid. XIX. — [4] Num. XXV. — [5] 1 Reg. II, 30. — [6] Genes. XXX, 23.

populi, juxta similitudinem Jehu, qui unctus est in ipso interiori cubiculo. At si quis interroget te, o scriba sagax et sapiens, gnarus et peritus litterarum, quandonam facta est promissio donorum unctionis Jehu, et quandonam pervenit ille et accepit unctionem, quid dices ei? Datum est jussum Eliæ in monte Oreb, dicens : « Vade, et unge Jehu, » ut regnet super Israël, et perdat domum Achab[1] : » et Elias ministravit multos annos, usque ad tempus elevationis suæ : et post eum stetit Elisæus : et cum pervenisset tempus Jehu, et impleta fuisset mensura peccatorum domus Achab, tunc Elisæus misit aliquem ex filiis prophetarum; et profectus est, et unxit eum secundum jussum. Quod si assimilantur res Jehu, quod ita sit de sacerdotibus : ergo sic datum est jussum, ut stet in populo, et quod, quando stat perdat omnes fratres suos, et liget, et faciat sequi, sicut et occidit Jehu et perdidit domum Achab. Hæc responsio : Similis est Jezabel, quæ, cum vidisset Jehu venientem regnantem, decoravit et ornavit sylvas supercilii, et nigravit et fuscavit media oculorum ad pupillas, et adhibuit stibium et variatam tincturam, et decoravit frontem ornamento albo, et ornavit se veste discolori, et respexit desuper per fenestram ipsam, et ait ei : « Sanus venit Zambri occisor Domini[2]. » Et responsio sibi fuit testamentum, et sententia mortis : et occidit eam Jehu, et laceravit eam, et projecit canibus. Si electus fuit ab utero matris suæ, sicut Jacob, dicant nobis; si ex utero sanctificatus est, sicut Jeremias; si ordinatus est ad regnum, et vocatus est filius Dei, sicut Salomon; si electus fuit ante conceptionem suam, sicut Josias; si ædificavit templum, sicut Cyrus. Et jam percipe in te, o fili hominis, quod Aaron non honoravit seipsum, ut fieret caput sacerdotum. Et cum voluisset Deus facere Moysen deum Pharaonis, et caput pue-


[1] 2 Reg. XIX, 15, 16. — [2] 4 Reg. IX, 31.



rorum populi sui, pluries renuit, ita ut magno labore miserit eum in Ægyptum, et fecerit per manum ejus signa et portenta. Vel an respicimus in altitudinem staturæ ejus, sicuti Saül? vel an in pulchritudinem faciei, sicut Eliab? vel in perfectam staturam et pulchritudinem, sicuti Absalom? Ecce noluit Dominus respicere in pulchritudinem staturæ et faciei, neque in superbos et in arrogantes; quia ait Samuël : « Dominus scrutatur corda, et homo oculis » videt[1]. » Et Apostolus inquit : « Elegit Deus stulta mundi, » ut per ea confundat fortia; et elegit ignobilia, et contem» ptibilia, et inutilia, et ea quæ penitus non sunt, ut ea quæ » sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu » Dei, a quo vos facti estis[2]. » Et Jeremias inquit : « Non » glorietur fortis in fortitudine sua, et dives in divitiis suis, » et robustus in valore suo; sed qui gloriatur, in Domino » glorietur[3]. » Nam filii hominum, creaturæ sunt Dei, et non est in conspectu ejus servus et liber, dives et pauper; sed quicumque colunt eum, pares, æquales sunt ante eum. Et si secundum multitudinem verborum et loquacitatem glorientur filii hominum, tamen neque per illud justificari possunt; nam scriptum est : « Secundum multos sermones » non exaudit Deus[4]. » Et vir eloquens nequit justificari ante eum per verba sua; nam scriptum est : Traducit sermones a sagacibus, et in mentes senum stuporem immittit[5], cum multis aliis quæ scripta sunt.

XVII. Sed jam, fratres nostri, sequimini pacem, et contendite studere ædificationi concordiæ, et facientes obmutescere, extinguite mala iniquitatis; transmittite hostilitatem odii, et facite annuntiationibus concordare amaros. Quippe non convincitur veritas ab iniquitate, neque superatur certitudo ab impietate, neque siletur pax a contra-

[1] I Reg. XVI, 7. — [2] I Cor. I, 27, 28, 29. — [3] Jerem. IX, 23. — [4] Matth. VI, 7. — [5] Isai. XXIX. 14. I Cor. I, 19.



rietate, neque veritas fallitur a mendacio : neque justus concordat cum iniquo, neque rectus cum peccatore, neque bonum cum malo, neque dulce cum amaro, neque tenebræ cum luce, neque splendor emicans cum obscura caligine, neque salitum cum insipido, neque nova conspersio cum veteri fermento; nec ignis cum aqua; neque pueri ædificationis cum perturbatoribus, neque fideles cum contemptoribus et delusoribus, neque coronati cum ligatis in carcerem conjectis, neque numerus dexter cum sinistro, neque filii Regni cum filiis gehennæ, neque timorati Dei cum perturbatoribus gregis, neque Ecclesia sancta cum amaris studiis mali. Non occultatur iniquitas, neque latet falsitas. Jam qui vult currere, et fatigari in ædificationem pacis, recipit beatitudinem, quam dedit Salvator noster, dicens : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur[1]. » Quis vero non desideraverit fieri filius Patris cœlestis, et frater Christi Regis ? Videte ergo, fratres nostri, quam magnæ et bonæ memoriæ sint qui laborant, et fatigantur in ædificationem pacis populi. At quam obligationem habebat Salvator noster ad mortem ? vel quid mutuatus fuerat ab inferis ? nam vivens pro amaris et rebellantibus mortuus est, et operatus est concordiam, concilians eos cum Patre suo. Intravit ad inferos, et eruit detentos ; et pugnans cum hoste, vicit eum; evulsit, et delevit vestigia ejus, et diripuit facultates ejus; fregit et subvertit portas ejus, et concussit ac contrivit seras ejus. Suscepit spinam, et posuit in capite suo; et signavit animas nostras sanguine sui ipsius. Solvit ligatos ab abysso impediente. Accepit ensem, et acutiorem partem ensis a ligno illo vitæ, et auferens maledictionem, fixit in cruce sua. Congregavit dispersos, et subjugavit a longinquo tempore rebelles. Replevit esurientes, et dedit bibere sitientibus. Sanavit cæcos, curavit æ-

[1] Matth. v, 9.

gros, erexit curvatos, et dedit pedes claudis. Abstulit dolores nostros, et unxit vulnera nostra. Sanavit languorem infirmitatis nostræ. Approximavit remotionem nostram, congregavit dispersionem nostram, et fecit nos pueros conventus sui. Fecit nos divites paupertate sua, sanavit nos infirmitate sua, curavit nos crucifixione sua, et afflictionibus et laboribus suis reddidit nos tranquillos. Et quia sustinuit ille hæc omnia propter nos, dedit illi Pater ejus nomen quod est majus et excellentius omnibus nominibus, ut flectatur omne genu ipsi nomini Jesu, non tantum cœlestium, sed etiam terrestrium[1]; et cum flectuntur et adorant, dicant quod Dominus Jesus Christus sit in gloria Dei Patris sui. Et ille est Dominus et Judex virorum et mortuorum, sicut et ait in Evangelio suo, dicens : « Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio suo[2]. » Merces vero laborum Salvatoris nostri hæc est, nempe nomen majus et excellentius omnibus nominibus; eo quod domuerit mundum hunc rebellem, et statuerit in ædificatione concordiæ. Et qui participant cum eo, et faciunt ædificationem pacis, fiunt fratres et filii Dei, et possident regnum : ministrant, et ministratur eis a vigilibus cœlorum, qui sunt sine rancore et sine invidia, sine fatigatione et sine labore, sine somno et sine cessatione, et exultant, jubilant cum peccatoribus de peccatis pœnitentiam agentibus. Amabiles nostri, non discamus Litteras divinas ut legamus tantum, sed etiam ut faciamus. Et jam sic nobis videntur res, quod, quamdiu manet homo in odio et in hostilitate, orationes ejus non sunt acceptabiles, et preces ejus non sunt exaudibiles, et sacrificium ejus de terra non elevatur, et eleemosynæ ejus non fiunt in expiationem peccatorum. Nam quamdiu ædificatio pacis non est in medio, aperta est janua malorum, increpatio et correctio reprehensionis; et non est jus, et interrogatio, et

[1] Phil. II, 10. — [2] Joan. V, 22.

probatio examinis. Percussum est triticum cum palea; mixtum et confusum est zizanium mali. Germinant spinæ, et multiplicantur turbatores; corroborantur irrisores, et multiplicantur contemptores; non est reprehensio nec correctio congruentiæ, nec sunt sapores ferculi sapientiæ. Insipidum et transactum est sal. Obscuratus et obtenebratus est oculus. Ablata et sublata est merces cum lucris, et non est pax intrantis et exeuntis. Hunc fructum procreat hostilitas. Jam nunc videntur virtute præditi et separantur, et sejunguntur robusti et utiles; et omnes martyres subita promptitudine transeunt per solemnem probationem. At eis qui fatigantur in ædificationem, et student ad pacem, servata est merces et retributio multa. Hi sunt qui stant in destructo, et reparant destructum, et tradunt semetipsos in laborem fatigationum pro populo suo, et scripti pinguntur in bonam memoriam cum operariis fortibus et virtute præditis,

XVIII. In variis sæculis, amabiles nostri, juxta singula tempora congrui, secundum voluntatem benefici Conditoris nostri, honoravit et magnificavit humiles, arrogantes autem contempsit et sprevit; exaltavit et glorificavit demissos, humiliavit autem et depressit ambitiosos; ad paupertatem et ad inopiam redegit divites, elevavit autem et promovit pauperem; debilitavit fortes, et corroboravit et ditavit debiles; comminuit et subvertit viros ex magna prosapia, et replevit et suscitavit debiles et deficientes. Exaltavit Seth minorem pro Caïn primogenito, et Noë pro Adam, secundum patrem mundi hujus, Isaacum pro Ismaële, Jacob pro Esaü, Joseph pro Ruben, Ephrem pro Manasse, Eleazarum et Ithamar pro Nadab et Abiu, Josuë et Caleb pro exploratoribus sociis eorum, Samuëlem pro Heli, David pro Saül, et Salomonem pro Adonia, et Roboam pro Jeroboam, Mardochæum pro Aman, Danielem et fratres ejus pro sapientibus Babyloniorum, et gentes pro populo. Iti-

dem et mulieres exaltavit : Sarai pro Agar, quæ peperit primogenitum; Rachel pro Lia, Annam pro Phenenna, et Esther pro Vasthi. Et prophetia et jura judiciorum tradita sunt in manus mulierum in variis temporibus, cum voluit Exaltator humilium : Maria prophetissa, et Anna prophetissa, Holda prophetissa, et Elisabeth prophetissa. Maria prophetissa genuit caput Prophetarum; et Debbora prophetissa rexit Israël in diebus Barac. Et nemo sprevit voluntatem Dei, et benefici Filii ejus : nemo enim discrevit jura ejus, et viæ ejus non eunt in examen, et nemo sumit mensuram judiciorum ejus, et consilia ejus non comprehenduntur.

XIX. Nam grandia sunt opera Dei, et profunda, et admirabilis est mens consiliorum ejus. Pendentes sunt cœli sine columnis, et firmata est terra hæc sine turribus. Congregavit aquas ductas ad horreum in maribus in quibus stant aquæ. Clausit et arcuit ventos et turbinem in horreo voluntatis suæ. Projecit firmamentum per medium, divisionem aquarum et aquarum. Divisit et discrevit aridam a mari. Fixit luminaria in firmamento. Ut cumulum statuit montes super terram. Divisit et separavit diem a nocte, et hiemem ab æstate. Ligavit et strinxit arenam, terminum maris; et arcuit et projecit mare Oceanum; et undæ in magnos cumulos redactæ, non transeunt terminum. Sol ambulavit sine pedibus, et luna saltavit cum mutatione. Volant nubes sine alis, et spirat ventus sine pennulis. Moventur aquæ sine spiritu, et pendet terra super aquas. Et aquæ congregatæ sunt sub fundamento abyssi. Non est visio ventorum, neque examen aëris ætherei. Non est forma similitudinis cœlorum; nec visibiles, nec manifestæ sunt nubes ad visionem examinis. Vincentes et ingentes sunt bestiæ maris; admirabiles et stupendi dracones sunt in eo. Choreas ducunt anguli cogitationum, et extensæ sunt alæ

mentium; et inquirunt et tangunt sensus intelligibilium. Intuentur oculi cordis, et incedunt ac gradiuntur pupillæ audibilium, ad videndum et ad sciendum scrutationem, et non perveniunt ad omnes comprehensiones.

XX. Quis scivit locum scientiæ? vel quis pervenit ad radices sapientiæ? vel quis intellexit mansionem et habitationem intelligentiæ? Abscondita est illa ab omnibus viventibus, et a cogitatione omnium carnalium : et non intrat in pretium cum auro omnium rudium. Patens relictus est thesaurus ejus petentibus. Clarior est lux ejus sole, et radii ejus splendidiores et pulchriores sunt splendore lunæ. Et scrutantur et tangunt illam abyssi cogitationum, et acquirunt eam sensus mentium, hæreditantque illam horrea sapientiæ. Nam quorum patentia sunt horrea cordium ipsorum, inveniunt eam; et quorum longe extenduntur alæ mentium ipsorum, hæreditant illam : habitat in homine proficuo, et plantatur in corde sapientis. Radices ejus firmatæ sunt in stagnis fontium ejus, et acquirit in ea thesaurum invisibilem. Volant, et ascendunt cogitationes ejus ad celsitudines omnium excelsorum; et velociter feruntur, et descendunt fumi mentis ejus in abyssum omnium tenebrarum. Considerata sunt in corde ejus mirabilia stupendorum, et oculi sensuum ejus vident transitus et extrema marium. Detentæ et clausæ sunt omnes facturæ in mente cogitationum ejus, et anguli morum ejus apti sunt ad recipiendum. Templum magnum est Factoris sui, et ingressus habitat in eo Rex excelsorum. Elevat mentem ejus in excelsa, et facit cogitationes ejus evolare in tabernaculum sanctitatis, et ostendit ei thesauros omnium variorum colorum, et facit penetrare mentem ejus admirabili visione, et captivat mentem ejus in omnes conditos sensus suos, et ostendit ei quidquid nescit. Attendens aspicit mundum illum, et stupefactus admiratur super visione qua omnia vi-

dentur. Incedentes currunt vigiles omnes in ministerium obsequii ejus; et Seraphim dicunt, Sanctus! in honorem gloriæ ejus : volant velocibus alis suis, amicti splendidis, decoris et candidis vestibus suis; cooperiunt facies suas ex timore majestatis ejus, et in cursibus suis leviores sunt aëreis ventis. Recta est sedes Majestatis, et ordinata ac parata sunt jura in tribunali judicii. Directæ sunt sedes justorum : judicant iniquos in die judicii. Cum videt sapiens in mente sua mundum, in quo multi thesauri, tunc elevatur mens ejus, et cor ejus concipit et parit omnia bona, et incumbit et meditatur omnia jussa cum cautela. Visio formæ ejus super terram, et radices cogitationum ejus sursum et deorsum. Velocior est mens ejus sole, et radii splendorum ejus velocius volant quam serpentes citissime pervenientes : alæ tanquam bene volantes ex omni parte. Firmus est sapiens in cogitationibus suis. Parvus et debilis est specie sua; et immissus repletus est a magno et nimio thesauro illo. In nocte tenebrarum illuminatur, et mittit mentem suam per omnes partes. Inquirunt, et explorant cogitationes ejus omnia fundamenta, et ferunt ad eum thesaurum scientiæ. Ipse quod non audivit auribus suis, videt, et quod non videt sentit et scit. Cogitationes ejus transeunt omnia maria, et cumulatæ undæ non putantur ei vehementes. Sine navi et sine nautis sunt gressus ejus, et majores ac præstantiores sunt thesauri negotiationis ejus. Cum dat de suo, non deficit; et pauperes ditescunt ex thesauro ejus. Non est mensura mentis ejus; quia Conditor ejus absconditus habitat in eo. In loco in quem ingreditur Rex, et habitat cum ministris obsequii, quis valet enumerare tibi thesauros ejus? Nam multi sunt sumptus et fruges tanquam Regis; quoniam non est ei indigentia.

XXI. Audite itaque, amabiles nostri, quoniam reduco in vestram et in nostram memoriam quomodo omnes crea-

turæ impleant voluntatem Dei, et nulla resistat jussui ejus, et singulæ earum non differant præceptum ejus; quia ad nutum jussus ejus statim perficiunt voluntatem ejus. Filii autem hominum singulis temporibus differunt, et non perficiunt jussum voluntatis ejus : nec vident, nec audiunt, nec intelligunt, neque percipiunt. Nam Sanctus per Jeremiam exprobravit filiis Israël, et ait eis : « Non timetis me, » neque a facie mea contremiscitis, dicit Dominus. Ego enim » posui arenam terminum maris immutabilem, et interminabilem legem in æternum. Pugnat, et certat, et quidquam nequit facere. Elevantur et cumulantur fluctus, et » non pertranseunt mollitiem arenæ[1]. » Cor autem populi hujus rebellans et exasperans, et noluerunt exaudire jussum præceptorum ejus. Jam videte mirabilia mixta portentis stupendis : nam mare arena ligatum est et strictum, et fluctus obsessi sunt et impediti per jussum, et omnes gurgites ex verbo jussus frænati fræno; cumulantur, et ascendunt usque ad cœlum ; et laborant, et descendunt usque ad profunda abyssi, et terminum qui impositus est eis, non transeunt. Quod si dicat aliquis quod in germine naturæ suæ ligati sunt, intelligens sciat, ex eo quod factum est in diebus Noë, quando commota est ira per aquas diluvii. Accepit verbum a facie abyssi profundæ magnæ, et sejunxit jussum a ligata arena ; et eruperunt aquæ affluentes et non consentientes, et rumpentes substructionem transierunt terminos. Et apertæ sunt cataractæ cœli, et perforatum est profundum firmamenti aquarum mediationis ; et factum est judicium certitudinis in iniquis. Nam profundum firmamenti positum est medium inter aquas superiores et inferiores, ut dividerent aquas ab aquis. Et ordinavit et posuit in eo luminaria, et vocavit ea cœlos. Et congregavit aquas a facie terræ in unum locum ; et stationes aquarum

[1] Jerem. v, 22.

in horrea redactarum vocavit maria; et aridam vocavit terram. Fecit judicium certitudinis in impiis; et occidit et delevit amaros corruptores, et præceptorum transgressores. Tunc deinde reversæ sunt aquæ inferiores in abyssum profundi magni; et stetit arena terminus, servans præceptum voluntatis imperii. Et impeditæ sunt cataractæ cœli, aquæ superiores firmamenti acceperunt locum per jussum; et mundus hic sedit, et ædificatus est inter aquas : aquæ superiores firmamenti, et aquæ inferiores abyssi; et aquæ multæ, quæ impeditæ sunt in nubibus; et frænatæ sunt in jussu voluntatis ejus. Et non solum aquæ impleverunt voluntatem ejus; sed etiam omnes creaturæ perpetuo confestim implent voluntatem ejus. Aquæ in diebus Noë, et ignis, et tenebræ, et bruchus, et locusta, et grando, et omnes plagæ in Ægypto per Moysen. Item obedivit sol et luna, et lapis grandinis, jussui Josuë, quando dixit : Sol in Gabaon stet, et luna in campo Aialon. Et quare stetit sol in Gabaon? nisi quia Gabaonitæ fecerunt refugium, Deum Israël; et egressi sunt contra eos reges Amorrhæorum, donec perderet et occideret eos Josuë, stante sole et manente luna. Et fecerunt jussum ejus stellæ cœlorum, et pugnaverunt ex singulis locis. Et dederunt certamen belli contra Sisaram Madian, in diebus Debboræ. Et fecerunt voluntatem ejus etiam belluæ deserti, quando egressi sunt ursi, et laceraverunt pueros, generationes impiorum. Et leones per jussum servaverunt Danielem in lacu. Et iterum fecit voluntatem ejus piscis qui devoravit Jonam, et iterum evomuit in aridam. Et rursus fecit voluntatem ejus vermis in percussione illa hederæ, tentorii Jonæ, et percussit eam. Aër æstus per præceptum arefecit illam. Etiam corvi ministraverunt Eliæ in valle Carith. Iterum fecerunt voluntatem ejus pisces multi, quando Apostoli Salvatoris nostri ceperunt per miracula. Et alter piscis dedit staterem pro

Domino nostro et Simone discipulo. Et cœli, et terra, et omnes creaturæ faciunt voluntatem ejus omni tempore, et nulla ex eis distulit jussum præcepti ejus.

XXII. Sed apud Adam solum inventa est transgressio præcepti : ex prima die et usque in finem transgreditur jussum præcepti. Porro quæ amaritudo, amabiles nostri, major est hac? nam ad causas concitationis, contentionis et contrarietatis exiverunt aliqui in populo isto nostro, petulantes, maligni et exasperati, contemptores et conviciatores, maledicentes, vindicatores, invidi, perturbatores, dediti passionibus, et avari. Gaudentes de fractione, et volentes scandala maculæ, odio prosequuntur veritatem, et persequuntur certitudinem : raptores, fraudatores, mendaces, et contemptores sociorum; firmati in contaminatione, et confidentes in iniquitate; derisores bonorum, et congregatores utile quærentium; despectores certitudinem quærentium, et amatores contentionis : turbæ concordes, turbæ contendentes, rixas suscitantes, congregationes consentientes, concipientes peccata, et parturientes iniquitatem et mendacium; vagabundi, loquaces, admonitionem refutantes, correctionem expellentes, pleni indignatione, difficiles mente, obstinati voluntate, odio prosequentes, elati et superbi, deturbatores, raptores, fraudatores et adulatores; evulsores verborum, implicatores sermonum, avari et polluti; deceptores ad perditionem, ebrii et epulones; mendaces et dolosi; odium servantes, vindictam occultantes, corruptionem amantes, reddentes mala per vindictam, prompti et celeres ad contentionem, pleni dolo, privati gratia, dantes argentum, et vendentes ad usuram. Operarii mali, mercenarii pravi, comedunt in nomine Domini, honorantur in nomine Domini, et invocant nomen ejus, et a verbis ejus inanes evacuati sunt. Hi sunt operarii dolosi, argentum involventes, inutiles et infructuosi. Hi sunt servi mali, socium

scindentes, et zizanium in medio tritici. Hi sunt tenebræ immunes a luce, falsi prophetæ, et Christi fraudulentiæ. Hi sunt viri sinistræ alæ, hæredes tenebrarum, et quærentes aquam, et mendicantes aquam in terris. Hi sunt tribuli in vinea, ædificantes super agitabilem arenam. Hi sunt avertentes pharetram a bello, umbilici Dei, et quærentes gloriam ex ignobilibus. Hi sunt paries dealbatus, virtus Maligni, et generatio Diaboli. Hi sunt serpentes occidentes, canes obmutescentes, qui nequeunt latrare. Hi sunt justificantes seipsos, male sapientes, male cogitantes, et insipientes. Hi sunt rixas concitantes, turbantes, voluntates dividentes, et scandalum parturientes. Hi sunt dormitantes a bonis, et vigiles ad malum, et generantes pugnam. Hi sunt amatores sui ipsorum, inimici Dei, saginata sacrificia, exosa Christo. Hi sunt fermentum vetus, utres consumpti, et vestis lacera. Hi sunt semen spinæ, rupes seminis, et arena ædificii. Hi sunt reliquiæ superfluæ ex regno, humus serpentis, et lucerna sub modio. Hi sunt sal insipidus, missus foras, inutilis ad usum : hi divisi a bonis, argentum pollutum, et vas fractum. Hi sunt vinea ferens spinam, vitis amaritudinis, et planta Gomorrhæ. Hi sunt argentum abjectum, quod Dominus sprevit et vocavit pollutum. Hi sunt germen transactum, virgines fatuæ, principes janitorum dormientes. Hi sunt justificantes reos, et condemnantes justos, et filii irrisorum. Hi sunt odio prosequentes consilia, contentiosi, et susurrones sermonibus. Hi sunt obloquentes, clam submurmurantes, et in occulto susurrantes. Hi sunt misere loquentes, intuentes ad petendum, dicentes, Da mihi, et discordias seminantes inter fratres. Hi sunt lingua mendax, et cor cogitans peccata et meditans iniquitatem. Hi sunt dulcia verba proferentes, et amaritudine pleni, et habentes linguas jaculantes. Hi sunt pugnantes victi, et duces navium submergentes, et venatores ad perditionem. Hi sunt

docti dolosi, labefactantes voluntates, et concitantes bellum. Hi sunt nuntii turmam facientes, discordiam seminantes, abnegationem petentes, et reges provocantes. Hi sunt pharmacum mortis, et venenum serpentis basilisci. Hi sunt inimici Crucis, abnegati ab ipsa Cruce, et exosi Christo. Hi sunt filii hostilitatem generantes; et hi sunt fructus schismatum.

XXIII. Amabiles nostri, filii ædificationis, vos estis lux mundi, sal terræ, et oculus corporis. Vos estis pueri thalami, semen bonum, et ædificium rupis. Vos estis sapientes ædificantes, fundamentum ponentes, maculam inquirentes, et genimina a nobis. Vos estis operarii utiles, horrea implentes, et segetes congregantes. Vos estis negotiatores sapientes, accipientes argentum, et utile lucrum ostendentes. Vos estis operarii, mercedis digni, recipientes mercedem, superaddita petentes. Vos claves habentes, angeli fideles, tibicines tuba clangentes. Vos estis dispensatores, administratores, utres novi, et vestis gloriæ. Vos estis apostoli, occasio ornatæ sponsæ, et lux splendore decora contra tenebras nigratas. Vos estis filii pacis, fratres Christi, et templa Spiritus. Vos estis probati cursores, laborantes, fatigati in stadio, et recipientes coronam propter vigilantiam oculorum. Vos estis vitis in vinea, semen tritici, faciens fructum centesimum. Vos estis lucernam accendentes, adipes pingues, intrantes per angustam portam regni. Vos estis filii dexteræ alæ, viatores per arctam et angustam. Vos estis salvati per Crucem, redempti corpore et sanguine Christi, præcones veri, ducentes per aquam. Vos estis odor suavis, qui olet per totum hunc mundum. Vos estis nova conspersio, fermentum sine vetustate. Vos estis paranymphi, et novam vestem habentes, digni discubitu. Vos estis jugum tollentes, sedentes in silentio, ligati

populo. Vos estis generatio Ecclesiæ, nutrientes filios, congregantes gregem.

XXIV. Vos estis pastores virtute præditi, pascentes gregem in pascuis bonis, et Salvator noster Jesus princeps pastorum, lux in tenebris, et lucerna super candelabrum; quia illuminavit mundum hunc, et expiavit peccata eorum. Et ille ipse est margarita magna, et bona, et nos negotiatores : vendamus facultates nostras, et emamus illam. Ille est thesaurus in agro, et nos invenientes eum illic, gravisi sumus, et possidemus eum. Ille est fons vitæ, et nos sitientes bibimus ex eo. Ille est mensa, plena bonis et saturitate, et nos esurientes comedimus, et gavisi sumus. Ille est porta regni, quæ est aperta venientibus et ingredientibus. Ille est vinea gaudii, unde bibunt lugentes, et obliviscuntur dolorum suorum. Ille est vestis et tunica gloriæ, qua induti sunt omnes virtute præditi. Ille est vinea vera, et pater ejus agricola, et nos vites plantatæ in ea. Ille turris, in qua multi ædificant : numeremus expensas ejus, ut ædificemus et perficiamus. Ille est sponsus, et Apostoli occasio sponsæ, ut nos paremus dotem. Ille est scala sursum tollens : conemur et fatigemur, ut per ipsum ascendamus ad Patrem ejus. Ille est subtilis et arcta via : sequamur semitas ejus, ut perveniamus ad portum tranquillæ pacis. Ille est Sacerdos, sanctus Minister : et nos fatigemur ut efficiamur celebres pueri ejus. Ille est Rex ex progenie magna, qui profectus est accipere regnum : honoremus et magnificemus parvitatem ejus, ut socios et participes faciat nos in magnitudine illa sua. Ille est præco et missus Excelsi : audiamus mandata ejus, ut efficiamur pueri consilii ejus. Ille est granum habens ramos multos, faciensque fructus plurimos; quia parvus seminatus est, et factus est arbor maggna et fortis. Ille ipse est primogenitus, natus ex Maria :

suscipiamus redemptionem ejus, ut gaudeamus in magnitudine ejus. Ille est qui passus est, mortuus est, vixit, et elevatus est in excelsa : credamus in eum vera fide, ut digni efficiamur suscipere adventum ejus. Ille est judex mortuorum et viventium, qui sessurus est in sede et judicaturus est nationes. Ille est qui facit hæreditare regnum, et mittit in supplicium, et non acceptat personam neque recipit munus. Per eum ergo gratias agamus Patri ejus, et per eum adoremus mittentem ipsum, et benedicamus ei qui misit ipsum; quoniam voluit nos, et elegit nos per eum, et lætati sumus in eo. Et per eum vocati sumus, et ipse reconciliavit infirmitatem nostram majestati ejus. At non habemus aliquid retribuere his commiserationibus, nisi confessionem, et adorationem, et ut diligamus invicem : in his omnibus fructibus fatigemur, qui traducunt nos in vitam æternam.

XXV. Oportet et expedit nos, amabiles, converti ad eum, et offerre in conspectu ejus pœnitentiam cordis. Et non participemus confessionem Pharaonis et delicta Jeroboam; et elongemur a contradictione et a schismatibus, quæ obsecundant voluntatem Diaboli : nam occulte et subtiliter subintrat filios hominum, et reddit eos supervacaneos a vita ipsorum, et vulnerat eos multifariis desideriis, in variis concupiscentiis : ingreditur super filios Adæ, et reddit eos inanes tanquam vas evacuatum, sicut et cœpit in primo patre eorum. Namque non est unum desiderium ejus ut sciamus et queamus fugere ab illo; multifariæ enim sunt industriæ sagacitatis Astuti. Concupiscentia escarum eduxit Adamum a Paradiso, et concupiscentia occisionis separavit Caïn ab Abel fratre suo. Concupiscentia derisionis factus est Cham servus servorum fratrum amborum, et concupiscentia gulæ rejectus est Esaü a primogenitura et a benedictione. Concupiscentia libidinis cecidit Sichem, filius He-

mor, in ensem gladii, et omnis populus ejus; et concupiscentia invidiæ odii, filii Jacob vendiderunt Joseph fratrem suum Arabibus. Concupiscentia lasciviæ hortata est domina Joseph; ille autem evasit, et salvus factus est, non obtemperans desiderio ejus. Concupiscentia libidinosæ turpitudinis perierunt Sodomitæ, et quia tendentes irruerunt in ignem, combusti sunt et exhausti sunt in fornace iræ. Concupiscentia furoris submersus est Pharao in mari cum exercitu. Concupiscentia crapulæ terræ Ægypti, perierunt filii Israël in deserto. Concupiscentia amoris ovium impediti sunt Ruben, Gad et Manasse, et non sunt ingressi cum fratribus suis in terram donorum. Concupiscentia suppellectilis avaritiæ, et ebrietatis, combusti sunt Nadab et Abiu in tentorio officii; et concupiscentia avaritiæ et furti turbavit Dominus Achar per Josuë. Concupiscentia dissolutæ sorditatis Zambri filii Salu, ceciderunt ex Israël viginti quatuor millia in una hora. Causa peccati contentionis et iniquitatis, occidit Abimelech filius Jerobaal septuaginta fratres suos. Concupiscentia Dalilæ mulieris meretricis, infirmatus est Samson a fortitudine illa sua, et elongatus est ab eo Nazaræatus ejus. Concupiscentia contaminationis virorum Gaba, ceciderunt ex Israël et Benjamin sexaginta quinque millia in ense gladii. Concupiscentia avaritiæ filiorum Heli, contempti sunt, ceciderunt et exierunt a sacerdotio illo sancto. Et propter concupiscentiam parcendi Amalech, disrupit Dominus regnum Saül. Propter concupiscentiam Thamar sororis Absalom, mortuus est Amnon primogenitus David. Ex superbia concupiscentiæ Adoniæ filii Haggith, non fuit utilis in regno illo David. Et concupiscentia multitudinis mulierum, declinavit cor Salomonis a Deo suo. Et propter concupiscentiam delicti Roboam, divisit Dominus et disrupit regnum ejus. Et propter concupiscentiam contentionis Jeroboam, filii Nabat, cecide-

runt ex Israël per Abiam quinque millia in una die. Et propter concupiscentiam vineæ Naboth, cecidit Achab in bello Ramoth Galaad. Et propter concupiscentiam argenti Naaman, indutus est Giezi lepram, etiam semen ejus in æternum. Et quia concupivit Ezechias gloriari in thesauro suo, captivæ factæ sunt possessiones ejus cum filiis in Babylonem. Et propter concupiscentiam blasphemiæ Sennacherib regis, cecidit exercitus ejus gladio Excelsi. Et concupiscentia cordis Nabuchodonosor rex ejectus est a filiis hominum, et fuit cum bestiis deserti. Et concupiscentia divitiarum quas affectavit Aman, voluit perdere nationem Hebræorum. Concupiscentia ponendi fœdus et pactum iniquitatis, oblocuti sunt de Daniele. Et concupiscentia furti, Judas fuit traditor Regis Christi. Et concupiscentia exasperationis Israël, aspernati sunt Christum et inficiati sunt de regno ejus. Et sunt plura quoque, præter dicta, similia his quæ scripta sunt; in variis casibus directi et positi sunt laquei et tendiculæ dolosæ. Et mittit retia sua, tanquam sagax piscator. Captivat, et ducit in perditionem juxta intentionem suam. Et dulces sunt concupiscentiæ ejus. Et non ducit violentia, sed decipiendo et fraudolentiis. Et videtur dulcis et suavis, etsi major sit amaritudo ejus amaritudine fellis. Quando aliquis iratus reconciliatur proximo suo, ille luget et flet, quoniam evasit a necessitate obtemperandi ei : tristis et mœstus est propter pacem, et tanquam spiritum suum diligit tumultum turbulentiæ. Et in omni occasione mittit escam suam, ut capiat. Ponit laqueos suos tanquam sagax et sapiens venator, et decipit. Congregat ad se omnes cohabitatores. Latæ sunt viæ ejus, et tranquillæ sunt semitæ ejus : et eunt, et ludunt apud eum omnes pueri turbationis. Vident eum omnes sapientes, et cavent ab ipso, et non implent voluntatem ejus. Nam sciunt quod sit astutus. Et absconditos laqueos ejus vident

sapientes, et missa retia ejus manifesta sunt ante ipsos. Non credunt deceptionibus ejus, et in omnem escam ejus expuunt; sciunt enim quod sit amara.

XXVI. Per hoc quod scribo ad vos, amabiles nostri, et nos ipsos commemoramus; et non quod in aliquo indigeatis discere a nobis, sed sicut admonitores et adjutores. Sicut scriptum est : « Frater adjuvans fratrem suum, tan» quam murus munitæ civitatis[1]. » Et Apostolus ait : « Ad» jutores et admonitores sumus gaudii vestri[2]. » Iterum ait : « Illi fuerunt vobis manum dantes, et sociantes in re» gno Dei[3]. » Et iterum ait : « Non est talis in vobis, neque » aliquis sapiens, qui possit facere pacem inter fratres[4]. » At sapientes et timentes Deum, quamvis verbum sapiens et utile audiant etiam ab indoctis et rudibus, suscipiunt et acceptant illud sine verecundia et contemptu. Moyses vir propheta, ac dux totius populi Israël, suscepit et acceptavit bonum et utile consilium a Jethro sacerdote Madian : et nomen Jethro scriptum est in Litteratura illa sanctorum; et firmatum est ac stetit consilium ejus in populo Israël usque in sæcula temporum. Si ergo aliquis pugnans reluctetur contra hæc consilia nostra, et non festinans currat post pacem; intelligens sciat a casibus illis qui prius evenerunt: nam, instar horum, inventi sunt aliqui amentes et insipientes in diversis sæculis, qui non audiverunt rectum et dignum consilium, et post tempora propter suas transgressiones vexati sunt malis. Cum peccasset Adam, vocavit eum Deus ad pœnitentiam, et non suscepit; sed latens confidit in excusationibus, dicens : « Eva decepit me[5]; » et non compunctus et contritus in mente sua egit pœnitentiam. Et cum occidisset Caïn fratrem suum, locutus est cum eo Dominus, ut compungeretur, et contritus ageret pœnitentiam;

[1] Prov. XVIII, 19. — [2] 2 Cor. I, 4. — [3] Coloss. IV, 4. — [4] 1 Cor. VII, 5. — [5] Gen. III, 12.

ille autem cucurrit, et fecit terga confidentiæ falsam excusationem, dicens se non vidisse eum. Et traduxit Sodomitas ad probationem experimenti per Angelos, ut forte intelligerent, et agerent pœnitentiam; illi autem obstinata resistentia sua steterunt, et manserunt in insipientia illa, et perierunt, et exterminati sunt, et penitus deleti sunt ex combustione ignis et sulphuris. Pharaonem admonuerunt magnates ejus, dicentes : Perdidisti Ægyptum tua pertinaci resistentia; et non audivit sapientes suos[1]. Et admonuerunt Roboam seniores, qui regnaverunt cum patre ejus; ille autem sprevit consilium sapientum, et audivit juvenes, puerilem mentem habentes : hinc divisum est regnum, et factus est ipse ad contemptum. At, o vos fratres nostri sapientes, edocti a Deo, non verecundemur neque confundamur in quærendo pacem, et in currendo ad ædificationem concordiæ.

XXVII. Nam invidia et contrarietas tumultuavit et turbavit regna, destruxit et evertit civitates, delevit et interemit populos, subvertit ad figuram campi rura et agros, projecit in cadavera devoluta occisos multos, et multiplicatus est per eam ensis in occidendo, absque parcendo. Invidia et contrarietas separavit et sejunxit ab invicem fratres amatos, et persecuta est eos de civitate in civitatem, lapsos, alienatos a quibuscumque provinciis, factos vagos, et naufragium passos a ferventibus domesticis : et quamvis abierint ad terrestres, et viderent solem istum tardationum; tamen cognationi suæ tanquam mortui putabantur. Invidia demolita est, et separavit viros ab uxoribus. Per eam etiam filii magna locuti sunt super patres suos. Et disjunxit amicos ab amicis, et confidentes, clementia plenos, a devotis legitimis, et præstitit eos hostes obloquentes. Turbavit et reddidit virum contrarium proximo suo.

[1] Exod. x, 7.

Separavit duos a tribus, et tres a duobus. Occidit vir proximum suum per linguam, et corrumpit eum pravissimo ore sine misericordia. Odium invidiæ facit gigni ab homine ustionem et titubationem. Indumentum horrei cogitationes malitiæ, et incalescit, et veterascit in ventre ejus vetus fermentum iniquitatis. Facit concipi corruptiones, et gigni fructus amaritudinis. Facit somnum arctum vigilare in noctibus longis. Mutat commiserationem amici in inimicitiam, et in contemptum devoti amici. Quod si repente quandoque cadat bona cogitatio in mentem ejus, extraxit et eruit eam a corde ejus Malignus. Plantat radices ejus in angulis dolo plenis cogitationum suarum, et percutit palos ejus in materiis cogitationum morum suorum. Congregat et defert ad eum fluctus multos, et intrant, et nidificantur in mente ejus. Illapsa seminatur generatio Maligni; et alienatus videtur ei utilis sermo sapientum. Suffocabile efficitur ei semen bonum, sicut et suffocatur triticum a spinis illis. Deficiunt menti ejus fructus bonitatis; et evellit, et eruit a corde ejus semen bonum. Constituit Malignus foris cogitationum ejus exploratorem, custodes suos, et alterant mentem ejus deceptionibus multis. Tanquam aquæ lenes insensibiliter intrant, et obdurant cor ejus, tanquam rupem et petram duram : nam cum cadat in eum semen bonum, rapit et accipit illud, et radices ejus arescunt, et siccantur ad dolendum de fructu. Surgit, et orat secundum sempiternam consuetudinem : incipit, et perficit, et signat orationem suam ; cor autem ejus non sentit quidquid dixerunt labia ipsius. Ad studium vigiliæ promptum est os ejus; cor autem ejus evacuatum bonis illis. Traducit a mente ejus studium spiritus, et mens ejus obliviscitur quod heri didicit. Aliquando quandoque, cum recolat mente sua, volvit unam post aliam saltem centum cogitationes ; Malignus autem urget et corroborat mentem ejus. Cogitatio Dolosi

stat firma in mente ejus, et cor ejus natat tanquam in mari aquæ profundæ. Obtenebratum est cor ejus, et nigrata est cogitatio ejus; et deliravit, et insanivit mens ejus. Tangitur, et contaminatur; et Malignus apprehendit manum ejus, et facit eum currere ab incessu in incessum, et agit et ducit eum per semitas erròneas et per vias devias. Et eruit, et abjicit a facie oculorum ejus omnes bonas cogitationes, et suggerit ei suas pessimas. Confortat eum, dicens : Noli audire persuasiones, et noli ponere pravitatem super te, conficiens concordiam. Ridet Malignus super eum, in deceptione illa sua; quia acquirit eum suum servum obsequentem: ille autem nescit quod sine pretiis emptus sit, et non videtur ei quod mens sua luxurians deliraverit. Superat eum artificiosissimis industriis, et projicit ei escam tanquam avibus : lætatur cor ignorantis avis, videntis escam ante ostium tendiculæ relictam et manentem; accedit carpere, et comedere simplici ignorantia sua : currit instrumentum, et captivat eam. Jubilans exultat sagax venator de solertia sua, quod non fuerit inanis industria sua. Ita etiam hominem qui amat invidiam et contrarietatem Malignus inflat, et implet eum, et intumescit ex fructu amaritudinis; et decipit, et capit illum tanquam avem; et projicit ei escam, et captivat eum sagaci opere. Et quando capit eum dulcibus deceptionibus, docet eum persuasiones non auditas ab illo. Discit judicia, et laborat; purificat verbis tribunalis, et tenet. Congregat in mente sua nocivas persuasiones. Repente obliviscitur bonorum quæ didicerat, et transeunt recordationes suæ a corde ipsius; mentiones autem malorum suorum servatæ manent in ventre ejus, tanquam thesauri in arce custoditi et in occulto absconditi. Et confortati ac corroborati sunt aprini nervi Maligni in mente ejus, et vix magno labore eripiuntur rostra ejus tanquam leonis, a cadavere suo. Sagax medicus multis medicamentis evellit rostra

a corde illo ejus : nam secundum dies prolongandi, quot malæ cogitationes sunt in ipso homine, gignunt in corde ejus fructum malorum; et lingua ejus nutrit turbulentas persuasiones. Dulcis est concupiscentia Maligni, et deceptoria mens ejus; et finis ejus amarior veneno serpentis. Et non est medicina sanationis, omnis semel odium in corde suo detinentis, nisi pax. Et si aliquis compellit fratrem suum, et defraudat dilectum suum, et adsunt fructus pacis, et transeunt iterum; et illic duplicantur et iterantur venena invidiæ, et amplius non recoluntur, et non cadunt in mentem.

XXVIII. Amabiles nostri, sufficiunt nobis peccata propria : non scandalizentur multi scandalo nostro. Accidit frater dilecto suo : projicit faciem suam deorsum, et privat eum salutatione pacis. Si repente alicubi accidit ei ethnicus iniquus, antequam ille salutet prævenit et adorat eum, cum salutatione interrogans. O cæcitas obtenebratæ mentis! o dormitus cum somno mortis! Quam responsionem habebimus nos? Si accidit itaque nobis vir nequam, dives et impius, adoramus, et sciscitamur de valetudine ejus; salutatio autem fratrum et dilectorum nostrorum propter invidiam Maligni elongata est a nobis. Dominus noster præcepit, dicens : « Diligite ad invicem[1]. » Et beatus Apostolus cautos nos fecit de charitate. Et Moyses fundamentum Prophetarum ait : « Noli odisse fratrem tuum » in corde tuo, ne pecces[2]. » Et aliqui ex nobis odio prosequuntur corde, et latrant labiis. Dominus noster aperuit ante nos thesaurum suum magnum, plenum omnibus bonis : in illo charitas, in illo pax, in illo cura sanationis, in illo sanctitas modestiæ, in illo varietates omnium colorum, bonæ, et splendidæ, et pulchræ. Et fecit Dominus dispensatores suos super omne gazophylacium. Et iterum posuit

[1] Joan. xv, 12. — [2] Lev. xix, 7.

in manibus dispensatorum catenas, et domum carceris cum carceratis; et dedit eis potestatem ligandi et absolvendi. Dispensatores abstulerunt, et reliquerunt dilectionem, et misericordiam, et pacem, et omnem thesaurum in communi; et elegerunt, et acceperunt catenas, et vincula; et facti sunt carcerarii, et congregatores, et carnifices, et compeditores pro dispensatoribus ab omnibus inveniendi et optimi thesauri. Qui ingreditur ligatus est, et qui exit excommunicatus est. Et qui peccat et delinquit ex parte illa Dei, et præstat obedientiam aliquam principibus carceris, absolvunt eum a catenis illis, et dicunt : Deus est misericors et parcens, expiator peccatorum; veni, et intra confidenter ad orationes. Qui autem delinquit ex parte eorum, quamvis delictum sit etiam parvi momenti, dicunt ei : Ligatus et maledictus es in cœlo et in terra; et : Væ væ illi qui cum eo loquatur! Jam videtur nobis, fratres nostri, quod Rex videns dispensatores suos fuisse corruptos, fuisse transgressos legem, et mutavisse præceptum jussi quod dedit esse, et executos fuisse inclinationem suæ voluntatis, vinculis quæ dilexerunt liget eos, et sanguinem servorum suorum exigat a manibus eorum, et removeat eos a thesauro illo suo, nec misertus eorum, neque parcens ipsis. Dominus noster docuit, dicens : « Si peccaverit » in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum; » et si pœniteat eum, demitte ei. Si autem non audierit te, » adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium » testium stet omne verbum. Quod si non audierit et eos, » dic in ecclesia in conspectu populi. Si autem non audie- » rit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus : quia non suscepit » persuasiones admonitionis[1]. » Sed qui est inter nos nec corripuit coram duobus vel tribus testibus, nec dicit in ecclesia, nec format judicium, neque expectat opprobria

[1] Matth. XXVIII, 15.

murmurationum; sed sine his omnibus dicit : Ligavi, et maledixi. Et ait iterum Dominus noster : « Si septuagies » septies deliquerit in una die, dimitte ei[1]. » At quis homo est qui sic frequenter delinquat in una die? Si enim quadringenties et nonagies peccat in die in proximum suum, tamen præcepit Dominus dimittere ei. Nos autem neque per quadringentos et nonaginta dies dimittimus saltem una vice unum delictum, et mortui sumus per odium in hoc peccato, præter alia et alia delicta.

XXIX. Fratres nostri, pauca hæc verba ædificationis et pacis, propter hunc tumultum qui accidit inter nos hic in hoc tempore, scripsimus ad vos; ita ut efficeremur participes et consortes salutationis vestræ et fratrum nostrorum, in variis locis in quibus turbatio hæc et divisiones schismatum pervenerunt ad eos. Quod si aliquis non acceptet hæc verba mea, tamen nos non fraudamur, neque efficimur contumeliosi. Nam quandoque inventi sunt mali et iniqui homines, qui obstiterunt et eis, propter eorum doctrinam, quorum non est dignus hic mundus. Contumeliose spreverunt et contempserunt eos, et restiterunt consiliis ipsorum. Murmuraverunt contra Moysen, et obstitit ei populus impiorum. Et fratres gentis suæ odio prosecuti sunt Jeremiam, et projecerunt in lacum, cum reprehenderet eos propter peccata ipsorum. Obstiterunt ei, dicentes : « Vir iste non vult pacem populi hujus, et laxat manus vi- » rorum pugnantium[2]. » Etiam ex Babylone miserunt pseudoprophetæ Hierosolymam ad sacerdotes, dicentes : « Co- » hibete, et impedite Jeremiam a prophetia[3]. » Ille cum vidisset turbationem, et scissuram invidam, scissionem facientem, quia non acceptabant increpationem ejus, cœpit dicere : « Cogitavi ne loquerer in nomine Domini, et non » commemorarem sermones ejus. Et factum est os meum

[1] Matth. XVIII, 22. — [2] Jer. XXXVIII, 4. — [3] Id. XIX, 27.

» quasi mixtum flamma, accensum in ossibus meis; et volui » sustinere, et non sustinui, neque potui [1]. » Et aliquando præcepit Dominus Ezechieli, dicens : « Et ecce ligant te catenis, et ligant te astantem caute. Et cum præstiterint tibi » ita, obmutesce tanquam mutus; et noli esse eis reprehen» sor; quia jungo ego linguam tuam palato tuo [2]. » Et quandoque in orationibus horæ ait : « Apertum est os meum, et » non tacebo amplius [3]. » Et ad Amos dixerunt : « Noli tu » prophetare in nomine Domini, et noli docere domum is» tam rebellium [4]; » et ille non fuit prohibitus a prophetia illa sua. Et quando Baruch filius Neriæ scribebat sermones sanctos ex ipso ore Jeremiæ, cum audisset rex Sedecias, combussit eos igne; quia scripserat in eis reprehensionem increpationis. Et Jeremias scripsit iterum, et addidit etiam in eis. Illi autem neque illud acceptaverunt, neque pœnituit eos peccatorum suorum, et receperunt pœnas punitionis, secundum dignum delictorum transgressionis legis, per manum regis Babyloniorum. Et iterum ait Deus de omnibus prophetis, dicens : Percussi, et excidi Prophetas meos, et interfeci eos in sermonibus oris mei; et tamen filii Israël non sunt conversi a peccatis illis suis. Et Salvatorem nostrum pueri populi sui vocaverunt Samaritanum, et nuncupaverunt eum Beelzebub, putantes eum arreptitium; ille autem tacebat, et tolerabat. Et Paulum, cum doceret, vocabant inaniloquum et alieniformem [5]. Et non tantum non acceptabant eos, sed etiam verberibus et plagis tormentorum cruciabant eos, etiam usque ad mortem. Surrexit populus in Moysen, ut lapidaret eum. Et Michæam misit Achab in domum carceris. Et Jeremiam projecerunt in lacum luto mixtum. Et Ezechielem posuerunt in vinculis stricte ligantibus. Et Salvatorem nostrum ceperunt,

[1] Jer. xx, 9. — [2] Ezech. iii, 25. — [3] Psalm. lxxvii, 2. — [4] Amos, vii, 12, 13. — [5] Act. xvii.

contempserunt, constituerunt reum iniquitatis, et suspenderunt in ligno. Et Paulus aliquando ligatus, et aliquando lapidatus; quandoque positus in sporta, et demissus de muro. Hos omnes contemptus a manibus filiorum populi sui sustinuerunt, et nequaquam facti pigri contristabantur in afflictionibus angustiæ suæ; quia ædificium eorum positum erat super verum fundamentum. Et pauci aspernati sunt eos; multi autem receperunt, et vixerunt verbis eorum; et ipsi bonum nomen suum reliquerunt de generatione in generationem. Dominus noster seminans, et nos terra fertilis ad recipiendum semen, et ad exhibendum fructum centesimum. Seminans implet manum suam, et seminat in campis suis. Est quod cadit inter spinas, et est quod cadit in petrosa, et est quod in via, et inde carpit illud avis. Et dimidium cecidit in terra fertili et fructifera, et crescens dedit fructum centesimum, sexagesimum et trigesimum. Et jam videte quod una pars ex quatuor illis partibus salvata sit, et dederit fructum. Nos itaque, amabiles nostri, quamvis debiles et peccatores simus, tamen primi enixè tendentes ædificamur super hoc fundamentum; et ab ipso illo fermento accepimus; et semen Domini nostri cecidit in campis terræ nostræ; et ab ipso magno Principe negotiatorum accepimus argentum. Et super omnem carnem immissus est Spiritus sanctitatis, et beneficia gratiæ ejus non sunt ab aliquo prohibita. Quod si aliquis alicubi repente derideat nos, et quod scripsimus non suscipiat, nobis non fit aliquod nocumentum, et ei non fit aliquod emolumentum, et verba nostra ostendunt emolumenta utilitatum audientibus. Non enim aliquid alienum a Lege scripsimus ad vos; neque thesaurum furtivum accepimus portare ad vos, sed ab ipso semine et fermento Scripturarum sacrarum. Nam argentum plenum rubigine, et maculosum, in omnibus locis ad quos venit non accep-

tatur; neque vetus fermentum admittitur, et miscetur cum nova farina. Namque utres veteres non habent vim sustinendi virtutem vini; et pannus novus super lacerum vestimentum, scindit illud: et vinea bene curata præbet fructum, et non dolet : et cor obduratum, tanquam dura petra, arefacit germen seminis : et ædificium positum super arenam, læditur a diluvio aquarum pluvialium, et corruens subvertitur a ventis surgentibus : et sal insipidum efficitur esca serpentis: et pisces inutiles piscator projicit foras : et murus nocivus in congrua hora evellitur radicitus : et palea a tritico in fine eligitur, et separatur : et pravi operarii in hora mercedis confunduntur : et virgines amentes et fatuæ, quibus deest et deficit oleum, veniente sponso, orbantur tempore emendi : et dispensator vexator sociorum, veniente domino, recipit vindictam judicii : et servus malus qui abscondit argentum, veniente illo qui dedit ei, numerat mercedes cum eis quæ desunt : et princeps janitorum diligens somnum, in hora vigiliæ invenitur evadens ab ipsa vita : et rex sapiens ante bellum mittit nuntios, et petit pacem. Hæc pauca quæ scripsimus vobis, amabiles nostri, si quis derideat, nequaquam aspernor eum; quia ex internis cogitationibus extrahit illud, et conceptum cogitationum parturit et generat : nam omnis homo ex thesauris cogitationum suarum educit, et loquitur. Namque qui non habet aurum, quid poterit dare tibi ex thesauris suis? sed vir dives, qui possidet omnes thesauros, inde eruit, et dat petentibus suis. Et vir pauper ex suis illis extrahit stannum, et plumbum mixtum cum aliis deformioribus et abjectis sociis. Omnis arbor fructifera, tempore æstivo pullulantes ornatos flores emittit. Et vitis dolorifera evellitur radicitus ab illa vinea, et efficitur ad opus combustionis. Et vitem fructiferam, plenam et ornatam racemis, purgat dominus ejus, et addit, et operatur eam cura culturæ. Et vinea ger-

minans, et proferens dolorem, est ex vinea Sodomitarum, habens uvam amaram, et saporem fellis. Non carpit aliquis uvam ex spina, neque ficum a tribulo. Nam arbor bona præbet fructum bonum, et arbor mala fructum malum [1]. Nequit arbor dulcis præbere fructum amarum, neque arbor amara fructum dulcem. Vir bonus ex cogitationibus bonis cordis sui extrahit, et loquitur bona; et vir malus ex cogitationibus malis extrahit mala. Nam ex illis quæ in horreo congregata sunt loquuntur labia, sicuti et docuit Salvator noster. Homini qui plenus est turbatione videtur quod nullibi sit thesaurus major et amplior eo qui est illius; et quando venit et pervenit pax, facit transire contrarietatem, et impedit tumultum perturbationis, et exinanit illum, extrahens malum ex thesauris illius.

XXX. Fratres nostri, mundus hic nequaquam deficit et habet defectum in aliquo; sed plenus est pulcherrimis, coloratis, et variis nationibus, bonis et malis, divitibus et pauperibus, dulcibus et amaris, luce et tenebris, justis et peccatoribus, certis et iniquis; et res omnes contra invicem ad invicem firmatæ stant. Et non est hic in mundo isto totalitas perfectionis, donec veniat separator, et divisor, purgans paleam ab ipso tritico, et evellens zizanium radicitus in communi. Sed hodie seminatum est zizanium cum tritico, et miscentur boni cum malis, et non sejunguntur manifeste justi a peccatoribus, et certi ab iniquis, et insipientes a sapientibus. Sed tunc jubet Dominus messium, et congregant triticum, et evellunt zizanium; separant et sejungunt justos ad vitam sæculorum, et peccatores ad tenebras exteriores. Et cum Sponso intrant virgines prudentes, et impediuntur fatuæ et amentes. Et accipitur argentum a servis illis malis. Et servi utiles possident civitates singulas, et omne quod quærunt inveniunt in petitione

[1] Matth. VII.

sua. Omnis homo congregat semen defatigationum suarum. At de vobis, fratres nostri, confidenter speramus quod incedentes primi enixe curratis post pacem, et per industrias faciatis transire tumultus, et turbam turbationis et contradictionis, odium, et invidiam, et divisiones schismatum. Nam omnis homo cum stat in malis congregatis, non videt animam suam, siculi neque potest videre faciem suam. At nobis sic bene visum est, quantum et percepimus hic in hoc tempore, commemorare vobis mores et incessus primorum, quod quam boni sint, probi et virtute præditi, perfecti et utiles; et quantò magis mali sint, amentes et insipientes, impii et iniqui, ii qui lapsi sunt in tumultum turbationis. At filii ædificationis et concordiæ, diligite pacem cum amore sollicitæ commiserationis, ut accipiatis retributionem ab ipso Domino salutis, et efficiamini digni similitudinum quas dedit Salvator noster, dicens : « Beati » pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur[1]. »

XXXI. Scripta est hæc epistola mense maii, anno qui erat sexcentesimus quinquagesimus quintus Alexandri filii Philippi Macedonis, et qui erat trigesimus quintus Sapuri regis Persarum. Sit in bona memoria qui perfecit et scripsit, et qui audit et suscipit cum assensu bonum donorum, et prompte et celeriter currît in ædificationem concordiæ, et non suscitat turbationem contrarietatis. Nam filii contrarietatis nominantur, et vocantur filii Caïn. Pueri autem pacis, fratres Christi, filii Patris Cœlestis, possessuri sunt regnum.

[1] Matth. v, 9.

# S. ANTONIUS,

## ABBAS.



## S. ANTONII ABBATIS

## AD FRATRES SUOS EPISTOLÆ.

# S. ANTONIUS,

## ANACHORETARUM ÆGYPTIORUM PATER.

(ANNO 356.)

ÆGYPTIUS.

In enarranda sancti Antonii vita non diutius immorabimur, cum miranda tanti anachoretæ facta ab ipso Athanasio scripta inferius sint excudenda. Hic satis erit brevius annotare illum nobilioribus christianisque parentibus apud Comam, superioris Ægypti vicum, anno 251 ortum, omnibus, cum hæc verba Evangelii audiisset : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, da pauperibus et sequere me, et habebis thesaurum in cælo,* penitus abdicatis, in eremum secessisse, ubi dæmoniorum incursibus sæpius lacessitus, sed nunquam victus, discipulos informare curavit. His autem præcipue actis, dum viveret, enituit, quod vitam duriorem agere, quod orationi insistere, quod martyrii palmam ambire, quod Ecclesiæ ministros venerari, quod hæreticos schismaticosque detestari, quod Arianos præsertim debellare, quod pravos philosophorum sensus evertere, Christi hostibus terribilis, ejusdem vero discipulis verbo utilis et exemplo, usque ad mortem non remiserit, quam, sancti Pauli Eremitæ visu donatus, anno ætatis 105, Christi vero 356, non solum patienter, sed et hilariter suscepit, utpote qui *plenam*

35.

*immortalitate spem in sinu suo repositam haberet.*

Scripsit Ægyptie plurimas Epistolas, quæ in Græcam linguam primum translatæ, ex Græca deinde in Latinam ita a Sarazio versæ fuerunt, ut propter intricatam verborum seriem, non facile possint intelligi : aliæ ad Constantinum Magnum; aliæ ad Arsenoïtas, quanquam secunda tantum ad Arsenoïtas proprie dirigatur, cæteræ vero ad omnes in genere fratres; aliæ ad Balacium ducem, aliæ ad sanctum Theodorum Tabennensem : quarum illas hic excudemus quæ non leguntur apud S. Athanasium in Vita B. Antonii. Regulam et Sermones, utpote evidenter spurios, omnino prætermittimus.

Septem S. Antonii *Epistolæ* excusæ fuerunt Parisiis 1551, curante Symphoriano, Coloniæ 1536 cum Dyonisii Carnutensis commentariis, Basiliæ 1550 in Micropresbytico, et 1555 in Orthodoxographis; rursus autem in Bibliothecis Patrum Parisiensi, Coloniensi, et Lugdunensi; ex qua posteriore nunc illas excudendas assumimus.

Vide pro Gallica versione *D. Guillon,* tom. v, p. 361 et seqq.



# BEATI ANTONII ABBATIS
# AD FRATRES SUOS
# EPISTOLÆ.

## EPISTOLA PRIMA.

### DE DIVINA VOCATIONE, ET MULTIPLICI CORPORIS MOTU.

I. PRIMUM saluto vos in Domino. Existimo autem animas quascumque apprehenderit gratia Dei vocantis ad prædicationem suam per verbum proprium, habere tres modos, seu masculos seu fœminas. Quidam enim per testamentariam legem et inditum in eis semel bonum a prima sui conditione pertingere verbo Dei ad eos morati non sunt, sed perrexerunt parati cum eo, sicuti et noster progenitor Abraham, cui primo, quia porrexit indaginem Deus per testamentariam legem, apparuit dicens : « Exi de terra tua, et » de cognatione tua, et de domo patris tui; et veni ad ter- » ram quam ostendero tibi[1]. » At ille in nullo hæsitans, paratus fuit in vocatione. Hic autem figura erat primæ vitæ hujus institutionis, quæ nunc usque persistit in eis qui ejus sequuntur vestigia. Unde et iterum si animæ sic sustineant et ita egerint, facile easdem virtutes assument, eo quod parata sint corda earum repleri Spiritu Dei. Et hæc institutio prima.

II. Huic vero secunda existit de iis qui audiunt scriptam legem testificantem eis universa supplicia quæ peccatoribus præparantur, et annuntiantem de sanctis promissionibus ad eos qui proficiunt, quibus et per testimonia in-

[1] Gen. XII, 1.

scriptæ legis sobria voluntas existit, et per hanc quæsierunt intrare in vocatione vocantis. Sic et David testificatur dicens : « Lex Domini immaculata, convertens animas[1]. » Et in hoc eodem loco : « Declaratio, *inquit*, sermonum tuo-» rum illuminat, et intellectum dat parvulis[2]. » Sed et alia quamplurima, de quibus modo non possumus enarrare.

III. Porro tertia institutio est, in qua duris cordibus sæpe vitia et in peccati operibus permanentibus, aliquoties benignus Deus infert labores ad increpandum, donec sentiant per ærumnam, et pœnitentes ex toto, accipientes et ipsi virtutes quemadmodum et illi de quibus prædixi. Hæ igitur sunt introductiones tres in animabus quæ ad pœnitudinem veniunt, donec adipiscantur gratiam et vocationem Filii Dei. Sed puto quod eos primus vocet Spiritus qui ingrediuntur ex toto corde certamen, et ordinant semetipsos ad sustinendum in omni luctatione Adversarii donec devincant eum. Præstat vero eis et lenitate in omnibus juvans eos Spiritus, ut indulcentur in illis opera pœnitentiæ. Ponit eis terminos per modum quemdam pœnitudinis in corpore et anima eorum, usquequo doceat eos etiam conversionis modum ad Conditorem proprium, Deum. Necnon et præbet eis violentiæ compulsionem in anima discurrentem et corpore, ut utraque sanctificari queant; ut eodem modo hæreditatem utraque sumant : corpus quidem in jejuniis crebris et vigiliis atque solertia, ministeriis quoque quæ facit in corpore. Conandum hoc in omni fructificatione carnali.

IV. Spiritus quoque pœnitentiæ deductor efficitur, et in istis tentant eum in his, ne qua sit inimicitia ad convertendum forte retrorsum. Tum vero ille deductor Spiritus incipit adaperire animæ oculos ad pœnitentiam exhibendam; et ut sanctificetur etiam sensus distractionem intermediam

[1] Psal. XVIII, 8. — [2] Psal. CXVIII, 130.

præbet, incipiens doceri a Spiritu sanctificare corporis et animæ pœnitentiam, sensu edocto per Spiritum deducentem nos ad illud animæ corporisque agendum, qui sanctificans omnia ac distractionem præbens ut carnis misceatur fructus ad universa corporis naturalia ex quibus transgressio fuit, et adducit unumquodque corporum naturalium ad priorem conditionem, non habens aliquid alienum aut hostile spiritus. Corpus siquidem religatur sub potestatem sensus doctum a Spiritu secundum eloquium Pauli : « Ob- » culco corpus meum et in servitutem redigo[1]. » Quoniam vero sensus antea semetipsum sanctificat in escis et potationibus a sopore, semel ac simpliciter in cunctis motibus suis, quique et naturalem copulam segregaverunt sanctificationi propriæ.

V. Reor autem tres corporis motus existere. In ipso enim est naturale corporis concretum illi, quod tamen non operatur aut efficit aliquid sine animæ voluntate, nisi quod judicat in corpore solum. Nam et alius motus existit ex pastu corporis multorum ciborum ac potuum, ex quibus adinflatio sanguinis orta, per escas oppugnat totius animæ corpus epularum sumptione permotum. Ob hoc et Apostolus ait : « Nolite inebriari vino in quo est luxuria[2]. » Deinde Domino nuntiante discipulis suis in Evangelio, dicitur : « Videte ne quando graventur corda vestra in esca et » potu, sive deliciis[3]. » Inquirentibus præsertim mensuram sanctificationis debitum est istud efferre : « Castigo corpus » meum, et in servitutem redigo[4]. » Tertius vero motus est spirituum malignorum tentantium per livorem, ac volentium flaccidiores efficere eos qui conantur sanctificare semetipsos. Verumtamen si in iisdem tribus modis sustineat anima semetipsam testimoniis quibus Spiritus docuerit sensum, sanctificabitur in utroque ab illo languore triformi.

[1] 1 Cor. IX, 27. — [2] Ephes. V, 48. — [3] Luc. XXI, 34. — [4] 1 Cor. IX, 27.

Sin vero dimiserit semetipsum sensus a testimoniis quibus Spiritus testificatur ei, tunc maligni spiritus supersederunt congregationi corporis, et oppugnant illo motu usque dum anima fatigetur et incipiat requirere unde auxilium veniat; conversaque re apprehendat Spiritus testimonia, ac sanetur. Tunc etiam ei dat quod unica sit requies postulanda a Deo, et quia sic fit pax ejus.

VI. Hæc autem asserui ad pœnitendum in corpore et anima, et qualiter oportet mundari eam; cumque sumpserit tale certamen, tunc nuntia Spiritus adsunt, et incipit discernere et jam ægritudines animales quæ accedunt et per proprias voluptates. Tunc si quidem erit participatio Spiritus cum sensu, per custodiam mandatorum quæ ei tradidit; et docet eum curare omnem languorem propriæ animæ, unumquodque eorum discernens ei permixtione accepta in corpore naturalium ac reliquorum quæ sunt peculariter ei extra corpus a capite usque ad pedes, propriam voluntatem permixtam habens in illis, et oculis quidem terminum ut recte confidenter conspiciatur, nihil ultra peregrinum gerentes. Deinde ut aures audiant in pace, nec oblectentur amplius obtrectationem ac contumelias spirituales audire; sed potius ut omnium correctionem et miserationem incessuram præ omni desiderent possessione. Quoniam in illis ægrotabat prius, deinde rursus ut linguam propriam doceat sanctitatem, quoniam hujusmodi languor insederat ei dudum, ut quibus ægrotabat, ex ipsis semper aliquid loqueretur, tardans linguæ promenda organo, utpote extanti sibi. Hic ergo languor tardantius magnificatus est illi in hoc membro quod est lingua. Unde et Jacobus Apostolus testificatur : « Si quis videatur religiosus esse » non refrænans propriam linguam, semetipsum fallit, et » hujus religio vana est[1]. » Idemque tibi ait : « Et lingua

[1] Jacob. I, 26.

» parva pars est maculans totum corpus[1]; » et alia multa quæ non possum adjicere cuncta. Quod si prævaluerint sensus sumere ab Spiritu, ipse prius sanctificabitur, et tandem perscrutans sermones, tradet quidem propriæ linguæ, sed nihil habentes pravum, aut animæ voluntarium, per quæ verbum Salomonis implebitur dicentis : « Mei ser» mones dicti sunt a Deo, nec est in illis aliquid pravum » atque perplexum[2]. » Idem rursus in alio loco ait : « Lin» gua sapientium sanat[3]; » et alia quamplurima.

VII. Deinde iterum manuum motus intra me si erant aliquando motæ in quibus non oportebat, animæ voluptatibus; sed nunc ei Spiritus unus terminat sensum, ut in sanctitate, in orationibus et misericordiis moveantur, hujusmodique opera perficiant. Quin etiam in his illud eloquium compleatur orationum causa prolatum : « Eleva» tio manuum mearum sacrificium vespertinum[4]. » Idem alibi Salomon : « Et quia manus fortium ditantur[5]. » Sicque postmodum ut ipsam escam ventris et potum emundet, etiam sic ad satietatem eis utatur. Aut si aliquando illis animæ voluptas paululum in desideriis fuerit, considerans quod nonnulli in satietate escæ vel potus dæmonibus obtemperarint, de quibus Spiritus per David ait : « Su» perbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam[6]. » Nam et isti, si iterum Domini inquisierint sanctitatem, etiam Spiritus rursum terminat eis eadem sanctimonia, ut moderate et sufficienter ad sustinendum corpus utantur, et ultra non habeant in eo concupiscentiam aut voluptatem. Sicque eloquium Pauli complebitur dicentis : « Sive come» ditis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in glo» riam Dei facite[7]. »

VIII. Deinde et hic quæ per cogitationem coitus sub alvo

[1] Jacob. III, 5. — [2] Prov. VIII, 8. — [3] Id. XII, 18. — [4] Psalm. CXL, 2. — [5] Prov. X, 4. — [6] Psalm. C, 5. — [7] I Cor. X, 31.

metitur, rursus sensus ab Spiritu doctus, discretionem tribuit motibus eorum in supradictis tribus modis, et innititur ad sanctificationem, auxiliatorem Spiritum habens. Extinguitur etiam motus ille per virtutem Spiritus pacificantis totum corpus, et perimentis totum illum motum. Hoc est verum eloquium quod a Paulo prædictum est : « Mortificantes membra vestra quæ sunt super terram; » fornicationem, immunditiam, concupiscentiam malam [1];» et quæ deinceps. Sic denuo pedes, qui, licet aliquando non erant habentes incolumem gressum, nec secundum Deum ambulabant : hos iterum sensus qui sub Spiritus fuerit voluntate, ad pergendum ministrare operibus optimis cogit, ut immutatum corpus fiat sub Spiritus potestate. Sed æstimo quod talis habitatio jam acceperit etiam in hæc partem quamdam spiritualis corporis, quod acceptura erat in resurrectione justorum.

IX. Hæc vero dixi propter animæ ægritudines quæ usurpant permixtionem inter naturalia corporis, cum inde anima movetur in illis sectatrix effecta malignorum spirituum, ut operentur in membris. Sed etiam prædixit quod habeat proprie etiam ipsa discretionem horum ? Nam superbia, languor est ejusdem corporis ; jactantia vero, ægritudo est ei extra corpus : item inflatio, odium, invidia, ira atque pusillanimitas, impatientia quoque ac reliquæ minutiæ horum. Quod si vero crediderit se Deo ex toto corde, tunc benignus Deus tribuit ei spiritum pœnitentiæ, et testificatur illi ut denuo quoque languore pœniteat. Propter quæ adversarii prohibent eum tentantes usurpare sibi, nec sinunt pœnitere. Qui si sustinuerit, obediens, hortantem se Spiritum ad pœnitendum ; Creator quoque illius, miserationis visceribus motus supra labores ejus quibus in egestatibus corporeis, id est, jejuniis plurimis, in vigiliis, in

[1] Coloss. III, 5.

mediationibus multis, in verbo Dei, ac precibus largis, vel in abdicationibus mundanis, in humilitate, in paupertate spiritus; in quibus cunctis sustinentem Deus benignus aspiciens et considerans, et patientiam ejus in tentationibus perdurantem miserans, adjuvabit eam.

---

## EPISTOLA II.

*De vitandis insidiis Dæmonum.*

I. Antonius omnibus dilectissimis qui sunt in Arsenoïte et in parochia ejus, vel qui cum illis, in Domino salutem. Universos vos paratos abire ad Deum saluto in Domino, charissimi, a minore usque ad maximum, et a masculis usque ad fœminas; o filii Israëlitæ, secundum sensualem vestram extantiam. Vere etenim, filioli, grandis vobis in generatione vestia promissio dicebat, quippe vos propter eum qui visitationem vestri fecit, nequaquam fatigari certantes, donec vosmetipsos offeretis sacrificium Deo in omni sanctimonia sine qua nemo poterit hæreditare Deum. Nam pro certo, charissimi, magnum est vobis istud ut percontemini de cognitione sensualis extantiæ, in quo non est masculus neque fœmina; sed substantia tantum immortalis existit, habens quidem principium, finem vero nequaquam; debitumque vobis erat cognoscere et de eo quomodo omnino deciderit in tantam humilitatem et confusionem eximiam, quæ pertransiens in omnibus vobis advenit. Igitur quando substantia immortalis existit non consolvenda corporibus, hanc ob causam Deus eamdem plagam aspiciens irremediabilem effectam, et quia magnificata esset vehementer per suam indulgentiam, visitationem eorum faciens propter propriam bonitatem; post aliquantum tem-


poris legem posuit eis, unde et operatus est per Mosem præbendo legem. Et Moses quidem fundavit eis veritatis domum, curare volens eamdem validam plagam; sed perficere nequivit ædificium domus. Insuper autem et omnis sanctorum chorus collectus in unum, petiit Patris bonitatem de Salutari nostro, ut calcaret in terris pro nostra cunctorum salute; ipso utpote extante nostro magno et fideli pontifice ac medico vero, qui solus sanare posset hanc enormem plagam. Unde et voluntate Patris exinanivit semetipsum propria gloria; Deusque existens formam servi assumpsit, tradens se propter nostra peccata. Et delicta quidem nostra humiliaverunt eum, sed « livore ejus nos om- » nes sanati sumus[1]. » Quamobrem, dilectissimi filioli in Domino, scire vos volo quod pro nostra stultitia « elegit » stulta[2], » et pro nostra infirmitate formam infirmitatis assumpsit; ob quam nostram pauperiem effectus est pauper, et ob nostram mortem figuram induit mortis. Ergo quia in his omnibus sustinuit propter nos, vere dico, dilectissimi in Domino, quia non debemus dare somnum oculis nostris, neque *palpebris* nostris *dormitationem*[3], postulantes ac perurgentes Dei Patris inæstimabilem bonitatem, usquequo egrediatur nobiscum, et in hoc requiem habeamus adventus Jesu atque virtutis, ut obsequamur sanctis qui nos excolere festinant tempore negligentiæ nostræ, alacritatem animorum dantes ei, ad juvandum nos in tempore tribulationis nostræ; tunc enim seminans pariter cum metente gaudebit.

II. Nosse etiam vos cupio, filioli, quamplurimum dolorem meum quem habeo pro vobis aspiciens grandem illam confusionem quæ super universos advenit, et considerans multum illum laborem sanctorum omnium atque gemitum quem emittunt pro vobis semper ad Deum, cernentes la-

[1] Isai. LIII, 5. 1 Pet. II, 24. — [2] 1 Cor. I, 27. — [3] Psal. CXXXI, 4.


borem proprii Conditoris, omnesque malitias parvipendentes nec non et decipulas Diaboli et angelorum ejus insidiantium, juges ad perditionem nostram. Quoniam etenim portio eorum in infernum habet ire, idcirco et illi volunt nostrum quoque studium una secum attrahere. Vere igitur, charissimi in Domino, sicut prudentibus loquor, ut cognoscatis cunctas Opificis nostri dispensationes pro nobis factas, quæ et visitationem nostri faciunt per manifesta et occulta præconia. Nos sumus rationabiles nuncupati, sed gerimus irrationabilem sensum, dum ignoramus occultas calliditates et artes Diaboli multiformes, quæ sint, qualesque noscantur. Quando enim compererint conari nos confusionem nostram cognoscere, et quod quæramus modum efficaciæ illorum, operantes in nobis; et non tantum ut non obediamus malitiis eorum aut hortamentis quæ disseminant in cordibus nostris, sed et ne quamplurimi nostrorum profiteantur studia eorum; ipsi quoque cognoscentes indulgentiam Conditoris, quod mors his fiat in terris, illis vero sit præparatum hæreditare gehennam propter negligentiam suam.

III. Scire autem vos volo, filioli, quod non desino obsecrans pro vobis Deum nocte ac die, ut ipse aperiat oculos cordis vestri ad providendum crebrius occultam malignitatem illorum, quam per singula super nos effundunt in isto nunc tempore. Quæso etiam ut concedat vobis scientiæ cor, ac discretionis spiritum præstet, ut possitis offerre proprium cor hostiam sanctam in conspectu Patris, in multa sanctitate et sine querela. Vere enim, filioli, invident nobis per omnem horam in suo maligno consilio, et persecutione quamplurima, et malitia sua, nec non et spiritibus erroris sive cogitationibus blasphemis, infidelitatibus nostris quoque quæ seminantur ab ipsis in cordibus, ac doloribus multis quæ irrogant nobis per omnem horam, animi



etiam defectionibus, in quibus per singula labefacere animum non desistunt, in universis quoque iracundiis suis et obtrectationibus quas docent nos habere, et adversus alterutrum, et ut justificemus nosmetipsos in iis quæ facimus, et condemnationem quæ seminatur ab ipsis in mentibus nostris etiam cum existimus singulares, cumque faciunt nos proximum judicare, nec tamen ipso extante nobiscum; præsumptionibus siquidem quas ingerunt cordibus nostris, in superbia duri cordis extantes, et invicem spernentes, amaritudinem habentes; omni hora vituperantes alterutrum et non nosmetipsos, opinantes laborem nostrum et propria constare virtute, judices existentes manifestorum, totum intra domum nostram mutante latrone, et in jurgiis atque simultatibus adversumque alterutrum affectibus, donec sermonem proprium constare faciamus, ut pereamus in conspectu nostro justificati, animositatem nobis præbentes ac facientes studia quæ tamen impossibile est geri. Intempestive enim facientes nos resolvi, ob id quod sumus ex illo, quod emolumenti est vobis. Propter quæ ridere nos faciunt tempore fletus, et flere in tempore risus : et ut semel atque simpliciter dixerim, transponunt semper e recta via in aliis quamplurimis erroribus, per omnia nos ipsos sibimet in famulos redegerunt, quorum tempus non est in propatulo fieri modo. Cum vero his omnibus corda nostra repleverint, et inebriati fuerimus illis, tunc indulget Deus quamdiu gerit malitia nostra, ac de reliquo visitationem nostri facientes resolutione gravissimi corporis hujus relinquentibus illud, tunc maligna opera quæ gerebamus male, revelat nobis in corpore pœnæ exposito quod induti fuerimus per indulgentiam Conditoris : tunc etiam « fiunt novis- » sima nostra pejora prioribus[1]. » Propter quod nolite affligi obsecrantes benignitatem Patris, ut semper possitis

[1] Matth. XII, 45. Luc. XI, 26.



habere vobiscum adjutorium ejus, doceatque vos cognitionem sui, qui se bene habet.

IV. Vere etenim dico vobis, nati mei, quia vas istud in quo sumus inhabitantes, in perditionem nobis existit, et domus est plena bellis. Pro certo, filioli, dico vobis quod omnis homo illectus in voluptatibus suis, et postratus a cogitationibus propriis, complexusque a Maligno, seminavit in corde; qui congaudet eis, et recipit sensu veluti magna existentia sacramenta in eo quod agit justificans semetipsum : hujusmodi anima coëxistit malignis spiritibus consiliatrix in malum; corpus quoque illius custodia est horrendorum quæ occultat in semetipso. Prævalebunt autem adversus hujusmodi, quoniam non traduxit eos coram omnibus. At numquid et ipsi nescitis quod non hujusmodi capturas habent quas nos cognoscentes procul dubio fugiamus? Cæterum et si quæsieris, non invenies peccatum eorum nec iniquitatem corporaliter manifestam. Corpus enim est animæ recipiens malignitatem eorum; quam cum susceperit, tunc si velit in propatulo ponit per corpus istud in quo sumus inhabitantes.

V. Nunc itaque, filioli, non demus ei locum ullum; alioquin nobismet Dei excitabimus iram, et illi permiscentur in domibus nostris irridentes nos, quoniam hoc noverunt quod perditionis est nostræ, quæ tamen et ipsa de proximo consistit, sicuti et vita de prope. Quis enim unquam Deum aspexit, ut videns congauderet ei de re tanta apud semetipsum ne forte aufugeret eum, sed ut adjudicaret etiam velut habitanti in hoc pondere tanto? aut quis aliquando aspexit Diabolum oppugnantem nos, et prohibentem beneficia adipisci, adversantem nobis et stantem in loco corporali secreto, ut prævidens fugeret ab ipso? Sed illi quidem habitant in occulto, nos autem propalamus eos per studia meliora. Quoniam igitur ex uno Creatore sunt om-

nes secundum sensualem extantiam eorum, in fugiendo vero eos a Deo, et multa diversitas est in illis effecta ob diversas operationes ipsorum; idcirco autem omnia hæc nomina adjecta sunt istis, propter uniuscujusque eorum operationem: ideo et nunc quidam ipsorum vocantur Archangeli, alii Sedes, et Dominationes, et Potestates, et Cherubim. Hæc autem eis nomina sunt addita, pro eo quod Conditoris proprii custodierunt voluntatem. Item ob crimen aliorum motum, necessarium fuit nominari etiam istos, propter malignas adinventiones ipsorum, Diabolum et Satanam. Porro alii nuncupati sunt dæmones spiritusque maligni, etiam mundi, flatus erroris, principes quoque sæculi hujus; aliæque complures in eis adversitates existunt. Rursum vero et qui obviaverunt illis in gravissimo corpore isto in quo et sumus inhabitantes, et ipsi etiam nuncupati sunt quidem, quidam patriarchæ, alii vero prophetæ et reges ac sacerdotes, nonnulli judices et apostoli, atque alii multi electi effecti propter egregium motum suum. Universa autem hæc nomina ascita sunt eis, sive masculi sive fœminæ, ob diversitates operationis eorum, et juxta principatum ipsorum, quia ex uno sunt omnes. Propterea ergo quicumque in proximum peccaverit, in semetipsum delinquit; et qui male fecerit proximo, semetipsum efficit malum. Itidem qui bene fecerit proximo, sibimet hoc facit.

VI. Si vero quis erit qui aliquando peccare potuerit in Deum, vel quis est qui eum unquam reficere queat? Quis vero erit qui ei ministraverit aliquando; aut quis benedicat eum unquam, ut opus habeat benedictione ejus? Quis enim potuit honorare illum ut ipse honorandus existit, vel quis est qui valeat exaltare eum sicut excelsus habetur? Quamobrem dum sumus vestiti gravissimo corpore isto, alieno invitamento suscitemus Deum in nobis, ut hoc agentes commendemus illam circa nos bonorum viscerum essen-

tiam. Non autem simus nometipsos amantes; sin minus, illorum inconstantis portionis erimus. Nam qui cognoverit semetipsum, universos cognovit. Ideo et scriptum est : « Qui vocavit ex nihilo ut essent cuncta[1]. » Hoc autem dicentes significant de sensuali natura, quæ occulta est in hoc corruptibili corpore, extante in principio, increpanda ab eo. Aut qui potuerit diligere semetipsum, nihilominus diliget omnes. Charissimi filioli mei, quæso vos ut non laboretis, neque fatigemini invicem diligentes; sed tollite corpus quod estis induti, et facite illud altare, ponentes desuper omnem deliberationem vestram, omnemque malignum instructum relinquite in conspectu Domini. « Extollite ma» nus *cordis vestri* ad eum[2]; » id est, sensus agendorum; et precamini Deum ut donet vobis illum invisibilem et magnum ignem, qui descendens cœlitus *comedat altare*[3] et omnia quæ in eo; universique sacerdotes Baalim, qui quidem existunt operationes adversæ, timeant fugientes a facie vestra, quemadmodum Heliæ prophetæ. Tunc demum videbis *vestigium hominis* in mari adducens specialem imbrem, quod est Paracleti Spiritus consolatio. Dilectissimi mei nati in Domino, filii Israëlitæ sanctissimi, non opus est beatificari corporum nostrorum vocabula transitura; nec enim ignoratis charitatem quam habeo in vobis, quia non est charitas corporalis, sed spiritualis et amans Deum.

VII. Dilecti, in hoc et repleor quod beatitudo vobis facta sit tempore isto. Sermo igitur vobis existat judex, ac non æstimetis perfectum vestrum institutum. Quod est ergo obsequium Dei vestram tantum operationem existere? Sed est virtus quædam cooperans vobis. Certantes itaque vos ipsos offerre hostiam Deo, continue præbete cooperanti vobis virtuti et requiem Christi Jesu[4]. Quoniam unita est universo sanctorum choro, sed et mihi deterrimo habitanti

[1] Sap. I, 14. — [2] Psalm. CXXXIII, 2. — [3] 3 Reg. XVIII, 38. — [4] Rom. XII, 1.

in hac lutea et tenebrosa domo. Quam enim ob causam dissererem vobis, nisi ut requiem exhiberem? Unde et obsecro ut, quia omnes creati sumus unius substantiæ invisibilis et initium habentis sine fine, unice diligamus alterutrum; quotquot enim cognoverint semetipsos, cognoscent quod unius substantiæ immortalis existant. Scire quoque vos volo quod Jesus Christus Dominus noster ipse Patris verus est sensus, « in quo omnis plenitudo [1] » totius naturæ rationabilis effecta est, eorum maxime qui sunt imaginis ejus conformes effecti, caput totius creaturæ et corpus Ecclesiæ. Nam et idcirco nos omnes « membra sumus in » alterutrum et corpus Christi : nec potest dicere caput pe» dibus, Non vos habeo opus : sed si patitur unum mem» brum, totum corpus movetur cum eo et patitur [2]. » Alienatorum vero membrorum corporis quæ proprio non sunt capiti sociata, sed fœditati debita, propter proprias libidinum passiones irremediabilis eorum effecta est plaga, quia oblivionem acceperunt principii atque finis. In quo et creaturarum Genitor, visceribus motus pro plaga nostra quæ sanari non poterat nisi per solam ipsius bonitatem, misit Unigenitum nobis, ut per servitutem nostram servitutis assumeret formam, traderetque se pro peccatis nostris [3]. Et peccata quidem nostra humiliaverunt eum, sed « livore » ejus nos omnes sanati sumus [4]. » Hic congregavit nos ex omnibus regionibus, usquequo resurrectionem cordium nostrorum de terra faceret, docens cunctos nos unius esse substantiæ, et membra alterutrum. Propterea debemus diligere vehementer, quia quicumque dilexerit proximum, diliget animam propriam.

VIII. Et hic sermo manifestus sit vobis, charissimi nati in Domino filii Israëlitæ sancti, qui parastis vosmetipsos ad

[1] Coloss. II, 9. — [2] 1 Cor. VI, 15; XII, 20, 21. Ephés. V, 30. — [3] Gal. IV, 4, 5. — [4] Isai. LIII, 5. 1 Petr. II, 24.

Deum ire, offerre vosmetipsos hostiam Deo in omni sanctitate; quoniam nec potest hæreditatem capere quispiam sine sanctitate. Aut numquid ignoratis, dilectissimi, quod adversarii virtutis veritati semper insidiantur? Et idcirco, charissimi, observate ne detis « oculis somnum, aut dor» mitationem palpebris [1], » proclamantes ad proprium Conditorem die ac nocte; si forte regrediatur vobis adjutorium ab excelso, quo protegente sint corda vestra et cogitationes in Christo. Nam vere, o filioli, in domo sumus latronis inhabitantes, et in vinculis mortis extamus vincti. Pro certo etiam dico vobis, quod nostra negligentia et humiliatio, extranea commotio non nobis solis est detrimento, sed Angelis labor existit, et omnibus sanctis in Christo Jesu, quia nondum usque requieverunt propter nos. Vere, nati mei, hæc nostra humiliatio illis omnibus tristitia est; sicut iterum salus et gloriatio nostra lætificationem eis ac requiem omnibus præbet. Ut autem cognoscatis quia benignitas Patris non cessat, a quo motio facta est beneficiis fulciens semper usque in hodiernum, ut obnoxios faceret nos propriæ morti, quoniam in nostra sumus potestate creati; unde et illi postulant pro nobis semper. Sed scriptum est : « Immittet se Angelus Domini in circuitu timen» tium eum, et liberabit eos [2]. » Ergo filioli, scire vos volo, ex quo factus mundus usque nunc, universa quæcumque extra virtutem fuerunt, completa malitia ipsorum et ipsi cognoscunt se inter filios esse Diaboli reputatos, propterea quod conantur unicuique nostrum ingerere propriam voluntatem. Nam pro certo est quod cum se noverit Diabolus per superbiam et inanem gloriam cœlitus fuisse dejectum, ideo et ille eos qui pervenerint in magnam mensuram aggreditur, in primis artifices existentes, per superbiam et inanem gloriam, ut sint adversum se alterutrum; scientes quod per

[1] Psal. CXXXI, 4. — [2] Psal. XXXIII, 8.

ista segregent nos a Deo. Et quia noverunt quod qui dilexerint proximum diligant Deum, ideo et illic cum sint virtutis inimici, proprium seminant fomitem simulationum in corde nostro, ut possideamus inimicitiam magnam adversus alterutrum, ne vel de longe proximo colloquamur.

IX. In totum vere filioli, volo vos etiam istud cognoscere, esse quamplurimos qui sustinuerint maximum certamen in conversatione sanctissima, sed indiscretio interfecit eos. Vere filioli, quia non est tantum mirandum si negligatis vosmetipsos, quantum si, non discernentes proprium opus, incidatis in mensuram Diaboli, arbitrantes quod jam vicini Dei sitis effecti; et expectantes fortem lucem, tenebris occupemini. Quid enim omnino fuerat opus ut, *præcingens se Jesus linteo* ac ponens pelvim, inferiorum sibi lavaret pedes[1]? Sed exemplum istud effecit significans de conversuris ad proprium illud superumque principium : Initium quippe motus superbia existit, quæ facta est inprimis. Et ne si rursus post multa consistens in corde tuo, et in tota anima tua, et in toto spiritu tuo, in tota etiam anima et corpore toto; non poteris hæreditatem capere regnum Dei. Vere filioli mei in Domino, quæso Creatorem meum die ac nocte, a quo et habeo Spiritum commendatum, ut aperiat oculos cordis vestri ad cognoscendam dilectionem nostram a vobis, quam habeo erga vos ; et ut patefiant auditus animæ vestræ ad conspiciendam confusionem propriam. Quisquis etenim cognoverit dedecus suum, hic demum requiret et electam gloriam suam. Et quicumque cognoverit propriam mortem, iste iterum cognoscet etiam suam æternam vitam. Quasi prudentibus loquor, vere filioli, quia timeo ne forte fames nos comprehendat in via, et in loco quo poteramus divites fieri si velimus. Volebam ante videre vos ad faciem in corpore, sed jam expecto tempus quod est

[1] Joan. XIII, 4.

prope, in quo possimus ex ipso nos contuitu, alterutrum pervidere « cum aufugerit, dolor, tristitia [1], » ac gemitus, cumque super caput exultatio extiterit universorum. Erant et alia multa quæ velim dicere, sed « si dedero occasionem » sapientior erit [2]. » Saluto omnes desideratissimos meos et natos in Domino, per nomen.

## EPISTOLA III.

*De Christi in nos beneficiis.*

I. Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quod « propter nos pauper factus est cum dives esset [3], » ut nos paupertate illius ditaremur: servitus autem illius liberavit nos, et infirmitas ejus constituit validos. Stultitia illius nos sapientes effecit; si tamen iterum, per mortem, propriam resurrectionem faciat nostram, ut in hac possimus vocem magnam elevare dicentes : « Tametsi novimus secundum » carnem, sed creatura est in Christo nova [4]. » Vere charissimi in Domino, dico vobis quod juxta minutias verbi libertatis, in qua cuncti liberi sumus effecti, alia habeo multa quæ dicam vobis, sed non est horum tempus dicendi modo [5]. Saluto interim vos omnes, charissimi mei nati in Domino, filii Israëlitæ sancti, secundum vestram sensualem extantiam. Vere, inquam, decebat, vobis quasi propinquantibus proprio Conditori ad inquirendam salutem animarum vestrarum per testamentariam legem, licet propter multitudinem malitiæ et malignitatis distinctionem ac libidinum voluptates refrixerit testamentaria illa lex, animæque vestræ sensus officio obierint, et idcirco nequaquam potueritis ani-

[1] Apoc. VII. — [2] Prov. IX, 9. — [3] 2 Cor. VIII, 9. — [4] Idem, V, 16. — [5] Joan. XVI, 12.

madvertere sensualem et gloriosam essentiam propter mortem qua corruerunt. Ideoque scriptum est in Scriptura divina, quod « sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in » Christo omnes vivificabuntur[1]. » Ergo iste est vita totius rationabilis naturæ creatæ in ipso secundum effigiem imaginis ejus. Ipse etiam existit sensus verus Patris. Sed imago quidem Genitoris inversabilis est, quæ assumpta est ; præter illam vobis accidit malitia, in qua et universi mortui sumus : extra naturam siquidem est substantiæ sensualis in Deo. Ergo omnibus, inquit, extra naturam acquisivimus domum tenebrosam ac præliis plenam. Et in hoc testificamur vobis, quod totius vigoris scientia deficit a nobis. Ob quam etiam causam aspiciens genitor noster Deus infirmitatem nostram, quod impossibiles simus effecti gestare veritatem, ex quo hujus rei gratia bonitate propria venit visitationem facere creaturarum suarum per ministerium sanctorum.

II. Obsecro vos universos, in Domino charissimi, ut intelligatis quæ scribo vobis ; quia non dilectionem corporalem habeo in vos, sed charitatem spiritus culturæ Dei. Præparate vosmetipsos ad Conditorem vestrum ire. « Scindite » corda vestra, et non vestimenta vestra[2]. » Et scitote quid possimus restituere Domino pro cunctis donationibus quæ dedit nobis, quique et usque et hic in ista habitatione memoriam nostri facit propter immensam bonitatem suam et infinitam dilectionem non faciens nobis secundum peccata nostra ; qui et solem usque fecit ministrare nobis in tenebrosa domo, lunam quoque ac sidera cuncta jubens deservire vanitati perituræ, propter corporum constabilitionem : aliasque virtutes multas nobis ministrare præfecit, quas neque vidimus corporis oculo. Quid ergo dicemus quasi in aliquo boni fraudemur ab eo quod ipse non fecit nobis? Numquid Patriarchæ non passi sunt pro nobis, aut sacer-

[1] I Cor. xv, 22. — [2] Joel. II, 13.

dotes docuerunt nos? Numquid Prophetæ pro nobis mortui non sunt, aut Apostoli persecutionem non sustinuerunt pro nobis? Numquid Filius Dei dilectus non pro nobis omnibus mortuus est? Ob quæ universa debemus et ipsi properare ad pergendum in omni sanctitate ad proprium Conditorem, qui cernens creaturam non posse curare plagam quæ facta fuerit Judæis, propriis videlicet membris, Pater ipse creaturarum, sciens infirmitatem sensus eorum, est motus visceribus circa eos, et secundum multam dilectionem suam non pepercit unigenito Filio suo, sed ad nostram omnium salutem tradidit eum propter nostra peccata. Et iniquitates quidem nostræ humiliaverunt eum, « livore autem » ejus non omnes sanati sumus [1]. » Hic congregavit nos ex omnibus regionibus verbo virtutis suæ, donec illam sensus nostri resurrectionem effecerit, docens nos alterutrum existere membra. Docet idcirco universis nobis properantibus ad proprium Conditorem, exercere habitudines nostras ac sensus officia ad agnoscendam dignitatem boni malique discrimen, ut sciatis omnes illas Jesu dispensationes quas in proprio dedit affectu, similis nobis factus per omnia excepto peccato. Propter multam vero malitiam nostram districtionemque malitiæ et gravedinem inconstantiæ nostræ, factus est adventus ejus « quibusdam quidem stultitia, aliis » vero scandalum [2], » alteri parti emolumentum, itemque aliis sapientia et virtus, porro aliis resurrectio et vita.

III. Hoc quoque manifestum sit vobis, quod adventus illius factus sit omni mundo judicium. « Ecce enim, *ait,* ve» niunt dies, dicit Dominus, et omnes scient me a minimo » usque ad maximum eorum, et auditum faciam usque ad » extremum terræ, ut omne os obstruatur, et subditus fiat » omnis mundus Deo [3] : quia cum cognovissent Deum, ut

[1] Isai. LIII, 5. 1 Petr. I, 24. — [2] 1 Cor. I, 2, 3. — [3] Jerem. XXXI, 34.

» non creatorem proprium glorificaverunt[1], » et id propter vecordiam suam, per quam nec potuerunt capere sapientiam ejus. Sed unusquisque nostrum vendidit semetipsum propriis voluptatibus in mala, et ipsis servus dictus est. Ob quæ ipse Jesus « exinanivit semetipsum *a gloria,* formam » servi accipiens[2] », ut illius servitus nos liberaret. Stulti fuimus, et in stultitia nostra facinus gessimus : assumpsit ille habitus stultitiæ, ut nos faceret sapientes. Inopes eramus, et in paupertate nostra omnis defecerat vigor a nobis : item ille hic assumpsit inopiæ formam, ut paupertate sua nos in omni sapientia et intellectu ditaret. Non solum autem hæc, sed insuper et infirmitatis nostræ figuram assumpsit, ut propria infirmitate nos robustos efficeret, obediens factus Patri in omnibus usque ad mortem, *mortem autem crucis;* ut in sua morte et humilitate illam cunctorum resurrectionem efficeret, eumque destrueret qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum. Igitur si pro certo liberabimus nosmetipsos in ejus adventum, profecto inveniemur discipuli Jesu, et divinæ hæreditatis instituemur hæredes. Charissimi in Domino, turbor vehementer et moveor in spiritu meo, quod nominibus amicti sumus, et sanctorum schemata bajulamus in conspectu infidelium gloriantes. Sed metuo ne illud Pauli oraculum impleatur in nobis, quo ait : » Ha- » bentes formam pietatis, virtutem autem ejus negantes[3]. » De charitate vero quam habeo in vos pro vobis ad Deum, ut consideretis vitam vestram et hæreditate capiatis ea quæ non videntur.

IV. Nam verum est, filioli, quod etiamsi demus nos ipsos ex tota virtute inquirere Deum, nec sic quidem condigna gratia erit. Id enim inquirimus quod nostrum existit, et quod naturale est substantiæ nostræ[4]. Vere etiam charis-

[1] Rom. I, 1. — [2] Philip. I, 7. — [3] 2 Tim. III, 5. — [4] Rom. XII, 1.

simi in Domino, qui in omni sanctitate parastis vosmetipsos offerre hostiam Deo, qui nihil de his quæ expediebant celabimus vobis, sed perspicua facientes testificabimur ea quæ adversarii virtutis subripiunt veritati. Hoc quoque cognoscite, scientes quod hic « qui secundum carnem est, » semper insectetur eum qui secundum spiritum[1]; et « quod » omnis qui voluerit pie vivere in Christo, persecutionem » patitur[2]. » Propter quod Jesus cognoscens tribulationes omnes ac tentamenta, veniens in mundo ad Apostolos, et sciens quod per patientiam suam resolveret universam inimici virtutem, id est idololatriam, consolabatur dicens : «Vos » tribulationem habebitis in mundo, sed constantes estote, » quia ego vici mundum[3]. » Docebatque eos dicens : Nolite timere mundum, quia omnes afflictiones mundi condignæ non sunt ad eam quæ expectatur gloriam. Nam « si » eos qui ante vos fuerunt Prophetas insecuti sunt, et vos » persequentur; et si me oderunt, et vos oderint. » Sed confidentes estote, quia vestra sapientia solvetis omnem inimici virtutem. De minutia vero verbi libertatis in qua liberati sumus habeo alia multa dicere vobis, sed si dedero occasionem sapienti, sapientior erit. Opus tamen habemus consolari invicem exiguis quibusque sermonibus, quo si vere perspexerit mens, jam nequaquam egebit loquelæ corporalis mendacio.

V. Gaudeo autem in omnibus vobis, dilecti in Domino viri Israëlitæ sancti, secundum propriam sensualem extantiam. Quia primum quidem decebat rationalem virum cognoscere semetipsum, deinde ut cognoscat ea quæ sunt Dei, et universas ipsius gratias quascumque semper cum eo facit. Ac deinceps noverit quod omne peccatum et totum quidquid querulosum existit, extra naturam est sensualis extantiæ. Denique videns Conditor noster nos hæc

[1] Gal. IV, 29. — [2] 2 Tim. III, 12.— [3] Joan. XVI, 33.

extra naturam possidere arbitrio liberali in quo hic moriebamur; horum causa visceribus pro nobis motus, propria bonitate voluit convertere nos ad illud sine fine principium, visitationem fecit creaturarum, non parcens sibimetipsi ob nostram universorum salutem. Tradidit quippe se pro peccatis nostris, et iniquitates quidem nostræ humiliaverunt eum, sed livore ejus nos omnes sanati sumus. Verbo etiam virtutis suæ congregavit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ usque ad ultimum orbis, docens quod essemus alterutrum membra. Quamobrem si pro certo paravimus nosmetipsos liberos facere ejus adventu, scrutetur semetipsum rationabilis homo quidnam possit retribuere Deo pro cunctis donis quæ fecit nobis.

VI. Unde et ego quoque deterrimus qui hanc descripsi Epistolam, expergefactus a dormitione mortis, plurimum illud temporis quod mihi fuit super terram, factum existimo luctum et fletum, lugens quidnam possum retribuere Domino pro omnibus quæ fecit mihi. In nullo enim frustrati sumus eorum quæ non perfecerit nobis in humilitate nostra. Angelos etenim suos nobis ministrare fecit, Prophetasque proprios vaticinari præcepit. Apostolos etiam suos nobis evangelizare jussit. Insuper vero illud omnium insigne est præceptorum, quod Unigenitum suum formam servi fecit assumere pro nobis. Obsecro itaque, charissimi in Domino, vos, qui sanctorum existitis cohæredes, ut excitare velitis proprias mentes in timore Dei. Sermo enim vobis iste sit manifestus, quod Joannes quidem præcursor Jesu baptizaverit in remissionem peccatorum propter nos, Spiritu autem sanctificati fuerimus in Christo. Præparemus nos ipsos nunc in omni sanctitate ad purgandam sensualem mentem nostram, ut simus mundi in baptismate Jesu ad offerendum nosmetipsos hostiam Deo. Hic vero Paracletus Spiritus, qui consolatur nos, convertit rursus ad prin-

cipium nostrum ad recuperandas hæreditates proprias et magisteria ejusdem Spiritus consolantis. Hujus rei gratia « quotquot in Christo baptizati sunt, Christum induunt[1]; » nec est masculus aut fœmina; non est servus aut liber. Omnis etiam lingua corporum destruitur apud illos, accipientibus eis doctrinam sancti Spiritus in tempore quo sument hæreditatem sanctam, et adorabunt Patrem sicut oportet *in Spiritu et veritate*[2].

VII. Manifestus siquidem sit vobis sermo iste, ne expectare velitis judicium futurum in illa præsentia Jesu; jam etenim adventus illius omnibus nobis judicium existit. Scitote etiam quod omnes in se gestantes Spiritum, respicientur et vestientur vestimento illo quo sumus exuti juxta sensualem nostram extantiam. Nam et sæpe fit vox veniens semper a Deo Patre ad omnes illos qui in se ipsum gerunt, dicens eis : « Consolamini, consolamini, popule » meus, dicit Dominus ; » et : « Sacerdotes, loquimini in corde » Hierusalem[3]. » Deus quippe visitationem continuo fecit creaturarum suarum manifestans propriam bonitatem. Et vere, charissimi, secundum minutias verbi libertatis, in qua liberati sumus, sunt et alia quamplurima quæ dicantur vobis; sed si dedero occasionem sapienti, sapientior erit. Deus autem pacis det vobis gratiam discretionis, ut cognoscatis quæcumque scribo vobis, quod mandatum sit Domini. Custodiat vos idem totius gratiæ Deus sanctos in Domino usque ad novissimum flamen. Oro autem Deum semper pro omnium vestrum salute, in Domino dilectissimi. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

[1] Rom. VI, 3. Galat. III, 27. — [2] Joan. IV, 23. — [3] Isai. XL, 1.

# EPISTOLA IV.

*De duobus Christi præcursoribus, et ejus adventu in carnem.*

I. Charissimis et honorabilibus in Domino salutem. Vere dilectissimi in Domino, quia non in uno tempore tantum visitationem facit Deus creaturarum suarum, sed a constitutione mundi quotquot venerant ad opificem Deum per testamentariam Legem, iis coadest Deus singulis in simplicitate, secundum gratiam per Spiritum suum. De rationalibus autem naturis in quibus illud testamentum refriguit, et officia animorum illorum mortificata sunt, ita ut ultra non inquirant cognoscere semetipsas secundum suam priorem conditionem; aliæ irrationabiles omnino effectæ, servierunt creaturæ potius quam Creatori. Idem vero Conditor, propria bonitate nostri visitationem effecit per testamentariam Legem, quoniam substantia immortalis existit. Quotquot igitur digni habiti sunt gratia, et concreverunt per suam cardinalem legem, et edocti sunt per Spiritum sanctum capientes filiorum adoptionis spiritum, his etiam prævaluerunt adorare Conditorem proprium sicut oportet. De quibus et Paulus ait, « quia non perceperint repromissiones » propter nos[1]. » In sua vero impartibili dilectione volens ipse cunctorum Deus visitationem facere refrigidationis nostræ ac dispensationis, excitavit Mosen doctorem Legis, qui daret nobis legem in littera. Et fundavit ipse nobis veritatis domum quæ est Ecclesia catholica, quam creavit volens convertere Deus ad primum initium. Et quia Moses quidem ædificavit ut præcedens, idcirco non timebimus asserere

[1] Hebr. xi, 39, 40.

eumdem latorem Legis unum esse ex præcursoribus; et quia Spiritus qui fuerit cum Mose, idem sit operatus et in choro sanctorum, omnesque petierunt de Unigenito Dei. Item Joannes unus de præcursoribus extat, et ideo « Lex » atque Prophetæ usque ad Joannem : Regnum cœlorum » vim patitur, et violenti diripiunt illud[1]. »

II. Prævidentes autem ii qui Spiritu ferebantur, quod nulla creatura possit curare illam grandissimam plagam, nisi sola beatitudo Dei, qui est Unigenitus ejus, quemque et destinavit ad salutem totius orbis, qui et est medicus magnus potens curare ingentem plagam sua bonitate; Pater creaturarum non pepercit Unigenito propter nos, eum pro nostra universorum salute tradens pro peccatis nostris et pro iniquitatibus. Et ipse quidem semetipsum humiliavit, sed illius livore nos omnes sanati sumus, verboque virtutis suæ congregavit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ usque ad ultimum orbis, faciens resurrectionem cordium nostrorum a terra; docuitque nos alterutrum existere membra.

III. Obsecro ergo vos, charissimi in Domino, ut intelligatis scripta, quia Dei mandata sunt. Magnum quippe nobis est hoc, ut advertamus mentem ad formam quam assumpsit Jesus propter nos, eo quod per omnia nobis similis fuerit excepto peccato. Decet etiam ut et nos ipsi liberemus ipsos nos in ejus adventum, et illius stultitia nos sapientes efficiat, paupertas ipsius ditet, et infirmitas robustos ostendat, et ut ipse omnium resurrectio fiat, destruens eum qui mortis habet imperium. Tunc enim cessabimus opus habere secundum carnem, in Jesu adventu. Namque Jesus cooperatur nobis in bono servitio usquequo destruamus malitiam omnem. Tunc quoque dicet nobis Jesus : « Jam » non vocabo vos servos, at fratres[2]. » Quando igitur sic eos vocavit Deus ut acciperent spiritum filiorum adoptio-

[1] Luc. xvi, 16. — [2] Joan. xv, 15.

nis, tunc et Spiritus sanctus docuit eos adorare Patrem sicut oportebat. Unde et mihi quoque deterrimo, juncto Jesu, tempus istud in quo advenimus, factum est lætificatio et luctus et fletus : quoniam et multi de genere nostro induerunt indumenta pietatis, virtutem vero negaverunt.

IV. Quamobrem et ego in his quidem lætificor qui præparaverunt semetipsos liberare in adventu Jesu ; in illis vero lugeo qui interpellant nomen Jesu, et faciunt voluntates cordis et carnis. Necnon et eos defleoqui intuentes longitudinem temporis, pusillanimes effecti sunt, et spoliaverunt se pietatis amictu, facti sicut bestiæ. Agnoscant vero hujusmodi dicentes : « Quia jam non vocabo vos ser» vos, sed et amicos et fratres, quia quæcumque nota fecit » mihi Pater, manifestavi vobis [1]. » Confitentes igitur mente quod agnoverunt semetipsos secundum sensualem suam substantiam, dederunt vocem dicentes : « Quia et si cognovi» mus te aliquando secundum carnem, sed nunc jam non » novimus [2]. » Quique accipientes filiorum adoptionis spiritum, exclamaverunt dicentes : « Non enim accepimus spi» ritum servitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum » adoptionis in quo clamamus, Abba pater [3]. » Nunc ergo, Deus, cognovimus quæcumque donasti nobis, et scimus quoniam filii sumus, et hæredes erimus ; « hæredes quidem » Dei, cohæredes autem Christi. » Manifestus igitur sit vobis iste sermo, quod nisi quis præparaverit emundationem propriam, nec conatus fuerit ex tota virtute, quod huic adventus Salvatoris in judicium fiet. Quibusdam enim est « odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in » vitam [4], » propterea quod in ruinam et in resurrectionem multorum positus sit in Israël, et in signum contradictionis. Quapropter obsecro vos ne negligatis salutem propriam, sed unusquisque vestrum scindat cor, et non vestimenta ;

[1] Joan. xv, 15. — [2] 2 Cor. v, 16. — [3] Rom. viii, 15. — [4] 2 Cor. ii. 16.

ne forte amicti habitu injusto paremus nobis judicium. Ecce enim jam appropinquabit tempus, in quo probentur uniuscujusque vestrum opera. De minutia vero verbi erant alia quæ scriberentur vobis, sed scriptum est : « Da sapienti » occasionem, et sapientior erit[1]. » Saluto vos omnes in Domino, a minimo usque ad magum. Deus autem pacis custodiat vos universos, charissimi.

---

# EPISTOLA V.

*De Angelorum gaudio et luctu propter nos, et ne vitam nostram negligamus.*

I. Antonius dilectissimis natis, filiis Israëlitis, secundum sensualem ipsorum extantiam; non enim necesse est nominari vocabula quæ transeunt, qui filii estis Israël. Adhuc vere nati mei, dilectio quam habeo in vos non est dilectio corporalis, sed est charitas spiritus culturæ Dei. Propterea autem nec defatigor obsecrans Deum die ac nocte pro vobis, ut possitis cognoscere gratiam quæ concessa est vobis. Quia non in uno tempore visitationem facit creaturarum suarum, sed a constitutione mundi moderatur Deus proprias creaturas, per generationes singulas, expergefaciens quemque occasionibus quibusdam et gratia. Nunc itaque, filioli, nolite negligere proclamantes ad Dominum die et nocte, compellantes benignitatem Patris ut hoc donet vobis adjutorium de cœlo, docens vos usquequo cognoscatis quid in se habeat. Nam, vere filioli, qui in propria nece consistimus, habitantes in latronis domo et manentes, non et mortis vinculis obligamur nunc. Quapropter ne de-

[1] Prov. IX, 9.

deritis somnum oculis vestris, nec palpebris dormitationem, offerentes vosmetipsos sacrificium Deo in omni sanctitate, quam nemo hæreditare potest sine sanctimonia. Vere charissimi in Domino, manifestus sit vobis iste sermo, et id quod bonum est facietis; in quo et universos reficietis sanctos, alacritatem animorum præbentes, obsequium Angelorum, et lætificationem Jesu, quoniam necdum requiem habuerunt propter nos usque ad hanc horam; sed et mihi deterrimo, hac habitanti in lutea domo, eamdem lætitiam in spiritu meo.

II. Vere etenim, filioli, quia nostra incommoditas et inutilitas dolorem eis omnibus præbet, utuntur lacrymis atque gemitibus pro nobis in conspectu Conditoris, et ob hoc cunctorum etiam Deus irascitur super opera nostra maligna propter gemitum sanctorum; siculi iterum profectus et emundatio nostrorum animorum, alacritatem præbet choro sanctorum. Et utuntur prece multa atque lætitia in exultatione coram Creatore nostro. Ipse quoque cunctorum Opifex lætatur in operibus nostris, et propter testimonium sanctorum donat nobis charismata immensa. Igitur ut cognoscatis quod Deus diligat semper propriam creaturam, eo quod sit immortalis extantiæ, non est resolvenda corporibus, aspiciens sensualem naturam ipse quod mortuo omnino perrexisset in abyssum, et illud testamentarium refriguisset. Tum idem Deus propria bonitate eamdem visitat, ex morte per Mosem ædificare volens, et magnam curare plagam, gestiens convertere eam ad pristinam concordiam; sed potens discessit ab eis. Adhuc insuper et omnis Prophetarum chorus ædificaverunt supra fundamentum Mosis; sed nec isti valuerunt mederi ingentem plagam membrorum suorum: cernentesque quod cessasset virtus eorum, iterato adhuc universus sanctorum chorus collectus in unum orationes refert in conspectu proprii Condito-

ris, dicens : « Numquid resina non in Galaad, aut medicus » inibi? Quare ergo non ascendit sanitas filiæ populi mei? » Domine, curavimus Babylonem, et non est sanata; nunc » fugiemus ab ea[1]. » Petentibus cunctis benignitatem Patris de Unigenito, quod nisi ipse in terris calcaret, nulla creatura curare possit ingentem plagam; hujus rei causa, bonitate propria vocem dedit dicens : « Fili hominis, facito » tibi vasa captivitatis[2]. » Voluntas itaque Patris Unigenito non pepercit pro nostra omnium salute, sed tradidit eum pro peccatis nostris. Et iniquitates quidem nostræ humiliaverunt eum, sed livore ejus nos omnes sanati sumus. Congregans ipse nos ex omnibus regionibus a summo terræ usque ad extremum orbis, faciens resurrectionem sensuum nostrorum de terra, et quod alterutrum membra sumus.

III. Attendite ergo, filioli, ne forte illud oraculum Pauli impleatur in vobis : « Habentes quidem formam pietatis, » virtutem autem ejus negantes[3]. » Quamobrem unusquisque nostrum scindat proprium cor, deflens in conspectu ejus dicens : « Quid retribuam Domino pro omnibus bo» nis quæ retribuit mihi[4]? » Formido iterum, filioli, ne forte illud eloquium impleatur in vobis : « Quæ utilitas in » sanguine meo dum descendo in corruptionem[5]? » Vere filioli, quia sicut prudentibus loquor, ut intelligatis quæ dico vobis; quod nisi unusquisque vestrum exuerit omnem pulverem naturæ hujusmodi materiæ, et abrenuntiaverit et omni operationi ejus ex toto corde, expanderitque manus cordis rursum ad universorum Patrem ut ipse visceribus moveatur circa laborem ejus, et donet ei invisibilem ignem, qui comburat omnem immunditiam ab eo, ac principalem ipsum expurgans : tunc Spiritum suum sanctum faciat habitare nobiscum, et sic possimus habitare apud

[1] Jer. VIII, 22. — [2] Ezech. XII, 3. — [3] 2 Tim. III, 5. — [4] Psal. CXV, 12. — [5] Psal. XXIX, 10.

Patrem sicut oportet. Nam quamdiu fatiscimus naturali materiæ, velut inimici existimus Angelorum Dei, atque sanctorum ejus. Nunc ergo obsecro vos, dilectissimi, in nomine Domini nostri Jesu Christi, uti ne velitis negligere propriam vitam, nec confundat exiguitas temporis illud sine fine tempus, ne pellicula carnis corruptibilis offuscet regnum ineffabilis lucis, neque condemnationibus locus exitialis in Angelis exterminet sedes.

IV. Vere, filioli, quia anima phantasmata patitur, et spiritus meus in pavore consistit quod universi nos velut gurgite immersi sumus, et velut ebrii musto consistimus cum unusquisque nostrum propria distrahitur voluntate, hujus domino subjugatur nolente attollere oculos nostros ad cœli gloriam inquirendam, et illam sanctorum omnium operationem illustrem, ipsorum vestigiis inhærentes. Ut ergo sciatis quod cœli sancti Angeli, sive Sedes, sive Dominationes, sive Cherubim, sive Seraphim, sive sol, sive luna, sive astra, sive Patriarchæ, sive Prophetæ, sive Apostoli, sive Diabolus, sive Satanas, sive spiritus maligni, sive principes aëris hujus, et (ne plura dixerim) sive masculus, sive fœmina, secundum principium creaturæ suæ ex uno sunt omnes, excepta sola perfecta ac beata trinitate Patris et Filii et Spiritus sancti. Propter bonum vero quorumdam motum, opus fuit ut Deus horum nomina vocitaret; et secundum studia ipsorum, his qui amplius profecerunt attribuit superexcellentem gloriam dignitatis.

# EPISTOLA VI.

*De Christi adventu, et ut nos ipsos cognoscamus.*

I. Debet rationabilis homo paratus esse ut liberet semetipsum in adventu Filii Dei, cognoscens se esse secundum sensualem suam extantiam. Quia quicumque cognoverit semetipsum, cognoscet dispensationem proprii Conditoris, vel quæcumque facit in propriis creaturis. Dilectissimi nobis in Domino, membra nostra et cohæredes sanctorum, obsecro vos in nomine Jesu Christi facere ut præstet ipse vobis omnibus discretionis spiritum ad discendum et sciendum dilectionem quam habeo in vobis, quia non est corporalis dilectio, sed est spiritualis charitas divinæ culturæ. De nominibus vero corporum nostrorum non opus est nominari ea; pertranseunt enim. Cognoscat autem homo id quod verum est nomen. Propter quod et Jacob luctante per totam noctem cum Angelo, nomen illi erat Jacob; mane autem facto vocavit nomen ipsius Israël, quod est, Mens videns Deum. Puto etenim non ignorare vos quod adversarii virtutis obsideant veritatem. Unde nec uno tantum tempore Deus visitat proprias creaturas, sed ab exordio mundi. Nonnulli etenim putaverunt se venire ad proprium Conditorem per testamentariam ipsius Legem, edocti ab illo adorare Opificem suum sicut oportet. Quoniam vero ob passionem infirmitatis, et gravedinem corporis ac distinctionem malignam refriguit testamentarium illud, et officia sensus animæ lassaverunt; idcirco non potuerunt exquirere, proprie secundum suam creationem, quod esset substantia immortalis non resolvenda corporibus : unde nec prævaluit semetipsum liberare, nisi justitia.

II. Hujus rei gratia aggressus est eos Deus per scriptam Legem, ut doceret eos adorare Patrem sicut oportet. Sed quoniam Deus unus existit, et secundum sensualem essentiam in idipsum est unitas; sit ipse vobis sermo manifestus, quod omnis locus in quocumque non fuerit consonantia, illic bella congerunt sibi, et judicia faciunt oriri apud semetipsos. Videns autem Conditor quod plaga eorum magnificata fuerit vehementer, et opus haberet remedium Jesu medici veri (ipse enim Unigenitus creator illorum existit, et ipse curat eos), misit ante se instructorem domus, ac ille nequaquam proficiscens abiit sibi. Itemque Deus excitavit Prophetarum choros per Spiritum suum, quique ædificaverunt quidem supra fundamentum Mosi; verumtamen nec isti quidem potuerunt, sed eodem modo derelinquentes abierunt sibi. Et ipsi cuncti Spiritum in se gerentes perviderunt plagam quod insanabilis esset, et quia per nullam creaturam curari possit, nisi per Unigenitum, qui sensus est Patris et imago ejus existit. Cujus etiam imaginis effigie tota facta est creatura. Agnoscentes liquido quod hic Salvator et medicus existeret magnus, collecti sunt in idipsum omnes, et retulerunt orationes pro commembris suis, qui sumus nos proclamantes ac dicentes : « Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est » ibi? Quare ergo non ascendit sanitas filiæ populi mei? » Quia curavimus eam, et non est sanata; nunc ergo ibi- » mus ab ipsis[1]. » At ipse Deus supereminenti et non simulata dilectione affuit nobis per sanctos suos, dicens : « Fili » hominis, facito tibi captivitatis vasa[2]. » Ipse quoque « in » forma Dei existens, non rapinam arbitratus esse se æqua- » lem Deo, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et » obediens factus est usque ad mortem, mortem autem cru- » cis; propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi

[1] Jerem. VIII, 22. — [2] Ezech. XII, 3.

» nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu » Christi omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium et » infernorum, omnisque lingua confiteatur quia Dominus » Jesus Christus est in gloria Dei Patris[1]. »

III. Nunc ergo, charissimi, sermo iste sit vobis manifestus, quod benignitas Patris non pepercit Unigenito propter nos; sed tradidit eum propter nostram omnium salutem, tradens ipse semetipsum propter peccata nostra. Et iniquitates quidem nostræ humiliaverunt eum; sed « livore ejus *nos* » sanati sumus[2]. » Ipse quoque verbo virtutis suæ congregavit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ usque ad ultimum orbis, faciens resurrectionem sensuum nostrorum et remissionem peccatorum, docens nos alterutrum existere membra. Quapropter, fratres, obsecro in nomine Jesu Christi, ut cognoscatis hanc tam magnam dispensationem, quod similis nobis per omnia fuerit, excepto peccato. Debet autem universa rationabilis natura, propter quam maxime Salvator advenit, ut dijudicet habitudinem suam et ignorantiam proprii sensus, distinctionemque dare inter medium mali ac boni, liberari quærens per ejus adventum. Etenim quotquot liberi facti sunt per illius dispensationem, ii vocati sunt servi Dei. Quod tamen necdum perfectum est, nisi quod tantum in tempore suo justum existit, et deducet ad filiorum adoptionem. Nam is Salvator noster sciens quod appropinquaret accipere spiritum filiorum adoptionis, dedit ut etiam cognoscerent eum docti a Spiritu sancto, quod adventus Jesu factus sit hominibus judicium. Unde et vos, charissimi in Domino, cognoscite vosmetipsos, ut ad hæc et tempus possitis cognoscere, et parati sitis offerre vosmetipsos sacrificium Deo.

IV. Vere, charissimi in Domino, quod tanquam rationabilibus vobis scribo, et qui potuistis cognoscere vosmetipsos.

[1] Philip. II, 16. — [2] Isai. LIII, 5.

Scio enim quod quicumque cognoverit semetipsum, agnoscet et Deum; qui vero cognoverit Deum, agnoscet et dispensationes illius, quas effecit in propriis creaturis. Manifestus quoque sit vobis iste sermo, quod non corpoream dilectionem habeo in vobis, sed charitatem spiritus culturæ Dei; ejus videlicet Dei qui gloriatur in consilio justorum. Parate ergo vos ipsos dum habetis qui pro vobis exorent, et postulantes pro vestra salute, ut « ignem quem venit ipse » immittere super terram[1] » immittat cordibus vestris, ut possitis exercere habitudines vestras; et det sensuum officia ad cognoscendum discernere malignum a bono, a sinistra dexteram, a substantia insubstantiam. Sciens enim Jesus quod imperium Diaboli materia facit, advocans Discipulos, dixit eis : « Nolite thesaurizare vobis super terram, » nec solliciti sitis de crastino, crastinus enim dies sollici- » tus erit de se[2]. » Vere, fratres, scitis quod tempore ventorum prosperitatis omnis gubernator plaudit sibi; in contraria vero quæque ventorum, omnis gubernator manifestatur. Intelligite ergo tempus in quod advenimus, quale sit. De minutia autem verbi libertatis erant plurima quæ dicerentur vobis; sed si dedero « occasionem sapienti, sapientior » erit[3]. » Saluto vos a minimo usque ad maximum.

---

## EPISTOLA VII.

*De cognitione sui ipsius, et de Ario.*

I. Antonius, omnibus dilectissimis fratribus in Domino, salutem. Non deficio memorans vestri qui estis Catholicæ membra. Agnoscere autem vos volo dilectionem quam habeo in vobis, quia non est corporea, sed est dilectio spiri-

[1] Luc. XII, 49. — [2] Matth. VI, 19. — [3] Prov. IX, 9.

tus culturæ Dei : corporum quippe nostrorum amicitia, in insubstantia et inconstantia est, quæ movetur sæpe ab extraneis ventis. Cuncti vero qui timent Dominum, et custodiunt mandata ejus, servi sunt Dei : sed non est in ipsa servitute perfectio, nisi quod tantum justa tenet, seducens filiorum adoptionem. Propter quod et Prophetæ et Apostoli, omnisque sanctorum chorus Deo suscepti, ut crederetur ei Apostolica prædicatione per voluntatem Patris, vincti Christi effecti sunt. Denique Paulus ait : « Vinctus Jesu » Christi vocatus Apostolus[1]. » Scripta itaque Lex cooperatrix fiat vobis in hoc servitio, usquequo dominari possimus omni vitio, et perficiamur in optimo ministerio virtutis per Apostolicum mandatum[2]. Quia si prope fuerimus effecti ad accipiendum, tunc dicet vobis Jesus : « Quia jam non vo» cabo vos servos meos, sed amicos et fratres; quia quæ» cumque nota fecit mihi Pater, revelavi vobis[3]. » Quotquot enim proposuerunt, edocti sunt per Spiritum sanctum, hi cognoverunt semetipsos secundum sensualem suam extantiam; in ipsa vero sui cognitione proclamaverunt dicentes : « Non enim accepimus spiritum servitutis iterum » in timore; sed accepimus spiritum filiorum adoptionis, » in quo clamamus, Abba pater[4]; » ut cognoscamus quanta nobis donaverit Deus, « Quia et filii sumus et hæredes : » hæredes quidem Dei; cohæredes sanctorum[5]. »

II. Fratres dilectissimi et cohæredes sanctorum, omnis virtus non est aliena vobis, sed vestra existit, si tamen inculpabiles sitis a mala vita, Deo autem manifesti. « In ma» lam enim animam non intrabit Spiritus Dei, nec habitabit » in corpore subdito peccatis : » sancta quippe est virtus, fugiens ab omni dolo. Vere, dilectissimi, quia sicut rationabilibus scribo vobis et quasi potentibus cognoscere vos-

[1] Ephes. III, 1. — [2] Philip. I, 6 et seqq. — [3] Joan. XV, 15. — [4] Rom. VIII, 15. — [5] Ibid. 17.

metipsos : quia qui semetipsum cognoverit, Deum cognoverit; qui vero cognoverit Deum, hunc adorare debet sicut oportet. Et charissimi in Domino, cognoscite vosmetipsos; quia qui semetipsos cognoscunt, et tempus cognoverunt; qui vero cognoverunt tempus, ii potuerunt statuere semetipsos immobiles a diversitate linguarum. De Ario vero qui in Alexandria surrexit et loquitur aliena verba de Unigenito : cui qui est et qui sine tempore est, tempus non adscivit; et ineffabilis, finem inter creaturas non dedit; immobilis, immobilitatem non affixit.

FINIS TOMI VIGESIMI QUINTI.

# S. PACHOMIUS,

## PRIMUS TABENNENSIS ABBAS,

## ET CŒNOBITARUM INSTITUTOR.

(ANNO 348.)

GRÆCUS.

S. Pachomius, in Thebaïde an. 292 natus, et paganas inter superstitiones educatus, rejecto licet adhuc puer idolorum vino, imo et interruptis dum præsens adesset paganorum mysteriis, tam magna a primis annis abstinentiæ et castitatis specimina exhibuit, ut magnam futuræ sanctitatis spem omnibus incuteret. Jam annum agebat vigesimum, cum militiæ nomen dare coactus est; sed Diospolim ingressus, tanta christianorum hic degentium benevolentia est recreatus, ut Deo quem adorabant nomen potius dare polliceretur. Mortuo autem Maximino, bellorumque tempestate sedata, non baptisma tantum catechumenus suscepit, sed et Palemonem, sanctissimum in solitudine senem, magistrum veneratus, cœnobiticam vitam monachus amplexus est.

Tabennense primo monasterium excitavit, ubi centum discipulis hinc et inde congregatis præfectus, vitæ cœnobiticæ instituta datis regulis condidit; unde grassante ejus fama plures alias monachorum domos erigere coactus est. Imo et puellarum cœno-

bium sorori præparavit, ubi an. 420 quadringentis jam virginibus sanctissimè præerat.

Sic catholicæ fidei adhærebat, ut transeuntem Athanasium suscipere exultaret; sic monasticam propugnabat disciplinam, ut negligentem monachum *absque ulla psalmodia terræ mandari* præciperet sic placebat Deo, ut morbos curaret, et possessos a Diabolo liberaret; sic apud homines celebratus est, ut S. Macarius Alexandrinus quindecim dierum iter susciperet, talem virum invisurus : cum autem quadragesimam simul in jejuniis tolerassent, sæviente morbo quo plurimi obierunt monachi, correptus et ipse Pachomius, nona die maii an. 348 defunctus est.

Præter Regulam, quæ juxta titulum non tota illi tribuenda videtur, plures Épistolas scripserat, quas Holstenius Romæ edidit an. 1661, et Parisiis 1663. Verbis implexis et sub ænigmatis forma proferuntur, ideoque propter sensuum difficultatem omittuntur in hac nostra Collectione, sola retenta Regula, quam inter S. Hieronymi opera excudi curabimus.

*Regula* S. Pachomii excusa est tum alias sæpius, tum præsertim in Bibliothecis Patrum, ex versione S. Hieronymi.

# CONCORDANTIA

## BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

| BIBLIOTHECA LATINA. | Pag. | BIBLIOTHECA GALLICA. | Pag. |
| --- | --- | --- | --- |
| EUSEBII PAMPHILI De vita Constantini. | 1 | Ejusdem analysis, t. V, | 228 |
| —Oratio ad sanctorum Cœtum. | 193 | Ejusdem analysis et fragmentum, t. V, | 229 *et seq.* |
| S. JACOBI NISIBENI Sermones. | 251 | Eorumdem fragmenta, t. XIX, | 401-405 |
| S. Antonius abbas. | 547 | Idem, t. V, | 360 *et seq.* |

# ANNOTATIONES.

## Annot. (1), pag. 240.

Hanc Epistolam, qua imaginum cultus aperte improbatur, Eusebii esse dixerunt Iconomachi, et orthodoxi quoque confessi sunt : verum cum idem Eusebius in Historia sua Ecclesiastica (lib. vii, c. xviii) celebret mulierem Syrophœnissam, quæ sanguinis profluvio liberata, statuam Christo liberatori erexerat; idcirco a quibusdam dubitatum est, an illa Epistola esset reipsa Eusebii. Sed tantum abest ut ejusmodi argumento constet non scriptam eam esse ab Eusebio, quod ex ea ipsa narratione quam objiciunt appareat eumdem fuisse auctorem tum Historiæ Ecclesiasticæ tum ejus quam dicimus Epistolæ; nam quod a muliere Syrophœnissa factum in Historia Ecclesiastica narratur, idipsum ibidem ἐθνικῇ συνθείᾳ, hoc est consuetudine ethnica, seu usu apud Gentes jam inde antiquitus recepto, factum esse dicitur : quem scilicet usum minimè probabat Eusebius, ex eo forsan excusandus quod nondum elucidata fuerat vera circa imagines sententia.

## Annot. (2), ibid.

Videtur hic asserere Eusebius corpus Christi in gloria divinitatis assumptum jam non amplius subsistere, quod et fusius adhuc inferius evolvit. Hæc tamen molliorem sensum possunt accipere, quasi tantum illud a divinitate supra corporalem mundi istius naturam fuerit elevatum, non destructa tamen materiæ substantia. Quod si hanc interpretationem non admittas, errasse hic sicut alibi Eusebius dicendus est, quod et illi in concilio Nicæno secundo exprobratum videmus. (Concil. Labb. tom. vii, p. 498.)

## Annot. (3), pag. 243.

Hic ad marginem in quodam manuscripto legitur, et quidem merito : *Fuge! totum blasphemia;* et paulo infra : *O impietatem!* Hinc ista Epistola lecta est in concilio Nicæno secundo, et acriter improbata.

## Annot. (4), pag. 244.

Hæc retulimus ad explicandum magis ac magis Eusebii de Christo sententiam, de quibus ita in concilio Nicæno secundo dictum est : *Ex his ergo scriptis ejus ostenditur Arii et comparium ejus dogmata prædicare.* Vide quæ de ejus fide initio diximus.

## Annot. (4), pag. 490.

Sermonem Unicum, minime S. Jacobo Nisibeno adscribendum, nihil aliud esse quam epistola synodica, multorum nomine scripta, Nicolao Antonello certo certius visum est.

Hæc codex Armenus de quo in latinum transtulit Antonellus, a librario seu scriptore Armeno huic Epistolæ annotata præferebat :

« Finitæ sunt Epistolæ responsivæ S. Jacobi Nisibeni ad » S. Gregorium Illuminatorem.

» Prudens Lector,

» Quamvis hic Sermo, qui sequitur, non sit scriptus ad Illu» minatorem nostrum; tamen quia est sermo magni Viri, non » æstimo esse inutile si subjungatur post Epistolas quas ad in» terrogationes sancti Illuminatoris nostri rescripsit, cum multa » ad ædificationem nostram in se contineat. »



# INDEX

## TOMI VIGESIMI QUINTI.

## EUSEBIUS.

### DE VITA CONSTANTINI LIBRI QUATUOR.

Pag.

LIBER PRIMUS. — Caput I. — Prooemium. De morte imperatoris Constantini. 3

Caput II. De filiis ejus imperatoribus. Adhuc procemium. 4

Caput III. De Deo pios principes honorante et tyrannos puniente. 5

Caput IV. Quod Deus Constantinum honoravit. 6

Caput V. Quod triginta quidem annis regnavit, vixit autem plus quam sexaginta. *ibid.*

Caput VI. Quod Dei quidem famulus, gentium autem victor fuerit. 7

Caput VII. Comparatio ejus cum Cyro Persarum et Alexandro Macedonum rege. 8

Caput VIII. Quod orbem propemodum universum subegerit. *ibid.*

Caput IX. Quod pii Imperatoris filius imperium filiis reliquit. 9

Caput X. Quod historia hæc necessaria, et ad formandos mores utilis sit. 10

Caput XI. Quod sola Constantini gesta quæ ad pietatem pertinent narraturus sit. 11

Caput XII. Quod Constantinus in tyrannorum ædibus, sicut Moses, educatus sit. 12


Caput XIII. De patre ejus Constantio, qui Christianos ut Diocletianus et Maximianus persequi noluit. 13

Caput XIV. Quomodo Constantius, exprobrata ipsi a Diocletiano paupertate, ærarium impleverit, et postea collatoribus pecuniam reddiderit. 14


Caput XV. De persecutione ab aliis concitata. 16

Caput XVI. Quomodo Constantius, simulans se simulacra colere, eos quidem qui sacrificare parati essent expulerit; illos vero qui se Christianos profiteri maluissent, in palatio retinuerit. *ib.*

Caput XVII. De affectu et amore ejusdem Constantii erga Christum. 17



Pag.
Caput XVIII. Quod post abdicationem Diocletiani et Maximiani Constantius primus Augustus fuit, numerosa prole insignis. 18
Caput XIX. De filio ejus Constantino, qui adhuc adolescens una cum Diocletiano in Palæstinam venit. 19
Caput XX. Constantinus propter Diocletiani et Galerii insidias ad patrem revertitur. *ib.*
Caput XXI. Mors Constantii Constantinum filium imperatorem relinquentis. 20
Caput XXII. Quomodo, elato Constantio, Constantinus a militibus Augustus appellatus sit. *ib.*
Caput XXIII. Interitus tyrannorum brevis commemoratio. 21
Caput XXIV. Quod Constantinus imperium Dei arbitrio sit consecutus. 22
Caput XXV. Constantini de Britannis et barbaris victoriæ. *ib.*
Caput XXVI. Quomodo Romam Maxentii tyrannide liberare decreverit. 23
Caput XXVII. Quod Constantinus, eorum qui simulacra coluissent interitum considerans, Christianismum potius elegit. 23
Caput XXVIII. Quomodo Deus oranti visionem ostenderit in cœlo sub meridiem, crucem videlicet lucidam cum inscriptione monente ut in hac vinceret. 24
Caput XXIX. Quomodo Christus Constantino in somnis visus, præceperit ut signo ad crucis formam facto uteretur in bellis. 25
Caput XXX. Fabricatio ejus signi ad crucis similitudinem. *ib.*
Caput XXXI. Descriptio signi instar crucis formati, quod Romani labarum vocant. 26
Caput XXXII. Quomodo Constantinus catechumenus factus sacras Scripturas legerit. 27
Caput XXXIII. De adulteriis a Maxentio Romæ perpetratis. *ib.*
Caput XXXIV. Quomodo uxor præfecti, pudicitiæ servandæ causa, mortem sibi conscivit. 28
Caput XXXV. Cædes populi Romani jussu Maxentii. 29
Caput XXXVI. Magicæ artes Maxentii, et alimentorum penuria Romæ. *ib.*
Caput XXXVII. Maxentii exercitus in Italia superati. 30
Caput XXXVIII. Maxentii interitus in ponte Tiberis. *ib.*
Caput XXXIX. Ingressus Constantini in urbem Romam. 32
Caput XL. De Constantini statua crucem tenente, et de ejus inscriptione. *ib.*
Caput XLI. Exultatio provinciarum, et largitiones Constantini. 33
Caput XLII. Honores episcopis delati, et ecclesiarum extructiones. 34



Pag.
CAPUT XLIII. De Constantini in pauperes beneficentia. 34
CAPUT XLIV. Quomodo synodis episcoporum interfuit. 35
CAPUT XLV. Quomodo insipientes toleraverit. 36
CAPUT XLVI. Victoriæ de Barbaris relatæ. 37
CAPUT XLVII. Mors Maximiani, et aliorum quorum insidias Deo revelante Constantinus deprehenderat. *ib.*
CAPUT XLVIII. Constantini decennalia. 38
CAPUT XLIX. Quomodo Licinius Orientem afflixerit. *ib.*
CAPUT L. Quomodo Licinius Constantino insidiatus sit. 39
CAPUT LI. Licinii insidiæ adversus episcopos, et prohibitio synodorum. 40
CAPUT LII. Christianorum exilia et proscriptiones. 41
CAPUT LIII. Edictum Licinii, ne mulieres una cum viris in ecclesiam convenirent. *ib.*
CAPUT LIV. Quomodo eos qui sacrificare renuissent militia solvit, et carcere inclusos ali vetuit. 42
CAPUT LV. De iniquitate et avaritia Licinii. 43
CAPUT LVI. Quomodo persecutionem adversus Christianos tandem excitaverit. 44
CAPUT LVII. Qualiter Maximianus fistuloso ac verminante ulcere perdomitus, pro Christianis legem scripserit. *ib.*
CAPUT LVIII. Qualiter Maximinus Christianorum persecutor, fugiens servili habitu sese occultaverit. 45
CAPUT LIX. Quomodo vi morbi excæcatus Maximinus, legem pro Christianis dedit. 46
LIBER SECUNDUS. — CAPUT I. Occulta persecutio Licinii, et cædes episcoporum apud Amasiam urbem Ponti. 47
CAPUT II. Ecclesiæ dirutæ, et episcopi trucidati. 48
CAPUT III. Quomodo Constantinus Christianorum causa quos Licinius persequi parabat, commotus sit. 49
CAPUT IV. Quod Constantinus cum precibus, Licinius vero cum vaticiniis se ad bellum parabat. *ib.*
CAPUT V. Quid de simulacris et de Christo Licinius dixerit, dum in luco sacrificaret. 50
CAPUT VI. Spectra in urbibus quæ Licinio parebant visa, Constantini militum Licinianos persequentium. 52
CAPUT VII. Ubicumque in præliis crucis signum affuit, partam esse victoriam. *ib.*
CAPUT VIII. Quod quinquaginta viri electi sunt qui crucem portarent. 53
CAPUT IX. Quod ex cruciferis is quidem qui fugit interfectus est; qui vero fideliter permanserat, incolumis evasit. *ib.*
CAPUT X. Variæ pugnæ, et Constantini victoriæ. 54

Pag.

CAPUT XI. Fuga et magicæ artes Licinii. 54
CAPUT XII. Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victoriam adeptus est. 55
CAPUT XIII. Constantini humanitas in milites captos. 56
CAPUT XIV. Iterum de oratione in tabernaculo. *ib.*
CAPUT XV. Licinii simulata amicitia, et idolorum cultus. 57
CAPUT XVI. Quomodo Licinius militibus præceperit ne adversus crucis signum impetum facerent. *ib.*
CAPUT XVII. Constantini victoria. 58
CAPUT XVIII. Licinii cædes, et triumphi de illo acti. *ib.*
CAPUT XIX. Publica lætitia ac festivitas. 59
CAPUT XX. Quomodo pro confessoribus Constantinus leges sanxerit. 60
CAPUT XXI. Quomodo etiam pro martyribus et pro ecclesiarum prædiis leges tulit. 61
CAPUT XXII. Quomodo etiam populos recreaverit. *ib.*
CAPUT XXIII. Quod Deum bonorum auctorem prædicavit : et de legibus ejusdem. 62
CAPUT XXIV. Lex Constantini de pietate in Deum, et de Christiana religione. 63
CAPUT XXV. Exemplum a vetustis temporibus. *ib.*
CAPUT XXVI. De iis qui persecutionem passi sunt, et de persecutoribus. 64
CAPUT XXVII. Quod persecutio bellum gerentibus malorum causa extiterit. 65
CAPUT XXVIII. Quod Deus Constantinum bonorum ministrum elegit. *ib.*
CAPUT XXIX. Piæ in Deum voces Constantini, et laus Confessorum. 66
CAPUT XXX. Lex solvens exilio et curia, et bonorum proscriptione. 67
CAPUT XXXI. Item eos qui in insulas erant relegati. *ib.*
CAPUT XXXII. Item eos qui ad metalla et ad publica opera ignominiose damnati fuerant. 68
CAPUT XXXIII. De confessoribus qui militaverant. *ib.*
CAPUT XXXIV. De iis qui ad gynæcea vel in servitutem dati erant, liberandis. 69
CAPUT XXXV. De successione bonorum martyrum et confessorum, et eorum qui relegati fuerant, et quorum bona in fiscum relata. *ib.*
CAPUT XXXVI. Ut deficientibus cognatis Ecclesia hæreditatem capiat, utque legata firma maneant. 70
CAPUT XXXVII. Ut qui hujusmodi loca, ædes, hortos, occupaverint, ea restituant ; exceptis fructibus. *ib.*

Pag.
Caput XXXVIII. Quomodo super his libellos dari oporteat. 71
Caput XXXIX. Ut fiscus fundos, ædes et hortos restituat ecclesiis. 72
Caput XL. Ut martyria et cœmeteria ecclesiis reddantur. ib.
Caput XLI. Ut qui res Ecclesiæ emerunt, aut dono acceperunt, eas restituant. ib.
Caput XLII. Sedula exhortatio ad colendum Deum. 73
Caput XLIII. Quomodo Constantinus ea quæ legibus sanxerat, factis ipsis confirmavit. 74
Caput XLIV. Quomodo Christianos ad regendas provincias promoverit, et paganos sacrificare prohibuerit. ib.
Caput XLV. De legibus quibus sacrificia quidem prohibebantur, ecclesiæ vero construi jubebantur. ib.
Caput XLVI. Epistola Constantini ad Eusebium et reliquos episcopos, de ecclesiis præsidum opera ædificandis; utque vetustæ reficiantur, et ampliores extruantur. 75
Caput XLVII. Quod contra idolorum cultum scripserit. 76
Caput XLVIII. Constantini edictum ad provinciales de falso cultu multorum deorum. Exordium de virtute et vitio. 77
Caput XLIX. De pio ac Dei amantissimo Constantini patre, et de Diocletiano ac Maximiano persecutoribus. ib.
Caput L. Quod ex Apollinis oraculo qui ob justos homines responsa amplius edere non poterat, mota sit persecutio. 78
Caput LI. Quomodo Constantinus adhuc adolescens justos esse Christianos audivit. ib.
Caput LII. Quot tormentorum et suppliciorum genera adversus Christianos excogitata sint. 79
Caput LIII. Quomodo barbari Christianos exceperunt. ib.
Caput LIV. Quomodo divina ultione puniti sint, qui ex oraculo persecutionem commoverant. 80
Caput LV. Constantinus Deo gloriam tribuit, signum crucis confitetur, et precatur pro ecclesiis. ib.
Caput LVI. Quomodo omnes quidem Christianos esse optavit, neminem autem coëgit. 81
Caput LVII. Gloriam tribuit Deo, qui per Filium suum errantes illuminavit. ib.
Caput LVIII. Iterum Deo gloriam tribuit ex ministerio totius mundi. 82
Caput LIX. Deum laudat qui semper bona atque honesta docet. ib.
Caput LX. Adhortatio sub finem edicti, ut nemo alteri molestiam facessat. 83
Caput LXI. Quomodo ab urbe Alexandria quæstiones commotæ sint propter Arium. ib.
Caput LXII. De Ario et Melitianis. 84

Pag.

Caput LXIII. Quomodo legatum cum litteris misit ad pacem componendam. 85

Caput LXIV. Constantini Epistola ad Alexandrum episcopum et Arium presbyterum. *ib.*

Caput LXV. Quod pro pace continue satagebat. 86

Caput LXVI. Quomodo quæstiones in Africa excitatas compressit. *ib.*

Caput LXVII. Quod religio ab Orientis partibus cœperit. 87

Caput LXVIII. Quomodo seditionem moleste ferens, pacem suasit. *ib.*

Caput LXIX. Unde nata sit controversia inter Arium et Alexandrum ; et quod talia non erant disquirenda. 88

Caput LXX. Exhortatio ad concordiam. 89

Caput LXXI. Quod ob leves quasdam voculas pertinaciter certandum non fuit. *ib.*

Caput LXXII. Quomodo dolore affectus præ pietate lacrymas effudit : et iter quod facturus erat in Orientem, ob hanc causam repressit. 91

Caput LXXIII. Quod post has etiam Imperatoris litteras perseveravit contentio. 92

LIBER TERTIUS. — Caput I. Comparatio pietatis Constantini cum iniquitate persecutorum. 93

Caput II. Rursus de pietate Constantini, signum crucis libere profitentis. 95

Caput III. De imagine Constantini, cui crux quidem superposita erat, infra autem draco. *ib.*

Caput IV. Rursus de controversiis in Ægypto excitatis ab Ario. 96

Caput V. De dissensione ob festum Paschæ. 97

Caput VI. Quomodo synodum Nicææ fieri jussit. 98

Caput VII. De universali concilio, ad quod ex omnibus provinciis convenerunt episcopi. *ib.*

Caput VIII. Quod sicut in Actis Apostolorum dicitur, ex variis gentibus convenerunt. 99

Caput IX. De virtute et ætate ducentorum quinquaginta episcoporum. 100

Caput X. Synodus habita in palatio, quo ingressus Constantinus cum episcopis resedit. *ib.*

Caput XI. Silentium concilii, postquam Eusebius episcopus pauca quædam dixisset. 101

Caput XII. Constantini ad synodum oratio de pace. 102

Caput XIII. Quodo episcopos inter se certantes ad concordiam revocarit. 103

Caput XIV. Concors synodi sententia de fide et de Pascha. 104

Pag.

Caput XV. Quomodo Constantinus vicennalibus suis episcopos convivio exceperit. 104
Caput XVI. Munera episcopis donata, et litteræ ad omnes scriptæ. 105
Caput XVII. Epistola Constantini ad Ecclesias de synodo Nicæna. *ib.*
Caput XVIII. De consensu in celebratione festi Paschalis et contra Judæos. 106
Caput XIX. Hortatio ut maximam partem orbis terrarum sequi velint. 107
Caput XX. Hortatio ut omnes decretis Synodi assentiantur. 108
Caput XXI. Episcopis discessuris consilium dat ut concordiam servent. 109
Caput XXII. Quomodo alios quidem hortatus sit, ad alios autem scripserit; et de pecuniarum divisione. 110
Caput XXIII. Quomodo ad Ægyptios scripserit, eosque ad pacem hortatus sit. *ib.*
Caput XXIV. Quomodo episcopis et plebibus religiosas litteras sæpius scripsit. 111
Caput XXV. Quomodo Hierosolymis in sancto Dominicæ resurrectionis loco templum extrui præcepit. *ib.*
Caput XXVI. Quomodo impii sepulcrum Domini ruderibus et simulacris superpositis obtexerant. 112
Caput XXVII. Quomodo Constantinus templi materiam ac rudera longissime projici mandavit. 113
Caput XXVIII. Manifestatio sanctissimi Sepulcri. 114
Caput XXIX. Quomodo de construenda ecclesia ad præsides et ad Macarium episcopum litteras dedit. *ib.*
Caput XXX. Constantini ad Macarium epistola de ædificatione Martyrii Servatoris nostri. 115
Caput XXXI. Quod hanc ædem, mœnium, columnarum et marmorum venustate cæteras ecclesias superare voluerit. 116
Caput XXXII. Ut de pulchritudine conchæ, et de artificibus ac de materia Macarius ad præsides scribat. *ib.*
Caput XXXIII. Quomodo ecclesia Servatoris extructa fuerit, quam Prophetæ novam Hierusalem appellaverant. 117
Caput XXXIV. Descriptio fabricæ sancti Sepulcri. 118
Caput XXXV. Descriptio atrii et porticuum. *ib.*
Caput XXXVI. Descriptio parietum tectique, et ornatus atque inaurationis ipsius basilicæ. *ib.*
Caput XXXVII. Descriptio geminarum utrinque porticuum, et trium portarum orientalium. 119
Caput XXXVIII. Descriptio hemisphærii, et duodecim columnarum cum crateribus. *ib.*
Caput XXXIX. Descriptio atrii, exhedrarum et vestibulorum. *ib.*
Caput XL. De numero donariorum. 120

Pag.

Caput XLI. De ædificatione ecclesiæ apud Bethlehem et in monte Olivarum. 120

Caput XLII. Quomodo Helena Augusta, Constantini mater, Bethlehem orandi causa profecta, has ecclesias ædificavit. 121

Caput XLIII. Rursus de ecclesia Bethlehemitica. *ib.*

Caput XLIV. De magnitudine animi et beneficentia Helenæ. 122

Caput XLV. Quomodo Helena in ecclesiis religiose versata sit. 123

Caput XLVI. Quomodo octogenaria testamento facto, e vita decessit. *ib.*

Caput XLVII. Quomodo Constantinus matrem deposuit; et qualiter illam coluit dum viveret. 124

Caput XLVIII. Quomodo Constantinopoli martyria construxit, omnemque idolorum cultum abolevit. 125

Caput XLIX. Signum crucis in palatio, et imago Danielis in fontibus. *ib.*

Caput L. De ecclesiis quas Nicomediæ et alibi extruxit. 126

Caput LI. Quod in loco dicto Mambre ecclesiam ædificavit. *ib.*

Caput LII. Constantini epistola ad Eusebium de Mambre. 127

Caput LIII. Quod Servator noster ibidem visus Abrahæ. *ib.*

Caput LIV. Fana et simulacra ubique diruta. 129

Caput LV. Eversio fani apud Aphaca in Phœnice, et impudicitiæ abolitio. 130

Caput LVI. Destructio templi Æsculapii Ægis. 132

Caput LVII. Quomodo Gentiles damnatis simulacris Deum agnoverunt. 133

Caput LVIII. Quomodo apud Heliopolim, destructo Veneris fano, primus ecclesiam construxit. 134

Caput LIX. De tumultu Antiochiæ propter Eustathium excitato. 135

Caput LX. Constantini Epistola ad Antiochenos, ne Eusebium Cæsarea abstraherent; sed ut alium quærerent. 136

Caput LXI. Constantini ad Eusebium litteræ, quibus eum laudat quod Antiochiam recusaverit. 139

Caput LXII. Constantini Epistola ad synodum, ne Eusebius Cæsarea abstrahatur. 140

Caput LXIII. Quomodo hæreses excindere studuerit. 141

Caput LXIV. Constantini constitutio adversus hæreticos. *ib.*

Caput LXV. De tollendis conventiculis hæreticorum. 142

Caput LXVI. Quomodo, nefariis libris apud hæreticos repertis, plurimi eorum ad Catholicam redierint Ecclesiam. 143

LIBER QUARTUS. — Caput I. Qualiter donis ac promotionibus plurimos cohonestavit. 145

Caput II. Remissio quartæ partis censuum. 146

Caput III. Peræquatio ac relevatio censuum. *ib.*

Pag.

Caput IV. Quomodo in pecuniariis causis, iis qui causa ceciderant, ipse de suo largiebatur. 147
Caput V. Scytharum per signum crucis devictorum subactio. ib.
Caput VI. Sarmatæ subacti, cum servi adversus dominos rebellassent. 148
Caput VII. Variorum barbarorum legationes, et munera eis ab Imperatore donata. ib.
Caput VIII. Quod Persarum regi qui legatos ad ipsum miserat, scripsit in gratiam Christianorum illic agentium. 149
Caput IX. Epistola Constantini ad Saporem Persarum regem, summa cum pietate Deum et Christum confitentis. 150
Caput X. Contra simulacra, et de glorificatione Dei. 151
Caput XI. Contra tyrannos et persecutores; et de captivitate Valeriani. ib.
Caput XII. Quod persecutorum ruinam viderit, quodque jam ob Christianorum pacem lætatur. 152
Caput XIII. Exhortatio ut Christianos in Perside agentes benevole complectatur. ib.
Caput XIV. Quomodo assiduis Constantini precibus pax data est Christianis. 153
Caput XV. Quod in nummis et imaginibus precantis habitu effingi se jussit. ib.
Caput XVI. Quod imagines suas in templis idolorum poni, lege lata prohibuit. 154
Caput XVII. Precationes in palatio, et recitatio sacrarum Scripturarum. ib.
Caput XVIII. Diem Dominicum et sextam feriam honorari præcipit. ib.
Caput XIX. Quomodo etiam Gentiles milites diebus Dominicis orare docuerit. 155
Caput XX. Forma precationis a Constantino militibus traditæ. 156
Caput XXI. In armis militum signum Dominicæ crucis exprimi jubet. ib.
Caput XXII. Studium precandi, et cultus festi Paschalis. ib.
Caput XXIII. Quomodo idolorum cultum prohibuit, martyrum autem festa honoravit. 157
Caput XXIV. Quod rerum externarum quasi episcopum se esse dixit. 158
Caput XXV. De prohibitione sacrificiorum et initiationum, et de abolitis gladiatoribus et impuris sacerdotibus Nili. ib.
Caput XXVI. Correctio legis adversus orbos, et legis de testamentis. 159
Caput XXVII. Quod legem tulit ne Judæi Christianum mancipium haberent, utque conciliorum decreta rata essent, et cætera. 160

Pag.

Caput XXVIII. Dona in ecclesias collata, et pecuniæ virginibus ac pauperibus erogatæ. 161

Caput XXIX. Lucubrationes et declamationes Constantini. *ib.*

Caput XXX. Quod cuidam avaro sepulcri modum delineavit, ut ei pudorem incuteret. 163

Caput XXXI. Quod ob nimiam clementiam irrisus est. *ib.*

Caput XXXII. De Constantini oratione quam ad sanctorum cœtum scripsit. 164

Caput XXXIII. Quomodo Eusebii de Servatoris sepulcro panegyricas orationes stans audierit. *ib.*

Caput XXXIV. Quod de Pascha et de sacris cocidibus ad Eusebium scripsit. 165

Caput XXXV. Epistola Constantini ad Eusebium, in qua orationem ejus de Pascha laudat. *ib.*

Caput XXXVI. Constantini ad Eusebium epistola de conficiendis sacris cocidibus. 166

Caput XXXVII. Quomodo confecti fuerint codices. 167

Caput XXXVIII. Quomodo emporium Gazæorum, ob Christianismum, urbs facta est et Constantia cognominata. 168

Caput XXXIX. Quod in Phœnice urbs facta est Constantina, et in aliis urbibus idola diruta et ecclesiæ extructæ. *ib.*

Caput XL. Quod cum trinis decennalibus tres filios Cæsares creavisset, dedicationem martyrii Hierosolymis celebravit. 169

Caput XLI. Quod inter hæc synodum Tyri haberi constituit, ob quasdam in Ægypto controversias. *ib.*

Caput XLII. Epistola Constantini ad synodum Tyri congregatam. 170

Caput XLIII. Quomodo ad dedicationem ecclesiæ Hierosolymorum, episcopi ex omnibus provinciis convenere. 172

Caput XLIV. Quomodo per Marianum notarium excepti sint, et pecuniæ pauperibus erogatæ : et de donariis ecclesiæ. 173

Caput XLV. Episcoporum in conventibus sermones, et ipsius qui hæc scripsit Eusebii. *ib.*

Caput XLVI. Quod descriptionem martyrii et orationem de tricennalibus coram ipso Imperatore postea recitavit. 174

Caput XLVII. Quod Nicæna quidem synodus vicennalibus Constantini, dedicatio vero basilicæ Hierosolymitanæ contigit tricennalibus. 175

Caput XLVIII. Quomodo immodicas cujusdam laudes ægre tulerit. *ib.*

Caput XLIX. Nuptiæ Constantii Cæsaris, ejus filii. 176

Caput L. Legatio et munera ab Indis missa. *ib.*

Caput LI. Quomodo Constantinus, diviso in tres filios Imperio, eos et regnandi arte et pietatis officiis instituit. *ib.*

Pag.

CAPUT LII. Quomodo eos virilem ætatem ingressos pietatem docuerit. 177

CAPUT LIII. Quod cum duobus ac triginta annis regnaverit, et plus quam sexaginta annis vixerit, integra semper fuit valetudine. 178

CAPUT LIV. De iis qui eximia ejus humanitate ad avaritiam et pietatis simulationem abusi sunt. 179

CAPUT LV. Qualiter ad ultimum usque vitæ diem orationes scripsit. *ib.*

CAPUT LVI. Quomodo ad bellum Persicum proficiscens, episcopos sibi adjunxit, et tentorium in speciem ecclesiæ paravit. 180

CAPUT LVII. Quomodo, susceptis Persarum legatis, festo Paschæ die cum aliis pernoctavit. 181

CAPUT LVIII. De constructione martyrii Apostolorum Constantinopoli. *ib.*

CAPUT LIX. Descriptio ejusdem martyrii. 182

CAPUT LX. Quod etiam in eo templo sepulcrum sibi ædificavit. *ib.*

CAPUT LXI. Imperatoris ægritudo, et orationes Helenopoli. Item de ejus baptismo. 183

CAPUT LXII. Quibus verbis Constantinus postulavit ab episcopis ut baptismum sibi conferrent. 184

CAPUT LXIII. Quomodo post baptismum Deum laudavit. 185

CAPUT LXIV. Constantini mors die festo Pentecostes, circa meridiem. *ib.*

CAPUT LXV. Militum et tribunorum planctus. 186

CAPUT LXVI. Quomodo funus Nicomedia Constantinopolim deductum est in palatium. 187

CAPUT LXVII. Quomodo etiam post mortem a comitibus et reliquis, perinde ac vivus, honoratus est. *ib.*

CAPUT LXVIII. Quomodo exercitus judicio, filii ejus Augusti sunt nuncupati. 188

CAPUT LXIX. Romæ luctus ob mortem Constantini, et imagines ei decretæ. 189

CAPUT LXX. Quomodo funus Constantinopoli depositum sit a Constantino. *ib.*

CAPUT LXXI. Missa in Apostolorum martyrio celebrata in exequiis Constantini. 190

CAPUT LXXII. De phœnice ave. 191

CAPUT LXXIII. Quomodo in nummis Constantinum velut in cœlum ascendentem expresserint. *ib.*

CAPUT LXXIV. Quod cum Deum coluisset, merito etiam a Deo honoratus est. *ib.*

CAPUT LXXV. Quod Constantinus superiores omnes imperatores pietate superavit. 192

## CONSTANTINI IMPERATORIS ORATIO QUAM INSCRIPSIT AD SANCTORUM CŒTUM.

Pag.

Caput I. Procœmium mentionem facit Paschæ, et quod Christus, cum multa in omnes homines beneficia contulisset, ab iisdem male mulctatus est. 193

Caput II. Allocutio ad Ecclesiam et auditores, ut ignoscant et emendent, si quid minus recte dixerit. 195

Caput III. Quod Deus pater est Verbi, et omnium rerum opifex ; et quod nullomodo res possint consistere, si diversæ essent earum causæ. 196

Caput IV. De errore eorum qui simulacra venerantur. 197

Caput V. Quod Christus Filius Dei cuncta condidit, et certum vitæ spatium singulis constituit. 198

Caput VI. De fato ; et quod falsa sunt quæ de eo dicuntur : idque ostenditur tum ex legibus humanis, tum ex rebus creatis, quæ non temere sed ordine moventur ; hoc facto declarantes Creatoris præceptum. 200

Caput VII. Quod in rebus quas intelligentia assequi non possumus, Creatoris sapientiam prædicare debemus, nec casum aut aliam præter Deum causam existimare. 203

Caput VIII. Quod quæ ad usum necessaria sunt, Deus copiose suppeditat hominibus ; quæ vero ad voluptatem faciunt, modice subministrat : utrumque ad utilitatem nostram dispensans. 204

Caput IX. De philosophis, qui, cum omnia scire voluissent, opinionibus lapsi sunt; et nonnulli discrimen vitæ subierunt. Item de doctrina Platonis. 205

Caput X. De iis qui non solum sacræ Scripturæ, sed etiam philosophorum dogmata respuunt; et quod vel in omnibus fides poëtis adhibenda est, vel in nullo. 207

Caput XI. De corporali Domini adventu, qualis et cur fuerit. 208

Caput XII. De his qui hoc mysterium non cognoverunt; et quod voluntaria eorum ignoratio est : et quanta bona eos maneant qui illud cognoverunt, ac præsertim eos qui in confessione mortui sunt. 214

Caput XIII. Quod necessaria sit differentia in rebus creatis; et quod ad bonum malumque propensio ex voluntate hominum oritur : ideoque necessarium est judicium Dei. 215

Caput XIV. Quod creatura immenso spatio distat a substantia increata ; et quod homo per virtutem proxime ad Deum accedit. 216

Caput XV. Quæ præcepta tradiderit, et quæ miracula patraverit, et quantopere subditis profuerit Servator. 217

Caput XVI. Quod Christi adventus prædictus sit a Prophetis; et quod ad simulacrorum et urbium simulacra colentium eversionem ordinatus fuerit. 220

Pag.

CAPUT XVII. De sapientia Mosis, quam Gentilium sapientes æmulati sunt ; item de Daniele et de tribus pueris. 221

CAPUT XVIII. De Sibylla Erythræa, quæ in acrostichide carminum quibus vaticinata est, Dominum et passionem designat. Est autem acrostichis hæc : JESUS CHRISTUS DEI FILIUS, SERVATOR, CRUX. 223

CAPUT XIX. Quod hæc de Christo vaticinatio a nemine Christianorum conficta est, sed ab Erythræa Sibylla conscripta ; cujus libros Cicero ante adventum Christi latinis versibus reddidit : et quod Virgilius ejus mentionem facit, simulque partus Virginei ; obscure celebrans mysterium metu potentiorum. 225

CAPUT XX. Alii versus Virgilii Maronis de Christo, eorumque interpretatio : in quibus ostenditur obscure, ut poëtis moris est, indicatum esse mysterium. 227

CAPUT XXI. Quod de nudo ac simplici homine dici hæc non possunt, et quod infideles ob divini cultus ignorantiam, ne ortus quidem sui causam norunt. 231

CAPUT XXII. Gratiarum actio Imperatoris, qua victorias et reliqua bona sua Christo accepta fert ; et confutatio Maximini tyranni, qui persecutionis crudelitate Christianæ religionis gloriam auxerat. 232

CAPUT XXIII. De Christianorum institutis ; et quod Deus diligit eos qui virtutem sectantur ; et quod judicium ac retributionem sperare oportet. 234

CAPUT XXIV. De Decii, Valeriani et Aureliani calamitoso vitæ exitu ob persecutionem Ecclesiarum. 235

CAPUT XXV. De Diocletiano, qui turpiter Imperio se abdicavit, et qui ob Ecclesiarum persecutionem fulmine perculsus est. 236

CAPUT XXVI. Quod Deus causa fuit pietatis Imperatoris ; et quod eventus prosperos a Deo poscere, eique acceptos ferre debemus ; secus autem gesta, negligentiæ notræ imputare. 237

## EUSEBII PAMPHILI EPISTOLÆ TRES.

EPISTOLA I. AD CONSTANTIAM AUGUSTAM. Argumentum. 239

EPISTOLA II. AD ALEXANDRUM ALEXANDRINUM. Fragmentum. (Ex Labbæo, concil. Nicæn. II, act. VI.) 243

EPISTOLA III. AD EUPHRASIONEM EPISCOPUM. Fragmentum. (Ex eodem, ibidem.) 244

## S. JACOBUS NISIBENUS. Aphraates

S. JACOBUS, NISIBENUS EPISCOPUS. Syriacus. 247

## SERMONES.

EPISTOLA S. Gregorii nostri Illuminatoris ad S. Jacobum Nisibenum. 251

RESPONSIO ad Epistolam S. Gregorii Illuminatoris. 253

SERMO I. De Fide. 254

SERMO II. De Dilectione. 267

Pag.
Sermo III. De Jejunio. 285
Sermo IV. De Oratione. 298
Sermo V. De Bello. 310
Sermo VI. De Devotis. 330
Sermo VII. De Pœnitentia. 349
Sermo VIII. De Resurrectione mortuorum. 365
Sermo IX. De Humilitate. 379
Sermo X. De Pastoribus. 390
Sermo XI. De Circumcisione, contra Judæos. 398
Sermo XII. De Sabbato, contra Judæos. 412
Sermo XIII. De Ciborum delectu. 422
Sermo XIV. De Pascha. 434
Sermo XV. De Ingressu gentium pro populo Judæorum, seu de Gentium vocatione et reprobatione Judæorum. 446
Sermo XVI. Demonstratur quod Christus sit Filius Dei. 455
Sermo XVII. De Virginitate et Sanctitate, contra Judæos. 466
Sermo XVIII. Refutatio, adversus Judæos dicentes propediem Synagogam instaurandam esse. 476
Sermo unicus. De adversitate, et schismatibus quæ fiunt alicubi in provinciis; et de superbia, arrogantia; et de pugna certaminis elationis capitalis principatus. 490

## S. ANTONIUS ABBAS.

S. Antonius, anachoretarum Ægyptiorum pater. Ægyptius. 547

### AD FRATRES SUOS EPISTOLÆ.

Epistola I. De divina vocatione, et multiplici corporis motu. 549
Epistola II. De vitandis insidiis Dæmonum. 555
Epittola III. De Christi in nos beneficiis. 565
Epistola IV. De duobus Christi præcursoribus, et ejus adventu in carnem. 572
Epistola V. De Angelorum gaudio et luctu propter nos, et ne vitam nostram negligamus. 575
Epistola VI. De Christi adventu, et ut nos ipsos cognoscamus. 579
Epistola VII. De cognitione sui ipsius, et de Ario. 582

## S. PACHOMIUS.

S. Pachomius, primus tabennensis abbas, et cœnobitarum institutor. Græcus. 589
CONCORDANTIA Bibliothecæ Latinæ cum Gallica. 587
ANNOTATIONES. 589

EXPLICIT INDEX.